# PARADISVS SANCTORVM
HOC EST:
# SERMONES SACRI PANEGYRICI
IN FESTA SANCTORVM QVÆ PER TOTIVS ANNI CIRCVLVM
ab Eccleſia univerſaliter celebrantur.

## IN DVAS PARTES DIVISI

IN QVIBVS FLORIDA HIEROGLYPHICORVM, SIMILITVDINVM, ALLEgoriarum, Apophtegmatum, exquiſitiſſimorum etiam è ſcriptura ſacra & SS. Patribus elicitorum Conceptuum varietate, tota quaſi percenſetur cujuſlibet ſanctæ vitæ & rei geſtæ Hiſtoria.

## PARS SECVNDA

*AVTHORE*
ADMODVM R. P. MAGISTRO
BENEDICTO FIDELI
à S. PHILIPPO
SS. THEOL. DOCTORE TERTII ORD. S. FRANCISCI DE POENITENtia in Provincia Siciliæ Provinciale & Commiſſario Generali.

Opus Exquiſitiſſimum, omnibus Verbi Dei Præconibus perneceſſarium, atque Triplici Indice egregiè inſtructum.

INTERPRETE
ADMODVM R.P. MAGISTRO IACOBO EMANS SS. THEOL. DOCTORE,
FF. Ordinis B.V. MARIÆ de MONTE CARMELI Provinciæ Allemanniæ Inferioris PROVINCIALI.




COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud IOANNEM BVSÆVM Bibliopolam
ſub Monocerote. ANNO M. DC. LXI.

# PRÆFATIO INTERPRETIS AD LECTOREM.

ZEuxem pictorem excellentiſsimum, ferunt olim priuſquam ex hac vitæ ſtatione evocaretur, Deæ Veneris ſimulachrum primis duntaxat lineis expreſſiſſe tanto artificio, ut omnis poſteritas obſtupeſcens, informi alias & indolato adhuc operi ſuæ artis penicillum ultimum adhibere detrectaverit. Noſtra ætate Reverendus Admodum & Doctiſsimus Pater Magiſter Benedictus Fidelis à ſancto Philippo natione Siculus, religione Franciſcanus, Tertiæ Regulæ, Profeſsione Theologus & Cõcionator facundiſsimus pariter & celeberrimus inter alia ingenii ſui monumenta, quibus perenne ſibi apud Poſteros trophæum ſtatuit, ſermones Panegyricos de ſanctis, quorum per anni circulum feſtus in Eccleſia eſt dies, ex optimis quibuſque Patribus, gratiſsimis conceptibus, additis etiam ingenii ſui divitiis diligenti gravique ſtudio adornavit, Opus certe dignum memoria & laude ſæculorum, florida hieroglyphicorum, ſimilitudinum, Allegoriarum, Apophtegmatũ, ſacrorum etiam dogmatum varietate perjucundum, quod vel ultrò ſegetem argumentorum ſubminiſtret Catholico Eccleſiaſtæ. Deerat votis omnium, ut latinè loqueretur, lingua nimirum univerſaliori, quam omnes Eccleſiaſtæ intelligant, neceſſum eſt. Cæterum qui eundem latino ſermone imbueret, & adornaret, inventus eſt nemo, atque ideo operæ me pretium facturum exiſtimavi, ſi ut multorum deſideriis fieret ſatis, huic operæ meum impenderem obſequium, quam provinciam tanto in me ſuſcepi libentius, quod ejuſdem præclariſsimi authoris Quadrageſimales ſive Conſiderationes in omnia Evangelia per omnes Dominicas & Ferias Quadrageſimales occurrentia, quas anno ſuperiori ex Italico etiam idiomate in latinum converteram, tanta mox fuerint ab omnibus paſsim prædicatoribus aviditate coemptæ & diſtractæ, ut ex primo typo intra unius ſpatium vix aliqua ſint exemplaria reſidua, ideoque Quadrageſimale iſtud in ſequentibus vernalibus nundinis auctius & emendatius ſecunda ſit editione abſolvendum. Neque ullus dubito, qui pari quoque aviditate haſce ſibi ſanctorum Panegyres comparaturi ſint, quotquot ſunt divini verbi præcones, dummodo attento quæ author illarum ſuaviter influit oculo lectitabunt. Unum namque eſt in quo potiſsimum doctiſsimus Benedictus Fidelis fideliter inſudavit, nimirum, ut omnes quas in qualibet Panegyri accumulatè ſcriptura & patribus elicitos gratiſsimos conceptus, non feſtis duntaxat, ſed & divorum geſtis (quæ plures Evangelio inhærentes, intacta relinquunt) ſingulari ſtudio & dexteritate accommodarit, adeo ut quælibet ſancti alicujus Panegyris, abſolutiſsimam tibi ſancti illius de quo agitur, exhibeat hiſtoriam, eamque ſic moralizatam, ut memoriæ juvandæ mirabiliter proſit.

Porro hanc meam operam ad Dei ſolius gloriam & honorem, & tuam comoditatem

promovendam libenter impendi, an vero id in ea aſſecutus ſim, ut latia veſte ſic per me indutus Author oculis & genio tuo placeat, tuo id judicio æſtimandum relinquo; ſin minus, ignoſce temporis brevitati, quod in hanc tibi utilem futuram operam ob nimiam Bibliopolæ feſtinationem impendit. Nam ſi horas in opus iſtud adhibitas in dies, hebdomades, & menſes diſtribuero adeo illud modicum reperies, ut Authori Latino ſimpliciter deſcribendo vix ſufficere poſſit. Ignoſce tenuitati ingenii quod utique niſi à deſiderio quantacunque ope ſua te juvandi excitatum, huic operi nunquam intendiſſet. Ignoſce denique onerum, occupationumque variis in muniis obeundis multitudini; nam ut ingenuam tibi veritatem pandam, labor hic vix ſedendo ſed eundo conſummatus eſt; id eſt, quicquid in frequentiſſimis itineribus conſtitutus, bonarum horarum, ſuffurari, abſque boni communis mihi commiſſi diſpendio, aliqua ratione potui, in opus iſtud ſolummodo, & vix aliud tempus adhibitum eſt.

Adhæc futurum fore vereor, ut tibi præſens opus pervolutanti diſpliceat, quod in eum Author frequenter prorumpat encomiorum exceſſum, ut diverſos ſanctos non homines, ſed Angelos, imo Deos fuiſſe oſtendat: verum modus iſte ſeu phraſis loquendi, plures tibi Deos, ut verebaris, nequaquam obtrudit, ſed frequens ſatis & uſitatus eſt in ſacris literis. Sic porro homines æterna Patris ſapientia, & ipſiſsima veritas appellare non dubitavit. Pſal. 81. & Ioan. 10. *Ego dixi Dii eſtis vos & filii excelſi omnes.* Ubi magnam verba illa emphaſim habent: *Ego dixi.* q. d. Non eſt hic metuenda aliqua falſi ſuſpicio quando quod dicitur ab ipſomet eructatur veritatis oraculo. Nec infrequens eſt modus iſte loquendi SS. Patribus. Glorioſum enim illud Eccleſiæ lumen Auguſtinus *in Pſal. 49.* ait: *Si Filii Dei facti ſumus, & Dii facti ſumus, ſed hoc gratia eſt adoptantis, non natura generantis.* Hieronymus quoque illa cæleſtis tuba Evangelii in Matth. cap. 16. viros Apoſtolicos cumprimis Deos recte compellari docuit, dum dixit: *Pulchre interrogat, quem dicunt homines eſſe filium hominis? quia qui de filio hominis loquuntur homines ſunt; qui vero Divinitatem eius intelligunt, non homines, ſed Dii appellantur.* Et in cap. 10. Ieremiæ idem ait: *Qui cooperatores ſunt Chriſti Dei vocantur.* Quæ ſacri Divinarum literarum Commendatores uberius proſequuntur; ſed inſtar omnium una nobis Aquinas eſt Aquila, qui *Opuſc.* 57. non uſitata, ut Horatius ait, nec tenui penna hæc exaravit: *unigenitus Dei filius ſuæ Divinitatis volens nos eſſe participes, naturam noſtram aſſumpſit, ut homines Deos faceret factus homo.*

Quodſi hic in terris juſti, atque *omnes ad quos ſermo Dei factus eſt, Dii nuncupantur* quanto magis Divi, qui in cæleſtem gloriam recipi, & ſuperis adſcripti ſunt? Quod doctè & diſertè D. Auguſtinus *lib. 8. de Civit. cap. 25.* tradit: *ſi homines,* inquit, *dicti ſunt, Dii quod in populo Dei ſunt: quanto magis immortales eo nomine digni ſunt, qui ea fruuntur beatitudine, ad quam Deum colendo cupiunt homines pervenire.*

Monendus inſuper mihi es benevole Lector, quod licet alii meros flores loquuntur & folia, ego tamen in hujus Authoris verſione humili ſtylo & tenui modulatus ſim avena, ſic tamen ut ſi tuo ſpiritu, hoc eſt, qui ſacrum Eccleſiaſten decet, Apoſtolico animetur, *vincit avena tubas* ut *Martialis lib. 7. Epigramm.* 3. inquit. Nonnullos quidem latina interpretis felicitas delectat, ſed vacuos. At concionaturus eam nil ſpectat, moleſtat magis rerum bonarum cupidum circumducta periphraſis, aut variata phraſis, ſuffarta phalerataque verbis.

Deni-

Denique quia multos Anthores, qui hinc inde hoc in opere citantur, in via ut plurimum conſtitutus habere non potui, ex Autographi fide ipſorum ſcriptura retuli, quare ſi in citandis illis error aliquis irrepſit, non ſanè mihi impingendus videtur, qui è rivulis hauſi, quæ ex ipſis fontibus hauriri non potui. Adhuc quia tacita concordia apud gentem Typographicam ſtatutum eſſe videtur, mulctandum graviter, qui librum ſine mendis ediderit, ideoque lapſus à Typothetis in typo admiſſi ſunt plurimi, rem tibi candide Lector facies perutilem, ſi erratorum tibi confeceris Indicem, quem ob tumultuariam, nimiſque feſtinam operis hujus editionem, erratorumque multitudinem conficere non potui, atque exinde eos emendaveris, liberabis te hoc pacto non ſolum à faſtidio & perplexo ſenſu, ſed etiam ſubinde ab errore ad extremum, optime Lector, ſi rem gratam tibi præſtiti, unam hanc repende gratiam, ut aliquando memineris mei ad altare Domini. Vale, & labore noſtro feliciter fruere.



# ODE LIBRI

VERSI,

Ab Admodum Reverendo & Ex. P. Magiſtro,

# P. IACOBO EMANS,

SS. Theologiæ Doctore, FF. Ordin. B. V. MARIÆ DE MONTE CARMELI per Allemanniam Inferiorem Provinciali.

## AD LECTOREM.

*Et Teſtis in cælo,* FIDELIS. *Pſalm.* 88. *verſ.* 38.

SUper ſtelliferum petens Olympum,
Vidi ſydereas micare ſedes,
Quas pulchro ordine Cælitum ſenatus
Tanto lumine poſſidet coruſcans.
Quanto ſol oriens venuſtat Orbem;
Nuſquam parturit eminentiores
Tellus delitias, alitque Phæbus,
Quales hic PARADISUS incolarum
Nutrit divitias fovetque Flores.
Fælix Curia, purpurata tali
Splendens conſilio, patrumque cœtu.
Stabat purpureo revincta ſole
Fulgente in ſolio decora *Virgo*,
Lactans uberibus ſuum parentem.
Solem hunc obſequio pio frequentant
Bis ſex *Mercurii*, cruore quorum
Floret Chriſtiadum rigata tellus.
Cæli lumina, purpurata fulcra,
Rapta à *piſcibus* aſtra nunc decorant.
Vidi & quadruplici viros ſedili
Quos *Evangelii* labor perenni
Ornat munere, diligenſque penna
Cinxit perpetuis virens coronis,
Clara hinc *Martyrii* Trophæa fulgent
Palmis gloriferis, roſiſque fulta;
Horum à corpora ſanguinis liquorem
Sacravere Deo manu Tyranni,
Nunc ſævus mucro Laureis vireſcens,
Pro ſpinis radians miniſtrat aurum.
O quas aureolas tenent *Magiſtri*
Quorum Doctiloquo liquore tellus
Fæcundata, dedit ſcientiarum
Rivos, protulit eruditionis
Inſignem ſobolem, utilemque partum!
Nunc ſunt *Plejades* incolendo Cælum
Et ſtellæ rutilant in æviternum,
Vivo hinc ſyrmate fulgurabat ordo
Felix *virgineus*, geniſque pulchris
Spargit lilia caſtitatis, Agnum
Semper greſſibus inſequendo puris.
Multa hic millia millium beatis
Vidi ſedibus incubare, quorum
Virtus perpetuis micat coronis.
Horum TESTIS ego FIDELIS adſum
Lector ne dubites; gero figuras
Quarum Prothotypon tenent Beati.
Vitas, geſta, Decus, Trophea pando,
Cæli divitias tibi refundo
Me primo Italicus tulit character,
Nunc Quadrageſimæ meæ latino
Jungor tramite, ſubſequor FIDELIS
Quæris quo calamo: erudivit EMANS
PHILIPPO ut ſocius Jacobus adſit,
Juncti Apoſtolicæ Scholæ MAGISTRI,
Maji prima dies habet beatos
Tali nomine; cur? niſi ut ſodales
Æſtatem patiant duo Patroni?
Hinc ut progeneram pium calorem,
PHILIPPUS ſocium vocat JACOBUM.
Nunc MONTEM VETEREM per arva quæram
Cui ſum debitor, Infulatus ille
Vertex me capiet valeto Lector.

Ludebat Conventus Colonienſis, FF. Ord. B. Mariæ Virginis de Monte Carmeli.

LICEN-

# LICENTIA REVERENDISSIMI
## P. Generalis.

Frater Franciſcus Guaſtamilius à Bononia, Fratrum Tertii Ordinis S. Patris noſtri Franciſci de Pœnitentia Regularis Obſervantiæ Generalis.

Opus, cujus inſcriptio eſt, *Sacri Panegyrici de Sanctis, quorum feſta per totius anni circulum celebrat S. mater Eccleſia*, *ab Adm. R. P. Magiſtro Benedicto Fideli noſtræ Provinciæ Siciliæ Commiſſario Generali elaboratum*, ut prælo mandari poſſit, facultatem facimus; dummodo Adm. R. P. Magiſter Joannes Alberghini Sanctiſſimæ Inquiſitionis in Regno Siciliæ Qualificator, & Adm. R. P. Magiſter Joannes Baptiſta Caramba, olim in publico Gymnaſio civitatis Catanenſis ſacræ Theologiæ profeſſor, quorum judicio approbandum & examinandum committimus, dignum quod in lucem edi poſſit, judicaverint.

In quorum fidem propria manu ſubſcripſimus, & noſtri officii ſigillo muniri juſſimus. Datum Panormi in noſtro Conventu S. Mariæ Miſericordiæ. Idibus Februarii Anno 1639.

F. Franciſcus Guaſtam Generalis.

Fr. Joannes Alberghini Profecretarius &c.

---

# APPROBATIO,

## Admodum R. Patris Magiſtri Ioannis Alberghini Provincialis Provinciæ Siciliæ, & Qualificatoris Tribunalis ſanctæ Inquiſitionis.

EX mandato Reverendiſſimi Patris F. Franciſci Guaſtamilii, Generalis Tertii Ordinis S. Franciſci, diligenter pervolvi & obſervavi ſacras Panegyres Sanctorum, quorum Feſta per annum celebrat Eccleſia, compoſitas ab Adm. R. P. Magiſtro Benedicto Fideli à S. Philippo Exprovinciali & Commiſſario hujus noſtræ Provinciæ Siciliæ Generali, eaſdemque non ſolum ſanctæ & Catholicæ Fidei noſtræ boniſque moribus conformes, verum etiam Chriſtianis doctrinis & Inſtructionibus refertiſſimas eſſe deprehendi, adeò ut in iiſdem & fideliſſimus P. Magiſtri Fidelis animus & ingenium, & mira ejuſdem facundia vivaciſſimæ exprimatur; Ingenioſè namque & ſingulari cum induſtria, de cujuslibet ſancti, quem commendandum ſuſcipit, geſtis & factis propriis, ſpecialis laudis argumenta; ſub demonſtrativo Orationis genere proſequitur, id quod in ſimili Concionum genere vel maximè deſideratur, & applauſum meretur. Quapropter cenſeo quod opus hoc præſens typis expreſſum, non minus quam alia ab eodem Authore in lucem edita opera, ceſſurum ſit ad majorem Dei honorem, ſanctorum ſuorum gloriam, magnamque dabit omnibus Prædicatoribus ſatisfactionem. Datum in noſtro Conventu Beatæ Virginis Mariæ Miſericordiæ Panormi 3. Maji Anno 1639.

Fr. Joannes Alberghini Provincialis Tertii Ordinis S. Franciſci in Provincia Siciliæ & Sanctæ Inquiſitionis Qualificator.

APPRO-

# APPROBATIO.

## Admodum R.P. Magiſtri Ioannis Baptiſtæ Caramba Lectoris ſacræ Theologiæ in generali ſtudio Vniverſitatis Cataniensis.

IVſſu Reverendiſſimi Patris noſtri Generalis attentè revidi ſacras ſanctorum Panegyres, quorum feſta per annum ſancta celebrat Eccleſia, à Patre Magiſtro Benedicto Fideli ingenioſe elaboratas. Parum eſt dicere illas ſanctæ & orthodoxæ Fidei Catholicæ, & bonis moribus conſentaneas eſſe atque conformes, id namque ipſomet Authoris nomine proditur. Potiùs hiſce Panegyricis novam quandam deberi Panegyrim dicerem, niſi illas à quibuslibet ſapientibus quavis Panegyri majores æſtimari probè ſcirem, & præterquam quod ad gloriæ ſuæ trophæum commendantis calami mei ſuſpenſio nihil conferret, utpote ad quod glorioſæ famæ ſuæ ſuſpenſa eſt tuba, evidens quoque ſtultitiæ argumentum foret, ſi nebularum meatum caligine & obſcuritate radiorum ſuorum ſplendorem augeri poſſe crederem.

Fr. Joannes Baptiſta Caramba.

---

## *CENSURA ORDINARII.*

*FEſta totius anni R.P. Benedictus Fidelis à S. Philippo Tertii Ordinis S. Franciſci Reg. Obſerv. Moralibus ſermonibus olim Italicè celebravit; quæ A R.P. Jacobus Emans S.T.D. FF. Ordin. B.V. Mariæ de Monte Carmeli Provinciæ Allemanniæ inferioris Provincialis non minori zelo in publicum bonum nunc latinè proponit. Cùmque ſanctorum cultum & venerationem ſingulariter promoveant, atque in nullo fidei Catholicæ aut bonis moribus adverſentur, non immeritò lucema ſpicere poterunt. Coloniæ, 26. Auguſti 1658.*

Adrianus de Walenburg Metrop. Eccleſ. Colonienſ. Presbyter Canonicus & Cenſor Libr. Ordin.

PANE-

# PANEGYRICVS XXVI.

## De S. Petro glorioſiſſimo Apoſtolorum Principe.

# THEMA.

Beatus es Simon Bariona. Matth. 16. v. 17.

# ARGVMENTVM.

*Præcipua admirabilium excellentiarum, quibus S. Petrus præ cæteris effulſit, cauſa, ingens amor quo præ cæteris Apoſtolis exarſit.*

VT anima Chriſtiana ad æternorum
verorumque honorum ſupremum
cœlum ſublimetur, nullum ipſo
Dei amore aptius congruentiusq;
adinveniri inſtrumentum potuit;
Quod S. Gregorius Magnus, apud
Hugonem Cardinalem in Pſal 24. probè ſciens,
Dei amorem cordis machinam appellare non
dubitant: *Machina cordis vis amoris. Sicut enim*, in-
quit Hugo Cardinalis ibid. *Machina elevat lapi-
dem sic amor lavat cor.* Adeoque ſicut ars mecha-
nica ad petras ſurſum elevandas, ingenioſas adin-
venit machinas, ita Deus ad homines ſubliman-
dos & dignificandos noſtrũ erga eum ardentem
conſtituit amorem. Sic enim hoc inſtrumento
utpote fortiſſimo & validiſſimo nobiliſſimam
petram illam, cui Chriſtianum ſuperædificatum
eſt ædificium, in ſublime valde evectam eſſe co-
ſpicimus, Petrum ſcilicet Apoſtolum cætero-
rum Apoſtolorum principem. Porro ad hoc ma-
gis conſpicue innuendum Chriſtus Dominus
noſter illum *Columbam* appellare voluit (eo ipſo
enim quo illum *Bariona*, hoc eſt *Filium Columbæ*
nominat, Columbam quoque cenſendus eſt ap-
pellaſſe) nimirum ut ſub hoc Columba Symbolo
illum veluti ſui amantiſſimum atque ob hunc
tantum amorem ſummè exaltatum, propone-
ret. *Columba* enim Symbolum eſt tam amantis,
teſte Pierio Valeriano, quam hominis ad ſubli-
mia evecti: *Columba* ſiquidem, ſi Varroni apud
Ethymologicon trilingue V. Columbæ, credi-
mus, à *culminibus* naſcitur, quia eminentiora lo-
ca petit. Porro ad Dei, ejuſque glorioſiſſimi A-
poſtoli gloriam, in hoc panegyrico inprimis in-
gentem Petri erga Chriſtum Deum & magi-
ſtrum ſuum, amorem; deinde vero eam qua ob
tantam amoris vehementiam dignus fuit exal-
tationem ſedulo perſcrutabimur.

2. Doctiſſimus Franciſcus Patriarcha calami-
tates quas infæliciſſimis temporibus ſuis ſancta
patiebatur Eccleſia, deſcripturus, Eclogã com-
poſuit, quam *Paſtorum Pathos* appellavit, in qua
unum ex interlocutoribus Pamphylum appella-
vit, quo nomine S. Petrum intelligebat Apoſto-
lum: *In Ecloga cui titulus eſt Paſtorum Pathos, intendit
deſcribere Statum Eccleſiæ, & ad hoc introducit Pam-
phylum per quem intelligit Petrum Apoſtolum*, inquit
certus quidam Eclogæ illius Commentator. At
vero cur obſecro Patriarcha S. Petrum *Pamphyli*
nomine appellare voluit? Quia nimirum illum
vehementem, viſceroſum ardentiſſimumque
eſſe ſciebat Chriſti magiſtri ſui amatorem. *Pam-*

*phylus* enim, uti eidem præfato Commentatori placet, *totus amans* interpretatur. Sanctus quippe Apoſtolus in omnibus & per omnia Dominum ſuum diligebat; Nihil in ipſo erat, nulla ſui pars, nullave potentia, quam in Dei non adhibuiſſet amorem. Ipſum namque ex tota anima, ex toto corde, ex omnibus viribus ardenter amabat præ quovis alio objecto ſeu bono creato, imo pluſquam ſemetipſum, Dei amore totus flagrabat, merus erat *Pamphylus*, totus *amans*.

3 Refert S. Matthæus cap 17 v.4. quod dum S. Petrus in Sanctorum Jacobi & Joannis ſocietate delitioſiſſimo admirabilis Transfigurationis Chriſti intereſſet ſpectaculo, tantum ex illa viſione gaudii & delectationis perceperit, ut in eodem loco perenniter commorari decreverit. Ideoque Chriſtum deprecatus fuerit, ut tria ibidem tabernacula fabricari permitteret, unum quidem Chriſto, alia vero duo Moyſi & Eliæ, qui ad viſionem iſtam miraculoſe concurrerant: *Domine bonum eſt nos hic eſſe, ſi vis faciamus hic tria tabernacula: tibi unum, Moyſi unum, & Eliæ unum.* Ubi obſervandum eſt quod non dicat: faciamus hic ſex tabernacula, *ſed tria tabernacula.* Cur ita? ex quo in mente illo ſex erant diſtincti homines, ipſe nimirum cum duobus aliis Apoſtolis qui cū ipſo erant, atque inſuper Chriſtus, Moyſes, & Elias, cur non dixit: faciamus ſex tabernacula, ſed *tria*? Fortene ipſe cum aliis condiſcipulis ſuis in monte illo omnis expers domicilii omnibuſque aeris injuriis, moleſtiis & incommoditatibus ſubjectus & expoſitus vivere volebat? S. Bernardinus Tom. 4. ſerm. 12. in principio reſpondet, Illum tria tantum non vero ſex tabernacula fabricari petiiſſe, eo quod in quovis tabernaculo binos & binos collocari prætenderit. Joannem nimirum in Eliæ tabernaculo eo quod velut alter quidem Elias vitæ contemplativæ vacaret: In tabernaculo vero Moyſis Jacobum, eo quod velut alter quidam Moyſes in vita exerceretur activa. Se vero ipſum in Chriſti tabernaculo cupiebat eſſe collocatum: *Volebat quod Ioannes contemplativus ſtaret cum Elia: & Iacobus activus ſtaret cum Moyſe, & ipſe ſtaret cum Chriſto in ſuo tabernaculo.* Ubi attendere oportet Petrum non Moyſi, aut Eliæ, ſed Chriſto conjungi voluiſſe, eo quod Chriſtum præ quovis alio homine viſceroſiſſime amando, ab eodem ſe dividi aut ſeparari minime ſuſtineret. Amor haud ſecus ac ignis *ſectionem refugit.* Uti in Emblematis illius Epigraphe legitur in Theſauro Conc. Poet. par. 1. in quo ad idipſum demonſtrandum pingebatur nōnemo flammam ignis in caſſum findere aut dividere tentans.

4. S. Petrus Apoſtolus Chriſtum ſuper aquas maris ambulantem cernens, ut idem Evangeliſta recenſet cap. 14 v. 28. ab eodem Domino ſuo gratiam eandem mare calcandi poſtulavit, ut ad ipſum venire eique obviam procedere poſſet dicens: *Domine ſi tu es jube me venire ad te ſuper aquas,* ob hoc fortaſſe primo intuitu arrogans nonnemini judicari poſſet & oſtentator, utpote qui cum non minus ac alii Chriſti navigio obviam procedere ſufficienter poterat, nihilominus ſine ulla neceſſitate per novas, inſolitas, ac miraculoſas vias eidem occurrere volebat. Verum enimvero verba iſta melius conſiderandi perſpicuum erit S. Petrum in hæc verba nequaquam erupiſſe ab arrogantiæ aut oſtentationis ſpiritu, ſed ex ardenti & vehementiſſimo quo erga Chriſtum ardebat amore inſtigatum. Petrus enim in hac petitione, non id ſolum intendebat, ut ſuper aquas ambulare poſſet (id enim oſtentationem aliquam arguere potuiſſet) ſed ſolidum ſibi ſuper aquas greſſum ideo indulgeri petebat, ut ſumma cum velocitate Chriſtum ab omni poſſibili ſollicitudine aſſequi poſſet, id quod ardentiſſimi affectus amoris erat. Attendendum namque eſt quod non dicat abſolute: *Iube me venire ſuper aquas,* ſed adjungit: *ad te jube me venire ad te ſuper aquas.* Quia enim præ omnibus aliis ſecum navigantibus Chriſtum ardentius amabat, hinc tanti amoris ſtimulis agitatus, illum quam velociſſime aſſequi deſiderabat, ideoque ſolidum ſibi per liquidas undas iter indulgeri petebat ſciens ſe velocius ſuper mare gradiendo, quam ſi navigio deportaretur bono ſuo ſumme dilecto non conjungi poſſe. *Ferventiſſima Petri erga Chriſtum charitas erat,* inquit Theophylactus in c. 14. Matth. *Deſiderabat enim ſtatim prope illum eſſe, & præ aliis. Non dixit autem: Iube me ire, ſed ad te ire. Illud oſtentationis eſt, hoc autem amoris in Chriſtum.*

5. Verum dicat forte aliquis, tametſi Apoſtolus in hac petitione, ut perſpicue jam vidimus, ſe vanæ gloriæ cupidum aut oſtentatorem minime oſtenderit, negare tamen nemo poterit quin hominem ſe arrogantem & temerarium in eadē probaverit, ſiquidem ultro citroq; & cæco quodam modo evidenti ſe obtulit mortis periculo, cum tamen ſi rationabiliter id à Chriſto petere voluiſſet potius ei conſiderandum prius fuerit, quod cum aquæ naturaliter liquidæ, fluidæ ac mobiles ſint, pedes ſuos illis committēdo ſuffocandus

candus

candus eſſet & ſubmergendus, ideoq; Chriſtum potius in navi ſua, ad quam Chriſtus greſſus ſuos direxiſſe videbatur, præſtolari cum aliis diſcipulis debuerit. Neque ad calcandas pedibus ſuis aquas, Domini ſui animandus erat exemplo, ſcire namque debebat; quod cum omnia creata Chriſto tanquam vero & univerſali Domino obediant, ad illiuſque imperium innatas ſibi immutent proprietates, adeo ut aquæ veluti vitrũ ſolidum indurentur, eadem, ob primi hominis culpam, homini nequaquam pareant ſed potius adverſus eum ſe tanquam rebellia erigant. Hoc tamen non obſtante dico, quod ſicut Apoſtolorum primicerius in hocce facto nequaquam ſe vanum exhibuit oſtentatorem, ita quoque in eodem minime repræhendendus ſit tanquam arrogans & temerarius, ſed potius velut ardentiſſimus Chriſti Domini ſui amator laudandus. Quis enim adeo eſt rerũ inexpertus, qui neſciat quod amor minime permittat amanti, ut in actionibus amoroſis ad quodvis occurrens etiam ipſiusmet mortis attendat periculum? In Gen. c. 42. v. 48. Sacer Codex refert quod licet Jacob Patriarcha ad depellendum à ſe & univerſa familia ſua imminens ſibi ex fame mortis periculum, filios ſuos in Ægyptum frumenti annonam comparaturos mittere cogeretur, ne tamen una cum illis dilectum ſibi pignus filium ſuum Beniamin (quem filii ſui Regni præfecto adducere promiſerant) ablegaret, cæteros quoque filios in Ægyptum nequaquam remittere decreverat. Adeo enim ingens erat Patriarchæ erga Beniamin filium ſuum affectus, ut ne ad modicum quidem tempus ſe ab eo divelli aut ſeparari poſſe exſtimaret. Cur obſecro bonus hic decrepituſque ſeniculus, in evidenti fame moriendi periculo cum univerſa familia ſua conſtitutus, huic non reſiſtebat affectui, & Beniamin filium una cum reliquis filiis ſuis in Ægyptum abire patiebatur? Nimirum quia imminens ſibi periculum minime videbat, quod ſi enim præſentaneum famis malum videre & appræhendere potuiſſet, utiq; filio ſuo Beniamin abeundi impertitus fuiſſet facultatem. Amor quo erga Beniamin ardebat, nequaquam illi permittebat, ut periculum in quo hærebat, attendere aut conſiderare poſſet, inquit Hieronymus Oleaſter in cap. 42 Geneſ. *Amor impediebat ſenem, ne malum, quod ſibi imminebat attendere.* In actionibus ab amore elicitis aut imperatis cæcus eſt amator, non reſpicit malum, neque ac imminens periculum attendit. Adeo ardens erat in Petro voluntatis affectus, adeoque vehemens in corde ejus erat ſeſe cum Chriſto ſummo bono ſuo cum omni poſſibili velocitate conjungendi & uniendi deſiderium, ut velut alter quidam Jacob oblitus prorſus fuerit manifeſti mortis periculi, cui aquis inambulando ſe exponebat. *In tantum deſiderabat ſocietatem Chriſti,* inquit Nicolaus Lyranus in c. 14. Matth. *quod nolebat expectare adventum ejus uſque ad navem: ſed volebat occurrere ſuper aquas, oblitus præ amore Chriſti aquæ periculum.*

6. Noſtiſne qua de cauſa Poetæ veteres amorem veluti cæcum deſcripſerint? Ratio illius hæc eſt inquit Boccatius lib. 9 Geneal. c. 4. *Ut advertamus amantes ignorare quo tendant.* Amans dum affectu ſuo in rem tendit amatam, adeo illam ſolam ſpectat, ut ad quamvis rem aliam, quæ occurrere poſſit prorſus ſit cæcus: Non reſpicit malum, non labores, neque ipſiusmet etiam mortis propriæ forte obvium periculum. *Amor cum periculis ſæpe concordat, & dum ad illud ſolum natat, quod diligit nunquam videt quod expedit,* inquit Fulgentius in ſua Mytholog. in Fabulæ de Leandro & Nerone allegoria. S. Petrus oculos ſuos in æternum & incommutabile Domini ſui bonum adeo fortiter habebat defixos, ut dum illi ſuper maris undas ambulans obviam procederet, nec maris conſideraverit undas, nec ventum, aut ſubmergendi attenderit periculum. *Ambulabat enim in mari Petrus, magis dilectione, quam pedibus: non enim videbat ubi pedum veſtigium poneret, videbat autem ubi poneret veſtigium Charitatis. In mari enim poſitus conſiderat Dominum, & amore ejus ductus aſcendit in mare: non cogitat labentes aquas, non fluenta currentia; & dum Chriſtum reſpicit, non reſpicit elementum,* inquit S. Ambroſius ſerm. de Cathedra S. Petri. Petrus igitur hoc facto non ſolum ſe Chriſti probavit amatorem, verum ſe præ cæteris Apoſtolis ardentius oſtendit amantem. Quod enim alii Apoſtoli nequaquam uti Petrus deſcenderint, manifeſte indicat, quod dum mare ipſum tum maris appræhenderint periculum, & conſequenter Chriſtũ non tanto dilexerint charitatis ardore. Quod ſi enim Chriſtum, uti Petrus, dilexiſſent, utique tam maris periculum non vidiſſent aut conſideraſſent, aut certe cum S. Petro ſuper maris undas progreſſuri in mare ſe dimiſiſſent.

7. Enimvero quod ſi etiam dicere velimus Petrum ſatis evidenter manifeſtum, cui ſe committebat proſpexiſſe periculum, mare nimirum

procelloſum, ventorum furiam, aquarumque conſideraſſe inſtabilitatem, quæ non eo modo quò Chriſti veſtigiis cedebant, ſuis quoque plantis ceſſuræ erant, non tamen ob hoc, dum ſe nihilominus mari committere videtur, ullius eſt arguendus temeritatis, utpote qui iter illud ſuper maris unda; nequaquam ſuſpendere aut intermittere valebat. Vis ſcire cur iter illud non potuerit differre aut ſuſpendere? Ob vehementiam ardoris quo erga Chriſtum flagrabat. Affectus enim ſuis, ſuumque deſiderium aſſequendi bonum ſuum tantopere amatum, ſeque cum illo uniendi adeo ingens erat, ut tametſi ſibi ob hoc moriendum eſſe ſciret, potius mori, quam viæ illius ſuper aquas maris proſecutionem ſuſpendere voluiſſet. *Non timuit ſingularem Elementi moleſtia; & pelagi ſævientis undoſitas, affectum Apoſtoli retinere non potuit*, inquit S. Petrus Damianus ſer. 26. Nunquid igitur tremendum quod paſſurus erat Martyriorum mare, Crux, mors, atroceſq; à crudeliſſimo Nerone infligendæ pœnæ magnum ardentemque hunc Dei amatorem impedire potuerunt, quo minus in cælum ſeſe cum deſideratiſſimo bono ſuo quod ibidem ad æternas nuptias concelebrandas lætus expectabat, conjuncturus aſcenderet?

8. Refert S. Matthæus c. 26 v. 11. quod mox, ut Lectores & milites in hortum Gethſemani ad Chriſtum ligandum & in vituperoſam crucis mortem cogendum penetrarunt, unicus duntaxat Petrus, inter omnes qui cum Domino erant, fortem ſe ac generoſum Chriſti probaverit defenſorem ſtrictoque gladio lictori cuidam ſummi Pontificis ſervo, cui nomen Malchus erat detruncaverit auriculam. *Extendens manum exemit gladium, & percutiens ſervum Pontificis Sacerdotum, amputavit auriculam ejus.* Equidem exiſtimo omnino Petrum ſibi in mente ſua firmiter ſtatuiſſe perfidi hujus hominis caput in duas utrimque partes ſecare, eumque occidere, ex errore vero ob ictum nimis brevem accidiſſe, ut amputata fuerit ejus auricula. Verum quidnam Apoſtolum ad hoc permovit, ut quod reliquorum Apoſtolorũ nullus aggredi auſus fuit, ſolus ipſe perficere præſumpſerit? Amor ſolus, quo Chriſtum præ reliquis Apoſtolis tenere diligebat. Quia enim præ omnibus aliis ardentius illũ amabat, ideo præ cæteris maxime timebat, ne Chriſto ad mortem adjudicato ab eo quem adeo fortiter amabat divelli & ſeparari oporteret; Unde quia ex illa ſeparatione ſecuturam pœnam ſuſtinere ſe poſſe diffidebat, unum è ſatellitibus occidere ſtatuit, futurum credens, ut alii generoſo hoc Apoſtoli auſu, & morte unici illius perterrefacti retrocederent, atque à temerario iſthoc facinore ſubito deſiſterent, ipſeque hac ratione perpetuum ſibi cum Chriſto conſervaret conſortium: *Malchi aurem amputavit*, inquit S. Cyrillus Alexandrinus Lib. 10. in Joan. cap. 64. *Putans hoc modo ſe magiſtro ſuo ſemper inhæſurum.* Hanc itaque amoris vehementiam, qua Petrus erga Chriſtum æſtuabat, reliquorum Apoſtolorum nemo aſſequi potuit.

9. Porro in hoc facto obſervandum, quod licet alii Apoſtoli S. Luca cap. 22. v. 49. teſte, Dominum quoque ſuum armis tueri cum Petro parati fuerint, nihil tamẽ aggredi præſumpſerint, niſi petita prius deſuper a Chriſto licentia; Unde dicebant: *Domini ſi percutimus in gladio?* hoc eſt Dabiſne nobis ô Domine ſordidum hunc abominabilemq; ſcurram ſtricto gladio aggrediendi & conficiendi licentiam? S. Petrus autem licentia nequaquam petita, nec expectato reſponſo gladium ſuum ſtrinxit, Malchumque percuſſit. Cur obſecro non prius licentiam popoſcit, neque ut fecerant alii Apoſtoli reſponſum eſt præſtolatus: *Quia Chriſtum plus aliis amabat*, inquit Doctor Seraphicus in cap. 22. Lucæ. *Petrus adeo fervebat, quod nec quæſivit, nec reſponſionem expectavit.* Amans in exhibendis perſonæ amatæ ſervitiis omnem quantumvis modicam moram exoſam habet. Unde ob miram ſollicitudinem qua in negotiis amoroſis uti conſuevimus, amor velut alis inſtructus depingitur. *Ob eam cauſam Philoſophi*, ut ſcribit Cyprianus Monachus in c. 1. Cant. *amorem alatam finxere, quod in actionibus amatoriis mira ſit præditus agilitate.*

10. Chriſtus Dominus noſter die quadam in Apoſtolorum ſuorum ſocietate conſtitutus, quendam de Paſſione & morte, quam ex perfidorum Judæorum, & Principum Sacerdotum invidia Jeroſolymis paſſurus erat, ſermonem inſtituit: *Cœpit Ieſus oſtendere diſcipulis ſuis, quia oportet eum ire Ieroſolymam, & multa pati à ſenioribus, & Scribis, & Principibus Sacerdotum, & occidi, & tertia die reſurgere*, inquit S. Matthæus cap. 16. v. 21. Et ſubjungit Petrum hiſce auditis Chriſto ſeorſim ab aliis abducto dixiſſe: *Abſit à te Domine non erit tibi hoc.* Porro tametſi Petrus Chriſtum hiſce verbis alloquens, eidemque paſſionem ſuam, totiusq; mundi redemptionem ob quam de cælo in terram venerat diſſuadens, male fecerit, ideoq;

à Chriſto ſeverè repræhenſus fuerit, compaſſione tamen pariter & excuſatione dignus merito videtur. Quicquid enim ei dixerat, ardentiſſimo quo erga Chriſtum ferebatur amore adactus locutus fuerat, utpote qui ſe nequaquam ſuſtinere poſſe putabat, ut eum quem ardentiſſime diligebat, truculentis adeo pœnis & ſuppliciis videret confectum & occiſum. *Ex nimio enim ardore dilectionis hoc dixit.* inquit Hugo de S. Victore Tit. 1. in Joan. *Ex ardore enim dilectionis, non ſuſtinebat audire mortem ejus.* Quia igitur inter omnes Apoſtolos qui huic diſcurſui præſentes aderant, prædictaque Chriſti verba audiebant, in ſupradicta verba prorupetit, hinc facile eſt colligere eundem quoque præ omnibus aliis Chriſtum dilexiſſe. Quodſi enim alii quoque diſcipuli Chriſtum eodem proſecuti fuiſſent dilectionis ardore utique ex auditu mortis & paſſionis Domini ſui haud ſecus ac Petrus doluiſſent, iiſdemque Chriſtum verbis allocuti fuiſſent, nullam hac in re metuentes cum Petro repræhenſionem.

11. Attendatis obſecro illum Joan. 13. v. 23. locum, ubi refertur quod poſtquam Chriſtus cænando cum Apoſtolis, iiſdem horrendum proditionis ſui crimen quod unus eorum ipſum vendendo, atque inverecunde in Crucem ageretur & crucifigeretur, in crudeliſſimorum inimicorum ſuorum manus conſignando moliebatur declaraſſet, S. Petrus cupidus ſciendi, quiſnam infamis ille traditor eſſet, S. Joanni Chriſto proxime aſſidenti annuerit, ut in crimen iſtud curioſius inquireret idemque exploraret: *Erat unus recumbens ex diſcipulis in ſinu Jeſu; innuit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei: Quis eſt de quo dicit?* Porro informatus de hoc crimine Joannes per intincti panis ſignum cognovit quidem quiſnam traditor ille eſſe, id tamen Petro nequaquam revelandum eſſe duxit. Cur obſecro id quod ad Petri inſtantiam reſcivit eidem Petro revelare detrectavit? Quia nimirum Chriſtus Petrum id ulla ratione experiri expreſſe noluit: nam uti cum S. Auguſtin. Doct. Seraphicus D. Bonavent. Lib. de vita Chriſti cap. 73. inquit: *Quod ſi S. Petrus proditorem illum explorare potuiſſet dentibus ſuis illum utique dilaniaſſet: Si ipſum Petrus ſciviſſet, dentibus proditorem diſcerpſiſſet.* Adeo enim ingens Petri erga Chriſtum amor erat, ut ſcelus tam enorme ſine vindicta diſſimulare non valens, ſi criminis illius cognoviſſet authorem, illum utique manibus ſuis propriis interemiſſet. *Ideo Petrus eſt ſollicitus in hac reſcitanda*, inquit Michaël de Palatio in cap. 13. Joannis, *Ut poſtquam reſciviſſet proditorem occidiſſet, erat enim fervidus Chriſti amator.* In quo facto Petrus etiam majorem ſuum erga Chriſtum patefecit amorem præ omnibus Apoſtolis reliquis, quando de Domini offenſa, ſe dolentem magis, magiſque indignantem exhibuit.

12. Amor Petri erga Dominum ſuum prorſus eſt inexplicabilis, uti ex ſequenti loco patebit: Poſtquam Chriſtus ad perennandam humanam vitam, propriam ſuam carnem in cibum & ſanguinem in potum hominibus promiſiſſet Joan. 6. v. 69. multique ex hac tam munifica pollicitatione ſcandalizati, abitum ab ipſo meditarentur, mox ad Apoſtolos, qui ſoli cum ipſo remanſerant, converſus, eoſdem, nunquid etiam aliorum exemplo abituri eſſent, interrogavit: Cui Petrus magna animi promptitudine reſpondit: *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* quid Quonam nos recipiemus, ſi tuam deſeramus ſocietatem? Quonam noſtrum capiemus refugium? Merito hic nonnemo S. Petro reſpondere potuiſſet: Itane? Ergone poſſibile eſt, ut homo probus & juſtus, qualis Petrus erat, poſt relictam Chriſti ſocietatem nec locum, nec hominem inveniat ad quem ſolatii vel opis ferendæ cauſa confugere poſſit? Etenim quod ſi mundus, utpote bonorum perſecutor, & juratus hoſtis ipſum detrectat ſuſcipere, certe cælum quod ſanctis ſemper eſt apertum & patulum, illi ope & præſidio ſuo defuturum non erat. Cur igitur dicit: *Ad quem ibimus?* Si non deſint loca ad quæ tuto confugere poſſit? Enimvero quantum conjectura aſſequi poſſum, optime dixit, quod pro ſui refugio nec locum ſciret nec hominem, quia ardentiſſime Chriſtum amabat. Adeo namq; qui amas à re dependet amata, ut extra illam nullum in toto mundo bonum, quod ſperare poſſit, ſupereſſe ſibi videatur objecto deſtitutus amato, ſine anima, ſine vita ſibi degere videtur. Id quod in Dei amatoribus magis liquet, qui ſummo quod amant bono orbati omnibus deſiderabilibus deſtituti videntur, adeo ut pro eorum conſolatione nihil ſupereſſe reliquum videatur. Petri igitur erga Chriſtum ardentiſſimus amor talis ac tantus erat, inquit Chryſoſtomus Hom. 5. in Epiſt. ad Romanos ut Chriſtus ei vita ſua, anima ſua, omneq; bonum ſuum eſſe videretur, illumque non terrenis tantum ac mundanis bonis, ſed & ipſimet præferret Paradiſo. Ecce ipſiſſima oris aurei verba: *Audis ut Petrus illius amore uſtus ardeat, & anima, & vita, & omnibus rebus il-*

*lum anteponens. Omnia enim ipſe illi erat, & neque cœlorum regnum ipſi præferebat.*

13. Poſtquam S. Petrus uti referunt Sacri Evangeliſtæ à perverſa quodam ſummi ſacerdotis ancilla oſtiaria perterrefactus, trina Chriſtum vice pernegavit, ſuamque culpam ad galli cantum divinæ gratiæ præſidio cognovit, è palatio foras egreſſus, amariſſimo commiſſum errorem planctu expiavit. Matth. 26. v. 75. *Egreſſus foras flevit amarè*, imo quoadusque vixit in more valde ſolemni habuit, ut omni nocte ad primum galli cantum electo ſurgens, oraret, & ad auroram uſque eundem prædictum errorem amariſſime deplangeret. *Ex tunc Petrus contraxit in conſuetudinem, ut à primo gallorum cantu uſque ad horam matutinam ſtaret flens iſtam negationem*, inquit Nicolaus Lyranus in cap. 26. Matth. ex S. Clemente in ſuo itinerario. Enimvero quis cauſam enarrabit nobis ob quam S. Petrus tanto tamque prolixo tempore peccatum ſuum defleverit? Dicat forte aliquis cauſam diuturni illius fletus nemini potuiſſe eſſe ignotam, ideo enim tanto tamq; longo tempore flevit, quia videlicet uno eodemque tempore quo in cœlo erat, in inferno quoque conſtitutum ſe eſſe vidit, id eſt, in ſtatu adeo miſerabili ac deplorando, qui non ſolum diuturnis à ſemetipſo lachrimis defleri, verum etiam ab ipſis quoque ſaxis deplorari merebatur. Verum huic ego reſpondeo, non eſſe hanc genuinam tam diuturni planctus ſui rationem, ſed potius quia illum offenderat, pluſquam ſemetipſum, pluſquam animam ſuam, aut aliam rem quamcunque ardentiſſimè amabat. Utique libentiſſimè renuntiaſſet cælo, infernalique ſe immerſiſſet incendio, dummodo ſummum bonum ſuum nunquam defendiſſet. *Dum Chriſtum abnegaſſet*, inquit Chryſoſtomus ibid. *non ob ſupplicium luxit, ſed quem amabat eum abnegaſſe ſe videret.* Hiſtoriæ Lambardicæ author ſcribit, uſitatiſſimum ipſi fuiſſe ſudarium in ſino ſuo ſecum ferre, quo cum lachrimas curſu continuo ab ejus oculis per diem quoties dulcium verborum quibus illum allocutus Chriſtus Dominus fuerat, nec non gratæ Magiſtri ſui præſentiæ recordabatur, defluentes detergeret. *Fertur quod in ſinu ſuo ſudarium portabat, quo crebro fluentes Lachrymas tergebat: quia quando dulcis allocutionis & præſentiæ Domini memor erat, præ nimia amoris dulcedine lachrymas continere non poterat.* Hæ igitur, tam copioſæ, frequentes, & diuturnæ lachrimæ ardentiſsimi amoris quo Petrus erga Chriſtum flagrabat, teſtes erant. *Lachrimæ teſtes ſunt amoris*, inquit S. Bernardus Serm. 10. in Cant. *Vulnerati cordis lachrimæ ſunt ſigna*, inquit Gilebertus Abbas Serm. 30. in Cant. Oculi non planguntnisi ferveant:

*Rorant Lachrimis lumina fervida.*

Dicebat quondam ille Conradus Celt. Ger. Cum igitur lachrimæ vultum ejus ardore & quaſi exuri fecerint (*Facies ejus ex Lachrimis videbatur quaſi exuſta*, inquit Dionyſ. Carthuſ. in Lucam) è corde quodam egreſſæ & derivatæ fuiſſe videntur, quod velut caldaria ſeu lebes quidam magno igni ſuperimpoſita fortiter bullire videbatur.

14. An dubitas de quonam Moyſes Deuteron 32. cap. v. 33. loquitur, quando dicit: *Fel draconum vinum eorum?* q.d. Vinum ipſorum palato meo haud ſecus ac venenum & amariſsimum fel quoddam ſapit: de vero loquitur Dei amatore: verus namq; ardenſq; Dei amator gaudia mundanorum haud aliter ac fel amariſsimum & mortale quoddam venenum abominatur, inquit Richardus de S. Victore Lib. 4. de Laudibus B. Mariæ: *Qui enim dulciter Deum amat, omnem carnalem dulcedinem venenum, ſicut vere eſt reputat, dicens de amatoribus voluptatis. Fel. Draconum vinum eorum*, Hebræi namque ſecundum Cyprianum Monachum in cap. 1 Canticorum, per vinum mundana gaudia intelligunt: *Hebræis vinum omnegenus oblectamenti & voluptatis ſignificat.* Quis non videt quod talis vita, qualis eſt vita S. Petri Apoſtoli in continuis nimirum traducta lachrimis, vera ſit carnalium delitiarum abominatrix? Non minus enim devotæ lachrimæ mundanis repugnant voluptatibus, quam calidum frigido, ſiccum humido, ignis aquæ, lux tenebris, aut Paradiſus inferno. Certè niſi Petrus magnus, fuiſſet ſimilium delitiarum contemptor, nequaquam eos qui illas tantopere ſectantur tanto cum rigore repræhendiſſet; Non eis 1. Petri 1. v. 6. dixiſſet: *In quo exultabitis modicum nunc ſi oportet contriſtari in variis tentationibus?* Procul à menſa ſua aberant alaudæ, perdices, capones, piſces, quibus tot hodie Prælati ſucceſſores ſui menſas ſuas onerant. De cibo ſuo interrogatus apud Vincentium ſerm. de S. Petro, reſpondit: *Cibus quotidianus eſt panis cum olivis, raro cum oleribus.* Cum igitur S. Petrus tantū ſe exhibuerit terrenarum delitiarum abominatorem, neceſſum eſt

ut il-

ut illum ardentem quoque Dei amatorem fuiſſe nobis perſuadeamus, nam ut inquit Richardus ubi ſupra: *Qui dulciter Deum amat, omnem carnalem dulcedinem venenum reputat.*

15. S. Lucas Actorum 12. v.3. & ſequentibus refert, quod dum Herodes ut Judæis adverſus Chriſti Apoſtolos ſævientibus placeret, S. Petrum catenis onuſtum & vinctum incarceraſſet, atque ad præcludendum ei omne fugæ præſidium carcerem ejus exquiſita ſed eum militum cuſtodia muniviſſet, duobus aliis pro majori captæ prædæ continendæ ſecuritate ad utrumque latus ejus donec die poſtero morte plectendus educeretur ordinatis, S. Petrus haud ſecus ac ſi in proprio lecto ſuo ſuaviter quieviſſet adeo profunde dormierit, ut pro ejus expergefactione opus fuerit illum ab angelo forti quadam lateris alliſione contundi & percuti: *Cum apprehendiſſet Petrum, miſit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum cuſtodiendum. Cum autem producturus eum eſſet Herodes, in ipſa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus & cuſtodes ante oſtium cuſtodiebant carcerem.* Profunda certe conſideratione dignum eſt quod in ſimili periculo conſtitutus Apoſtolus ſomnum capere potuerit. Quomodo enim in tam evidenti dormire periculo poterat? Quomodo oculi propoſita ſibi morte claudi valebant? Qua ratione quieſcere poterat corpus ſui ab anima diviſionem paucas inter horas operiens? Unde tantus Apoſtolo natus eſt animus, ut Tyranni iram, populi furorem, ſupplicium carceris, ponderoſiſſimarum catenarum onus vicinamque ſibi mortem adeo flocci faceret, ut altum adeo dormire & ſtertere potuerit? Nimirum nullum Apoſtolus malum curabat, quia ardentiſſimus Dei amator erat. Quiſquis Deum vere diligit, quodvis ſibi obvium malum, ſive ab hujus mundi hominibus ſive ab Inferni Dæmonibus illatum contemnit, atque in quovis periculo ſecurus, in quacunque anguſtia impavidus, in ipſiuſmet mortis conſpectu ſuaviter dormit. Audite S. Bernardinum part.2. ſerm 3 Art.1 cap.1. hac de re hiſce verbis loquentem: *Propterea virtus charitatis omnipotens eſt, qua ſuffulti milites Chriſti impavide certant, mediis periculis incedunt tutiſſimi, nec Dæmones, nec homines metuentes, ſed ſecurus quiſque inter ſun lentium unde que hoſtium fulgurantes haſtas, & volitantia ſpicula cum charitate dormitat.*

16. Chriſtus Joan. 21. v.15. poſt Reſurrectionem ſuam, amoris Petri erga ſe magnitudinem ex ingenti ſui appretiatione toti mundo demonſtrare volens, eidem dixit: *Simon Joannis diligis me plus his?* Cui Petrus prompte reſpondit: *Tu ſcis Domine quia amo te* ubi obſervandum quod Chriſtus Petri erga ſe amorem declaraturus verbo *diligere* utatur, Petrus vero verbo *diligere* uti noluerit. Chriſtus enim ei dicit: *Diligis me*, cui Petrus, *Amo te* reſpondet. Cur obſecro Petrus non reſpondet eodem verbo, quo à Chriſto fuerat interrogatus, ſed prorſus alio? Pro hujus myſterii intelligentia, notare oportet, quod tametſi hæc duo verba *Diligere & amare* ſynonima eſſe videantur, haud modica tamen inter utrumque differentia intercedit: *Diligere* enim *parum amare* ſignificat, *amare* vero idem eſt quod *multum diligere*. Differentia iſthæc ex verbis à Cicerone ad Dolabellam ſcriptis perſpicuè intelligitur: *Tantum ad amorem acceſſit ut mihi nunc amare videar, antea dilexiſſe.* Quia igitur Petrus Chriſtum tanta diligebat amoris vehementia, ad quantam vires humanæ divina gratia adjutæ extendere ſe poterant, ideo non per verbum *diligere* ſed per verbum *amare* reſpondere voluit, quaſi dicere voluiſſet: Tu quidem amoris mei magnitudinem noſti, verum pro majori gloria tua totus tecum mundus ſciat, quod plus te amem, tibiq; ardentius afficiar, quam cuivis alteri bono creato, magis denique te amem quam vitam & animam meam, imo quam memetipſum. Notum ſit omnibus quod accenſa quædam ſim fornax, ſeu ardens quidam caminus & alia quædam Æthna myſtica, inextinguibili erga amabiliſſimam perſonam tuam amore plena. *Tu ſcis Domine quia ego amo te.*

17. Cauſaſne ſcire cupitis ob quas licet Neronis carnifices Apoſtolum more conſueto capite ſurſum, pedibus vero deorſum poſitis crucifigere voluerint, ipſe tamen poſtea crucifixus fuerit capite deorſum, pedibus vero ſurſum in ſublime erectis? Dicere equidem inprimis poſſem, id factum eſſe ad demonſtrandum quòd in S. Petro noſtræ conſiſtat fidei ſtabilitas: An non videtis ipſum veram quandam per Crucifixionis ſuæ formam anchoram repræſentare? Vere & proprie S. Petrus anchora quædam fuit, adeo enim ſolide per fidem ſuam quaſi per anchoram quandam Sanctæ Eccleſiæ navim fundavit, ſtabilivit, & firmavit, ut nec univerſus etiam infernus, omni poſſibili furore armatus, illam conquaſſare ſeu mergere poſſit: Unde Matth. 16. v.18. Chriſtus ei dixit: *Tu es Petrus, & ſuper*

*hanc*

*hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Chriſtus eum non ſine myſterio *Petrum* vocare voluit, quod nomē latino ſermone *ſtabilis* interpretatur. Adeo namque firmus & ſtabilis extitit, ut totum mundum in vera Chriſti fide fundare & ſtabilire potuerit.

18. Aut verò ne à propoſito mihi ſcopo digrediar, dici poteſt id factum eſſe ad demonſtrandum affectum ſuorum erga Chriſtum puritatem & ſynceritatem. Pedes enim Sanctorum Symbolum ſunt affectuum quos habent (*Pedes ſanctorum, ſuorum ſunt affectus.* inquit Gregorius lib. 1. in 1. Reg. cap. 2.) qui in *pectore D. Petri*, in quantum erga dilectum Magiſtrum ſuum ferebantur ab omni mundana & mortali inclinatione ſpoliati & nudi erant (unde à Chriſto dictus eſt *Petrus*, quòd etiam *diſcalcians* interpretatur) quia ut inquit author Hiſtoriæ Lombardicæ n. 84. *Pedes affectuum ſuorum in omni tempore mortuo & terreno diſcalceavit, cum dixit: Ecce nos reliquimus omnia.* Moriens cælum verſus erigi voluit, quaſi ſuiergga dilectum ſuum amoris integritatem demonſtraturus, eidem dixiſſet: Vide ô ſummum bonū meum puritatem & ſynceritatem amoris mei erga te, quem tanto ardore amavi etiamnum amo, ut nihil ſit mortale & terrenum quod ſe vel minimum in corde meo locum habuiſſe, aut in aliquam poſt ſe mundanam inclinationē rapuiſſe gloriari poſſit. En alteram rationem ob quam D. Petrus pedibus ſurſum erectis mori voluerit.

19. Aut vero hunc in modum mori voluit, ut moriens bonum ſuum ſumme dilectum poſſet reſpicere. Sicut enim Chriſtus ardentiſſimus amator noſter in Cruce capite in ſublime collocato mori voluit, ut nos dilectos ſuos qui deorſim in terra conſtituti eramus, reſpiceret. Ita Petrus capite deorſum poſito mori voluit, ut Chriſtum qui ſurſum in cælo erat, conſiderare & contemplari poſſet. Oculi amantis ab eo quod amant, divelli minimè poſſunt; *Vbi amor ibi oculi*, inquit Richardus à S. Laurentio lib. 4. de laudibus B. Mariæ. O ardentiſſimum & viſceroſiſſimum amatorem, qui ne quidem modico illo tempore quo moriebatur, continere ſe potuit, quin bonum ſuum vehementiſſime dilectum reſpiceret.

20. Denique ſic mori voluit, ut omni cum poſſibili velocitate in cælum pertingere, & Chriſto quem ardenter adeo amabat, uniri & conjungi poſſet. S. Maximus ſerm. in Natal. SS. Petri & Pauli docet, Petrum modo è diametro contrario illi quo crucifixus eſt Chriſtus, in crucem agi voluiſſe ex motivo humilitatis, ne ſcilicet Chriſto æqualis haberetur: *Petrus dum ad Crucem tanquam diſcipulus crucifixi duceretur, verſo ſe preſens corpore crucifigi voluit, ut æqualitatem Crucis Dominicæ declinaret.* Et S. Ambroſius in Pſal 188. lect. 21. inquit: *Tantum Chriſti gloriæ dedit, ut inverſis Chriſtum honoraret veſtigiis: metuens ne ſi ea ſpecie crucifixus eſſet qua Dominus, affectaſſe gloriam Domini videretur.* Dicat fortè aliquis: Quænam erat Petro in illa hora humilitatis neceſſitas? Magna per omnem modum. Quia enim ſumma cum velocitate in cælum pertingere & Chriſto tam ardenter à ſe dilecto conjungi arctiſſime cupiebat, alia vero ex parte non ignorabat humilitatem compendioſiſſimum in cælum iter ſternere, crucifigi modo, crucifixioni Chriſti contrario, & humiliari voluit: *Figitur ergo manus ſubter, ſola verſus in cacumen planta, noverat enim ex humilitatum citius ſolere adiri*, inquit Rupertus Abbas lib. 1. de operibus ſpiritus ſancti de fortit. cap. 10.

21. Hactenus vehementem S. Petri Apoſtoli erga Chriſtum amorem perſpeximus, nunc ut ejus exaltationem, quam ob tantum amorem apud Deum ſibi conciliavit, nonnihil conſideremus neceſſum eſt. Neque enim non magnus eſſe non poterat Apoſtolus, quando tam ardenter Chriſtum amabat. S. Lucas refert quod cum Zachæus Chriſtum videre deſiderans, ob populi ipſum ambientis turbam & ob ſtaturæ modicitatem id aſſequi non poſſet, deſiderio tamen ſuo ſatisfacturus in arborem aſcenderit, Luc. 19. v. 2. *Vir nomine Zachæus, quærebat videre Ieſum, quis eſſet, & non poterat præ turba quia ſtatura puſillus erat: Et præcurrens aſcendit in arborem ſycomorum, ut videret eum.* Circa quem locum S. Ambroſius quærit Quamobrem Zachæus ſtatura puſillus fuerit? Et reſpondet, illum brevis ſtaturæ fuiſſe deſcribit, eo quod Chriſtum nondum vidiſſet; ad eum namq; modum quo Joannes Baptiſta magnus fuiſſe deſcribitur, quia Chriſtum viderat, ita quia Zachæus hac gratia videndi Chriſtum potitus nondum fuerat, parvus erat. *Zachæus nondum viderat Chriſtum, merito adhuc puſillus: Ioannes autem magnus, quia Chriſtum vidit.* Quia igitur S. Petrus non corporali tantum, verum etiam cordis & amoris oculo Chriſtum continuo videbat (neque enim qui amat aliud quam objectum reſpicit amatum: *Vbi amor ibi oculus*, inquit Richardus à S. Laurentio ubi ſupra) ideo non poterat eſſe non maximus.

22. Nunquid aliquando cupidi fuiſtis veram cauſam ſcire ob quam Chriſtus glorioſo Trans- figurationis ſuæ ſpectaculo, in quo Paradiſus in terra vere appruiſſe dici poteſt, una cum Jaco- bo & Joanne Petrum quoque adhibere volue- rit? *Aſſumpſit Jeſus Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelſum ſeor- ſum & transfiguratus eſt ante eos.* inquit S Matth. cap 17. v. 1. Vera hujus cauſa hæc eſt, quia nimirum Petrus ardentiſsimus erat Chriſti amator: Aſ- ſumpſit Petrum tanquam eum qui diligebat, in- quit Theophylactus in cap 9. Marci. Egit hac in re Chriſtus ad eum modum, quo ſponſa agere ſolet, quæ nonnunquam ut à ſponſo ſuo arden- tius ametur, ſe illi ſolito elegantiorem comptio- remque, pretioſioribuſque veſtibus ornatam con- ſpiciendam præbet. Sic cum Deus in cælo ſe in- finita pulchritudine conſpicuum uniuſcujuſque beati oculis conſpiciendum objicit, aliud nihil dicere videtur, quam Ama me. *Ibi Deus propter admirabilem pulchritudinem, & inflammativum de- cerem atque amorem ſemper per ſaſti evidentiam cui- libet beato clamat, Dilige me;* inquit S. Bernardinus p. 1 ſerm. 66 Art 1. c. Ita quoque cum in monte Thabor ineffabili novæ & extraordinariæ pul- chritudinis lumine circumdatus fuit, adeo ut ſi- milis viſa nunquam in terra fuerit pulchritudo, amanti Petro dixiſſe videtur: En tibi illũ quem amas, vide quali ſit decore circumdatus, quan- tum ſit amore dignus ac proinde amare me per- gas. Porro ob ardentem hunc erga Chriſtum a- morem, adeo mirificè in terra exaltatus fuit, ut eodem ſibi bono in terris perfrui licuerit, quo Sancti & Angeli cœlites fruuntur in Paradiſo. Atque hæc eſt ratio ob quam Chriſtus S Pe- trum Columbam appellans illum quoque abſo- lutè beatum vocarit Matth. 16. v. 17 *Beatus es Si- mon Bariona.* Eo ipſo enim quo *columba*, id eſt *a- mator*, & Dei quidem amator erat, meruit ut hoc amoris titulo in terris exiſtens in cælos, e- veheretur, viſioneque frueretur beatifica.

23 Quiſnam ex omnibus vobis indicabit mihi quodnam ſit illud quod inter omnia mundi bo- na dulciſsimum, ſuaviſsimum ſit ſummaque di- lectabilitate ac deſiderabilitate præditum? uti- que reſpondebitis mihi aliud eſſe nõ poſſe, præ- terquam ipſa cæleſtis beatitudo: Ultra hanc e- nim non ſolum nihil eveniri aut haberi, ſed nec deſiderari quidquam poteſt, quod maius in ſe gaudium contineat, utpote in qua omnes ima- ginabiles & poſsibiles delitiæ compræhendun- tur. Hinc illam Chriſtus Matth. 20. v. 2. denari- am appellavit; *Conventione autem facta de denario diurno*, Sicut enim numerus denarius, inquit Paulus de Palatio in c. 20 Matth. omnes in ſe in- cludit & amplectitur numeros, adeo ut nulla in terra gens ſit quæ ultra illum alium numerum habeat, ita cæleſtis beatitudo omnia in ſe com- præhendit poſsibilia gaudia, & delitias imagi- nabiles, neque ulla eſſe poteſt felicitas, quæ ex- tra illam excogitari aut deſiderari poſsit. *Dena- rius ſiquidem omnes numeros claudit & ultra dena i- um nulla novit natio numerare: Ita vita æterna omnes felicitates in ſe comprehendit; nec eſt cor quod ultra fe- licitatem illam quidquam poſſit deſiderare,* dicit ille. Verum enimvero tametſi hoc totum verum ſit Chryſoſtomus tamen Hom 64 ad pop. opinatur dulciſsimum & delicioſiſsimum, quod reperiri in mundo valet imo etiam in ipſa cæleſti beati- tudine, in hoc ſolum conſiſtere, ſcil in amare Deum & à Deo viciſsim amari dum inquit, *Ne- que regni delectatio magnum aliquid eſt, ad id quod di- cendum. Hoc enim eſt omnium maximum Chriſtum a- matum ſimul & amantem habere Si enim hoc in homi- nibus contingeret, omni voluptate ſuperius eſt: eum e- nim utraque circa Deum advenerint quis ſermo, quæ mens exprimere poterit hujus animæ beatitudinem.* Hoc igitur præſuppoſito, videtur mihi dici quo- dammodo poſſe, Deum eo ipſo quo cor S Petri ſacratiſsimo ſuo amore accendit, eum longe ma- gis magnificaſſe, quam ipſoſmet in cælo beatos, utpote quem adeo fœlicem reddidit, ut majori- bus ipſum delitiis cumularit, quam ſint eæ qui- bus beati perfruuntur in cælis, tametſi amor Dei non ſolum in cælis non deficiat, verum etiam in cordibus eorum, qui de terra cælos conſcen- dunt, mire adaugeatur.

24. Eo ipſo quo Deus Eccleſiæ ſanctæ guber- nacula S. Petro commiſit, adeo ipſum in terra honoraſſe & exaltaſſe videtur, quantum nullum hactenus hominem nunquam honoraſſe aut ſub- limaſſe legitur. Quod ſi enim, ut Caſsiodorus lib. 5 Variarum cap. 5. de Romano Imperio lo- quens inquit, nullus in mundo altius ſublimari poteſt eo, cui Roma gubernanda committitur: *Nemo amplius videtur erigi, quam cui potuit Roma committi.* Longe majori cum libertate dici po- tuit, nullum umquam hominem ad illud evectũ eſſe honoris culmen, ad quod aſcendit Petrus, quando ei à Deo regimen commiſſum eſt Roma- næ Eccleſiæ. Etenim quod ſi Romanum impe- rium ex hoc motivo tanti fiebat, quod in ma- jorem

jorem uſque extenderetur terræ partem, quanto igitur majoris æſtimari debebit Eccleſiæ Romanæ imperium, quod non ſolum in omnes ſe terræ partes extendit, verum etiam ſubtus terram imo in ipſum uſque cælum ſe inſinuat. Honor hic tantus eſt, ut illum Deus ne ipſis quidem Paradiſi principibus, qui Deo in magna illa cæleſti curia continuo aſsiſtunt, unquam indulſerit: *Et licet aſſiſtant Angeli, præſidentis imperium expectantes; & adminiſtratorii ſpiritus aſſignata ſibi miniſteria ſortiantur, nullus tamen eorum ligandi atque ſolvendi poſſidet poteſtatem*, inquit Petrus Damianus ſerm. 29. Undenam obſecro S. Apoſtolus, tantum à Deo honorem promereri ſibi potuit? Ab ardenti erga Chriſtum amore. Neque enim ob aliam cauſam illum adeo magnificè evehere volens, ipſum adeo inſtanter, num ſe amaret interrogavit Joan. 21. v. 15. *Diligis me plus his?* quam ut per hoc innueret, quod ob hunc amorem eum in tantam ſublimitatem reponeret. *Quia enim relictis omnibus* inquit Haymo Halberſtatienſis in feſto S. Petri, *Chriſtum ardentiſſimo amore ſecutus eſt, ad tantam celſitudinem pervenit.*

25 Nemo eſt qui neſcit quod poſtquam Deus Adamum & Evam conjugem ſuam pepuliſſet è terreſtri paradiſo, mox ex cherubinis ſuis nonneminem delitioſiſsimi loci illius oſtiarium conſtituerit, flammeum gladium manu ſua vibrantem: *Emiſit eum dominus Deus de Paradiſo, & collocavit ante Paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atq; verſatilem*, inquit Moyſes Gen. 3. v. 24. Notum etiam eſt quod Cherubino prædicto ab oſtio Paradiſi per amariſsima Paſsionis Chriſti amoro, fracto inſuper enſe & igne extincto S. Petrus Apoſtolus claves loco enſis manu ſua ferens, eidem Paradiſi oſtio velut oſtiarius admotus ſit. *Fractus eſt ille enſis illius Cherubin cuſtodientis portas Paradiſi & loco ipſius poſitus eſt S. Petrus cuſtos, qui habet claves* inquit S. Bernard parte 4. ſerm. 47. Porro locus hic Apoſtolo adeo honorificus fuit, ut honorificentiorem conſequi nequaquam potuerit. Singularis enim præeminentia eſt quod homo in officia ſuccedat alicujus ſpiritus cæleſtis, quod viceſque gerens fiat Cherubini, quod ad cuſtodiam adhibeatur Domus Dei, claviumque illius moderator exiſtat. Undenam? obſecro tantus huic Apoſtolo honor obrigit? Ab ardentiſsimo nimirum quo Chriſtum proſequebatur amore: Officia & munia magnæ conſiderationis, à nobis nemini attribuuntur, præterquam iis qui nos amant, noſtræq; fælicitatis zelum habent. *Ob ſingularem ejus erga Chriſtum amorem, clavium regni cæleſtis collatio Petro traditur*, inquit Jacobus de Palatio cap. 21. Joan. enarrat. 2.

26 Ex ſupradictis intellexiſtis, qualiter S. Petrus ſicut pedibus aquis inambularit marinis, idque ardenti qua erga Chriſtum flagrabat dilectioni attribuendum eſſe. Ardens enim Dei amator non ſolum à terra ſublevari, verum etiam ſuper aquis ambulare, imo vero per aëra pariter volare, & ſuper nubes extolli poteſt: *Qui Dei ignibus ardet*, inquit Paulus de Palatio in cap. 14. Matth. *non ſolum ſupra terrena eſſe, ſed ſuper aquam ambulare, & ſuper aerem conſiſtere poteſt.* Verum enimvero cum ſuper aquis progredi nec tamen ſubmergi humanam facultatem longe ſuperet (*currere ſuper aquam & non ſubmergi puro homini impoſſibile eſt*, inquit Hugo Cardinalis in cap. 31. Proverb.) quid circa hunc Chriſti Apoſtolum aliud, quam quod quidam in terra Deus eſſet, monſtratum fuit? Obſervandum etenim quod Petro in aquarum ſuperficie ſumma cum fiducia & ſecuritate gradiente, repentina mox orta fuerit procella, in evidenti ipſum conſtituens ſubmerſionis periculo; Niſi enim Dominus illum porrecta ei manu adjuviſſet, & ab aquarum undis ſublevaſſet, ſubmerſus utiq; fuiſſet. Dic obſecro quamobrem Chriſtus tantam excitavit tempeſtatem & procellarum turbinem, Apoſtolumque ſuum in tantam redigere formidinem & periculum voluit? Ne ſcilicet Deus & non homo æſtimaretur, ipſique judicaretur æqualis, cum homo ſimplex aquis inambulare nequaquam poſsit. *Ob hoc ſolum*, inquit S. Maximus Hom. in Natali Apoſtol. Petri & Pauli, *trepidaſſe vi[illegible] ut fragilitas humana cognoſceret, quanta eſſet inter Dominum ſervumque diſtantia; ne duro ſuper aquas ambulans Petrus pede intrepido perveniſſet ad Chriſtum Domini forte ſui virtutibus æquaretur.* Videte igitur in quantam ſublimitatem S. Apoſtolum amor Dei evexerit, quæ ut Deus & non homo eſſe videretur effecit.

27. Quis eſt qui neſciat quod eo ipſo quo Petrus è Chriſti manibus Regni claves accepit, Vicarius ſeu Vices gerens & Chriſti factus fuerit ſubſtitutus? Cum enim Chriſtus in cælum ad Patris dexteram aſcenſurus eſſet, Eccleſiam ſuam à ſe tantopere amatam nequaquam deſerere, verum eidem S. Petrum loco ſuo præficere voluit, qui per poteſtatem ſibi collatam ſuam et perſonam repræſentaret. Quando igitur Petri

in terra loco Dei conſtitutum videmus, dubitandum nobis nequaquam eſt, quin neſcio quid divini aſſecutus, quidam in terra factus ſit Deus: *ſubrogatum ſe ſit naturam illius, in cujus loco ſubrogatur* inquiunt Legiſtæ apud Chaſſanæum in Catal. part. 10. Conſid. 15.

28. Quod ſi fortuito in illum Pſalmi 81. v. 1. locum incidentes, ubi Spiritus Sanctus Deum in medio Deorum conſtitiſſe, eoſdemque pro tribunali ſedentem judicaſſe refert: *Deus ſtetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat* Quinam hi Dii, quos Deus veluti, Divino ſuo judicio ſubjectos judicabat, fuerint; quæſieritis, B. Thomas à Villa nova ſerm. de S. Ægidio, illos Sanctæ Eccleſiæ Dei prælatos fuiſſe reſpondebit: *Volens Deus populo inſinuare quo honore Prælatos ſuos proſequatur, Deos nuncupat illos dicens: Deus ſtetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat. Quibus tantum dignitatis & poteſtatis faſtigium à Deo tributum eſt, ut ſicut Dii gentium populos dijudicent, ipſi vero à nemine judicentur.* Quid de hac hujus Beati ſententia dicam? Quod ſi omnes Prælati Dii appellantur, quo igitur nomine S. Petrus Apoſtolus omnium Prælatorum Prælatus & Princeps. Is inquam a quo quilibet Prælatus ſecundum diſpoſitionem divinam, eam poteſtatem in terris ſortitur qua hoc modo Deificatur, vocandus erit? Utique Deus ſeu potius quidam Deorum Deus nominari meretur.

29. Ex iis quæ de S. Petro Apoſtolo leguntur prodigiis, celeberrimum eſt, quid per urbis Jeroſolymitanæ plateas pertranſiens ſola corporis ſui umbra ſanaverit febricitantes, illuminaverit cæcos, ſurdis auditum reſtituerit, liberaverit dæmoniacos, ac demum quemvis alium morbum curaverit humanum. Tanta erant tamque ſtupenda S. Petri miracula, ut refert S. Lucas Actor. 5. v. 15. *Ut in plateis ejicerent infirmos, & ponerent in lectis & in grabatis, ut veniente Petro ſaltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis.* Deus neſcio quid divini umbræ Apoſtoli attribuiſſe videtur, ut faceret quod naturaliter præſtare non poterat. Quotieſcunque enim homo facere prævalet, quod alius quiſcunque homo facere minime valet, is talis Deus potius quam homo æſtimandus venit, prouti Indianus ille Philoſophus apud Clementem Alexandrinum libro 6. Stromatum Alexandro Magno Macedonum Regi dixiſſe perhibetur. Cum igitur Deus ſolam Petri umbram adeo ſublimaverit, ut illi neſcio quid divini indulſerit, quantum putatis illum ejus ſublimaſſe perſonam, aut honoraſſe animam? *Tranſibat* Petrus, inquit Beatus Thomas à Villa nova ubi ſupra: *per plateas Jeruſalem & ponebantur ægroti in grabatis, ut ſaltem umbra illius tangeret eos, & ſanarentur, ſi ſic honoratur umbra, quomodo putas honorabitur perſona*: Quaſi dicere voluiſſet: quod ſi Apoſtoli umbra adeo à Deo honorari meruit, ut faciens quod ſolus facere Deus poterat, Deus quidam viſa fuerit, multo magis ipſemet Petrus Deus quidam videri debuit.

30. Quod ſi alia Divinitatis participatæ ratio in Petro aſſignari non poſſet, præterquam ſolus quo erga Deum exarſit amor, hic utique ad probandam Divinitatem ejus participatam ſufficere ſatis ſuperque potuiſſet. Sicut enim homo, dum terram diligit, inquit S. Auguſtinus in 1. Joan. cap. 1 terra eſt, ſic eo ipſoque Deum amat Deus eſt. *Si Deum diligis Deus es, ſi terram terra, ſi cælum cælum.* Unde cum Petrus tantus tamque ardens fuerit Dei amator, Deus quidam inter nos adeoque, quantum poſſibile eſt hominem exaltari, in ſublime evectus fuerit neceſſum eſt.

31. Diſcurſui huic per quendam S. Pauli Apoſtoli locum finem imponamus, qui Galathis ſcribens cap. 1. v. 18. ſe Jeroſolymam ut Petrum videret abiviſſe, cumque eo quindecim diebus commoratum fuiſſe refert: *Veni Jeroſolymam videre Petrum, & manſi apud eum diebus quindecim.* Quibus in verbis ponderandum eſt, quod non dicat: Veni Jeroſolymam *cernere Petrum*, ſed *videre Petrum*. Cum Petri aſpectum deſcripturus, non utitur verbo *cernere*, ſed *videre*. Ut per hoc innueret Galathis, ſe Petrum conſpexiſſe veluti hominem extraordinarium, magnum, mirabilem, ſtupendum, magiſque prodigioſum quam ſi Angelorum aliquem, aut alium e cæli civibus conſpexiſſet. Quantumvis enim duo illa verba *videre* & *cernere*, ſynonyma ſint, magna tamen eſt inter utrumque differentia. Ex mente namque S. Joannis Chryſoſtomi cernere idem eſt quod rem aliquam ordinariam communem & vulgarem conſpicere: Videre autem ſignificat aſpectum rei alicujus novæ, magnæ, famoſæ, notabiliſque momenti. Et quia aſpectus S. Petri aſpectus erat rei magnæ, famoſæ, digniſſimæque videri, ideo hic aſpectus non

per verbum *cer ere*, ſed per verbum *videre* proponitur. Ecce ipſiſſima oris aurei verba in Comment. in Epiſtolam ad Galathas: *Vt viderem, inquit, Petrum, aſcendi. non dixit ut cernerem, ſed ut viderem Petrum, quomodo loqui ſolent, qui magnas & ſplendidas urbes inviſant, cognoſcendi gratia.* Obſervandum enim eſt verba illa non ab homine aliquo plebeo, abjecto, & in ſylvis nato pronuntiata fuiſſe, qui quod nullum unquam alicujus inſignis notæ hominem conſpexerit, quemlibet hominem mediocrem quem videt, admirari ſolet: ſed pronuntiata fuiſſe à Sancto Paulo Apoſtolo, qui non ſolum, utpote per omnes orbis plagas peregrinatus, omnes mundi magnates cognoſcebat, verum etiam à Deo in cælum translatus omnem viderat Paradiſi Sanctos & Principes; Et tamen hic homo aſpectum S. Petri quo fruitus fuerat, tanti faciebat, quaſi præ illo, nullum ſive in cælo, ſive in terrâ alicujus authoritatis aut æſtimationis hominem intuitus fuiſſet. Hunc igitur in modum honorantur & extolluntur, tantiſque præmiis donantur ii qui ardentes ſunt altiſſimi Dei amatores. Adeo ſublime in ſummorum favorum cælum volitabat S. Petrus Apoſtolus. Faxit omnipotens Deus, ut nos quoque Principis Apoſtolorum perſuaſi exemplo ardenti erga Deum amore flagremus, ut immarceſcibilis illius coronæ ad minus participes eſſe poſſimus. Quam ut Jacobus ait cap. 1. v. 12. *Repromiſit Deus diligentibus ſe.*

# PANEGYRICUS XXVII.

## De S. PAULO Admirabili Chriſti Apoſtolo.

## THEMA.

Nimis honorificati ſunt amici tui Deus. Pſalm. 38. v. 17.

## ARGUMENTUM.

*Favores quibus Deo placuit Sanctum afficere Paulum Apoſtolum, tanti fuerunt, adeoque ingentes, ut ſi ita dicere liceat, nimis videri potuerint.*

1. DEus ſervos ſuos tam efficaciter, tantaq; cum vi ac impetu diligit ut in eorundem amore excedere videatur; adeo namque ardenter illos amat, tantoque cum affectu illis vult bonum, ut ſemetipſum ſuammetque vitam odiſſe videatur. An neſcitis quod ſemetipſum veluti odiendo, vitam ſuam & ſemetipſum pro amicis ſuis probroſiſſimæ morti expoſuerit. De hoc exceſſu & nimietate Moyſes & Elias juxta Chriſtum transfiguratum in monte Thabor apparentes ſummo cum ſtupore cum Chriſto aliquamdiu ſunt ſermocinati. Exceſſus enim iſte de quo tunc loquebantur: *Dicebant exceſſum ejus*, inquit S. Lucas c. 9 v. 3 juxta Seraphici Doctoris interpretationem in c. 9 Lucæ de amoris erga ſervos ſuos ingenti exceſſu intelligendus venit. Porro quia ſanctis omne bonum quod poſſident ab amore divino proficiſcitur (Dei enim amor fons eſt & origo bonorum omnium quæ ſancti in terra poſſident, aut ſe in cælis habituros eſſe ſibi permittunt: unde & Eccleſia de quolibet Dei amico canere conſuevit: *Amavit eum Dominus & ornavit eum*) ideo ſicuti Deus illos amando ſuperexcedit, ita quoque illos quos diligit honorando mirum quantum ſuperexcedit. Id quod David notavit Pſalm. 183. v. 17. dicens: *Nimis honorificati ſunt amici tui Deus.* Etenim tametſi hoc ipſum in omnibus ſanctis adeo à Deo amatis verum eſſe clarè videatur, evidentius tamen cernitur, in Sancto Paulo glorioſiſſimo Chriſti Apoſtolo, cujus favores à Deo illi liberali manu communicati tanti taleſque fuêre, ut in honorando ipſum ordinario gratiarum & liberalitatis ſuæ limites valde ſuperexceſsiſſe videatur. Id quod ad majorem beatiſsimi Apoſtoli gloriam latius in præſenti Panegyrico demonſtraturi ſumus.

2. Mundus quidem hominibus ſuis magni nomen conferre, eoſdemque pro ſuo poteſt arbitrio magnificare & extollere, veruntamen niſi antecedenter virtuoſi fuerint, mundus illos verè

magnos facere, aut magnorum nomine dignos reddere nequaquam poteſt. Virtus namque ſola eſt, quæ homines vere magnos facere, aut magni nomen illis imponere valet. Nam uti inquit Sanctus Cyrillus, Alexandrinus lib. 12 in Leviticum ſicut peccatum homines parvos facit, ita virtus homines vere magnos efficit. *Peccatum enim hominem parvum facit, & exiguum, virtus eminentem præſtat & magnum.* Quod ſicut clarum eſt & evidens, ita quoque perſpicuum eſt hominem magnitudinem iſtam allequi & à primo ad ultimum & ſupremum uſque gradum conſcendere haud facile poſſe, quippe cui opus eſt gradatim progredi & creſcere paulatim, & donec ſummus evadat, multi prius tempore ſudare & laborare. Atque ideo talium magnorum nonnemo palmæ aptiſſime aſſimulatur Cant. 7. verſ. 7. *Statura tua aſſimilata eſt palmæ.* Sicut enim palma ſe paulatim erigens illam in qua conſpicitur altitudinem ſibi acquirere ſolet: ita quoque anima ſancta ſenſim & paulatim ad Chriſtianæ perfectionis culmen erigitur & magna evadit. *Palma quippe dum creſcit, deorſum ſtringitur, & ſurſum dilatatur Sic ſancta anima ab imis ad minima incipit, & paulatim ad majora creſcendo, uſque ad altitudinem perfectæ Charitatis pervenit; Nemo enim ſicut ſcriptum eſt, repente fit ſummus,* inquit Sanctus Gregorius in cap. 7. Canticorum. Hoc igitur præſuppoſito quid de ſancto illo dicemus, qui eodem tempore, quo in virtutis ſemita pedem ſuum fixit, ad ultimum uſque Chriſtianæ magnitudinis gradum evectus fuiſſe conſpicitur? Dicamus neceſſum eſt, Deum quoad ipſum bonitate ſua ſuperexceſſiſſe, ordinarioſque ſuper greſſum eſſe limites, intra quos alias cum aliis ſervis ſuis gradi ſolet. Quis eſt qui neſciat, quod cum cæteri ſancti omnes communiter ut ad illius in qua conſpiciuntur, perfectionis & magnitudinis culmen pertingant, multo tempore, longis exercitiis, multiſque quos conſcenderunt gradibus opus habuerint, Sanctus tamen Paulus Apoſtolus, uno eodemque tempore quo primum cæpit, repente factus ſit magnus, ſeque à primo ad ultimum & ſupremum uſque gradum ſubito extulerit? Qui ignorat eundem Apoſtolum, perſecutoris nomine nondum aut vix derelicto, repente in magnum evaſiſſe Chriſtianæ fidei prædicatorem? *Violentiſſimum enim perſecutorem Chriſtus in ardentiſſimum repente prædicatorem commutaverat.* Inquit Os Chryſoſtomi aureum Hom. 7. de laudibus Pauli. Haud Chriſtus in hoc facto ab ordinario animas ad Chriſtianam perfectionem perducendi modo procul abiiſſe, maximumque feciſſe in S. Paulo gratiæ ſuæ & miſericordiæ exceſſum debet affirmari.

3. Mox ut Apoſtolus de ſuo monitus errare ad Chriſti fidem converſus, ab Anania baptizatus fuit; depoſito, Sauli nomine, quo antea nominabatur, Paulus appellatus fuit. *Priuſquam hic Apoſtolus,* inquit Sanctus Ambroſius ſerm 51. *præceptis ſpiritualibus lavaretur, erat blaſphemus, & perſecutor, & Saulus: at ubi pluvia ſuper eum lavacri caleſtis influxit, necatur blaſphemus, perſecutor necatur & Saulus: Vivificatur Apoſtolus vivificatur juſtus, vivificatur & Paulus. Uſque adeo autem perdidit veterem cum actibus hominem, ut cum moribus mutaret & nomen.* Quam obſecro ob cauſam Paulus dictus fuit? Ut videlicet inſinuaretur quod dum vix in Eccleſiam ſanctam ad vitam ſe gratiæ recepiſſet, repente ſanctus, perfectus, & admirabilis evaſerit. *Paulus* enim uti S Hieronymo placet, *admirabilis* interpretatur; quia cum alii ſancti paulatim & pedetentim, & longo tempore progreſſu admirabiles evadant; ipſe ad Chriſtum ſe convertendo, eodemmet temporis momento, quo vita gratiæ fruiturus renatus fuit, repente factus eſt ſtupendus & vere, in *Paulus* id eſt, *admirabilis* evaſit. Deus enim per ſuperabundantem favorem & gratiam particularis, exceſſum omnis moræ impatiens in uno momento, ipſum ſtupendum reddidit & admirabilem.

4. Poſtquam Deus Adamum prothoparentem noſtrum propriis plaſmare manibus dignatus fuiſſet, tulit illum inquit ſacer Chroniſta Gen. 2. v. 15. & in terreſtri Paradiſo collocavit: *Tulit Dominus Deus hominem, & poſuit illum in Paradiſum voluptatis.* Cur obſecro Deus Adamum jamjam creatum mox in Paradiſum terreſtrem non vero in cælo collocavit, ut ibidem æternis frueretur delitiis ad quas creatus fuerat? Quia nimirum immediate poſt creationem, veluti infans quidam perfectus nondum erat, nondum adoleverat, nondum virtutum illarum quæ pro noſtro in cælos ingreſſu in animabus noſtris requiruntur, acquiſierat complementum. In Paradiſum igitur terreſtrem illum reponere voluit, ut ibidem Chriſtianarum virtutum ſtudio incumbens ſeſe perficeret,

ac

ac demum perfectus in cælum transferretur. Theophylum Patriarcham Antiochenum hac ſuper re quæſo audire, qui lib. 7. ad Aulicos inquit: *Tranſtulit Deus hominem in Paradiſum, ei undique occaſiones ſuggerent, ut creſceret & perfectus redderetur; & declaratus tandem Deus in aſtra aſcenderet.* Homo ad cælum transferri minime potuit, niſi prius magnus factus eſſet, adultus; conſummatus, atque in vitæ ſanctitate perfectus. Cum igitur Sanctus Paulus Apoſtolus, mox ut baptizatus & renatus ac Paulus vocatus eſſet in cælum repente ad ſocietatem Angelorum & viſionis Dei beatificæ ſpectaculum translatus fuerit:

*Mutatus poſtquam placuit de nomine Paulus*
*Mira fides rerum, jubito trans æthera vectus*
*Noſcere promeruit, proſint quia præmia vitæ*, inquit S. Damaſus Pontifex in Carmine de S. Paulo, dicere oportet illum eodem prorſus momento quo è S. Matris Eccleſiæ gremio editus fuit, repente manum fuiſſe atque perfectum, & hoc ipſum quod alii ſancti tanto temporis ſpatio, tot ſtudiis & ſudoribus, continuè laborando & vigilando acquiſiverunt, ipſum privilegio quodam particulari, & per excellentem gratiæ exceſſum, eo ipſo quo ad Chriſtum converſus & baptiſmo tinctus fuit, obtinuiſſe. O miraculum ingens, novum ſtupendumque prodigium. Eodem namque tempore quo in Chriſti Eccleſia pedem poſuit, in cælos, ad Beatorum gloriam, ad æternas delitias, denique ad ipſiuſmet Dei claram viſionem, ad quam alii ſancti poſt longas exercitationes, poſt faſtidioſam tot annorum moram abſolutam aſſumpti fuere, translatus fuit. *Subito trans æthera vectus.*

5. Poſtquam uti S. Lucas Actuum Apoſtolorum cap. 28. v. 6. refert, certo quodam & inevitabili naufragio ſuperato, quendam in Melitenſi Inſula portum aſſecutus, una cum ſociis ſeu itineris ſui comitibus ligna colligeret, ut ad ignem ſe & veſtimenta ſua madida calefaceret & ſiccaret, contigit ut vipera quædam ſub lignis iſtis recondita in manus ejus inſiliret, eumque morderet. Quod Inſulæ illius incolæ utpote malignitatis veneni ſerpentis illius optime conſcii, videntes, aliud nihil expectabant quam ut Apoſtolus intumefactus creperet, repenteque moreretur. At vero dum è contra viperam ſponte propria in ignem labi, Apoſtolum vero nequicquam mali pari conſpicerent, caſus novitate obſtupefacti illum Deum, & non hominem eſſe credebant. *Exiſtimabant eum in tumorem convertendum, & ſubito caſurum, & moriturum. Diu autem illis expectantibus, & videntibus nihil mali in eo fieri, convertentes ſe dicebant eum eſſe Deum.* Quamobrem putatis viperam quibuslibet aliis hominibus noxiam & venenoſam S. Paulum minime offendiſſe? Quia offendere eum nequaquam potuit, quantumvis omnibus aliis noxia eſſet. Etenim poſtquam vipera, ut inquit Theophylactus in cap. 28. Act. Carnem Apoſtoli tetigit & momordit, eamque non ut aliorum hominum carnem peccatis infectam eſſe depræhendit, tantam ex hoc quod hominem adeo innocentem, immaculatum, & ſanctum morſu ſuo oſtendiſſet horroris concepit ut ad ſumendam ſeriam de ſemetipſa auſuque ſuo temerario vindictam; in ignem ſe comburendam & morituram conjecerit. *Cum enim vipera*, inquit hic Doctor, *manui Pauli dentes impreſſiſſet, & peccati mollitiem atque tumorem non inveniſſet, ex templo reſilivit, & in ignem inſiluit, pœnam expetens de ſeipſa.* Tantus taliſque erat ingentis ſanctitatis in S. Paulo exceſſus, ut ab ipſis quoque beſtiis cognita, reverentiam quandam & honorem reciperet.

6. Porro obſervandum eſt hoc loco quod Melitenſes tale miraculum cernentes Apoſtolum nequaquam hominem, ſed Deum eſſe exiſtimarent. Dicebant eum eſſe Deum. Idem quoque de eo Lyſtrii judicium formarunt, quando in Barnabæ conſortio, claudum ſanavit. Id quod iis qui zelum ardentem quo Deus divinitatis ſui proſequitur honorem perſpectum habent magnam utique adferet admirationem. Zelus enim quo Deus Divinitatem ſuam zelat adeo eſt ingens ut nemini illius participem fieri permittat ſic. Ratio unica ob quam Deus noluit ut Moyſes Angelorum creationem Hebræorum populo deſcriberet & manifeſtaret; licet cæterarum rerum creationem deſcribere minime prohibuerit, eſt ingens quo erga divinitatem ſuam ardet zelus. Quodſi enim Moyſes illam Angelorum creationem literis exaraſſet, utique Hebræorum populis, utpote in Idololatriam valde propenſis, Angelos illos latriæ cultu adoraſſet, honoreſq; ſoli creatori debitos Deoque vero convenientes Creaturæ attribuiſſet. *Si feciſſet mentionem de creaturis ſpiritualibus & inviſibilibus*, inquit Nicolaus Lyranus in cap. 1.

Gene

Geneſeos, *coluiſſet eos populus tanquam Deos.* Ob eandem quoque rationem Deus Angelos in Sacra Scriptura Deos appellari noluit. *Ea mihi cauſa potiſſima occurrit*, inquit Magiſter ſententiarum, cap. 8, 1. ad Cor. *Quare Angeli non dicuntur Dii ne ab hominibus putarentur colendi: ne homines ad hoc inclinarentur ut ſervitium religionis quæ liturgia vel latria dicitur, Angelis exhiberent.* Ob eandem quoque cauſam, uti eſt communis Doctorum opinio, Deus locum illum in quem Corpus Moyſis ſepultum fuit ignorari voluit. Verum enimverò cùm Deus quoad homines ſimul & Angelos tantam in ſe ardere teſtatus ſit Divinitatis zelotypiam, cur non eâdem quoad Sanctum Paulum Apoſtolum exarſit? Tametſi enim probè ſciret Militenſes & lyſtros ob ea quæ in nomine Dei Apoſtolus operaturus eſſet miracula, Deum quendam in terris reputandum eſſe, illos tamen quoad hoc impedire noluit, tum quod ſciret Sanctum Paulum ob humilitatem indebitos minimè recepturum eſſe honores, tum denique quia exceſſive illum honorare voluit, longe nimirum amplius quam alios, ſive homines, ſive Paradiſi Angelos honorare conſueviſſet.

7. Una ex rationibus ob quas Sancta Mater Eccleſia Converſionem Sancti Pauli feſtive & ſolemniter celebrat, eſt, quia ipſa triumphanti Eccleſiæ necnon & Angelis aliiſque cœlorum incolis quoaduſque poteſt conformare ſe ſtudet, unde quia Angeli ob unius peccatoris Converſionem feſtiva gaudia agunt: *Gaudium erit coram Angelis Dei*, inquit Chriſtus Luc. 15. verſ. 10. *ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.* Ideo quoque ipſa diem illum quo Sanctus Paulus ad Chriſtum eſt converſus, atque ex Chriſti perſecutore factus eſt ejus prædicator & Apoſtolus, ſolemnem facit, utpote quo etiam in cælis ſolemnia aguntur gaudia. Etenim feſtivitas qua Angeli cælites in Converſione Sancti Pauli Deum laudant & magnificant, adeo eſt pompoſa, ſolemnis & magnifica, ut feſtivitatem illam quæ celebrata eſt ab Angelis quando Deus mundum terram cælum, ſtellas & ſolem creavit, longe ſuperet. Audite Theodorum Daphnopadum in Encomio Sancti Pauli apud Surium 25 Junii Deum hac de re hiſce verbis alloquentem: *Laudaverunt & omnes Angeli uno animo quando noſtra feciſti, ſed non ſic quando Paulum oſtendiſti univerſo orbi terræ. Propterea terra fuit cælo lætior, quoniam hic eſt lætior ſolari luce.* Quibus in verbis ingens ille obſervandus eſt exceſſus, quocum Deus Sanctum Paulum, mox ut is in gratiæ ſuæ ſtatum pedem fixit, honorare voluit, quaſi enim toto mundo & cæli aſtris major eſſet & excellentior, ita in ejus converſione majora gaudia fecit, magiſque jubilavit & tripudiavit, quam quando mundus, & quæ in ejus ambitu continentur, creata fuere.

8 Sicut Deus uni Angelo integrum regnum commiſit, ita regimini cujuslibet Apoſtoli, veluti hominum Angelicorum, integrum quoque regnum ſubjecit. Andreæ namque commiſit Scythiam, Philippo Aſiam, Indiam Thomæ: Bartholomæo Armeniam, Simoni Chananæo Meſopotamiam, Æthiopiam Matthæo, & ſic de aliis diſcurrendo. Atque ideo Apoſtoli à Davide Propheta Principes dicti leguntur Pſal. 44. v. 17. *Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram.* Cum igitur Sanctus etiam Paulus Apoſtolus, utpote Principum illorum unus, ſuæ quoque curæ regnum aliquod commiſſum habere debuerit qualenam regnum iſtud fuiſſe exiſtimatis? Certe Deus S. Paulo non unum duntaxat regnum, uti Angelis aliiſque Apoſtolis, ſed univerſa totius mundi regna commiſit. *Angelis quidem*, inquit Os Chryſoſtomi aureum Hom. 2. de laudibus Pauli, *diverſarum gentium cura commiſſa eſt: Paulus univerſum gubernavit orbem.* Et S. Vincentius ſerm. de S. Paulo inquit: *Limitatam prædicationem prædicare habebant Apoſtoli, ſed B. Paulus non accepit regionem limitatam, ſed per totum mundum univerſim ibat.* Et Sancta Eccleſia Deum ſponſum ſuum alloquens dicit: *Vniverſum mundum B. Pauli prædicatione docuiſti.* Unde maximi honoris ingens colligitur exceſſus quocum Deus Sanctum Apoſtolum in terris exaltare voluit. Cum enim Deus ut Angelos & Apoſtolos ſuos honoraret, cuilibet illorum unum mundi hujus regnum concrediderit, S. Paulo è contra omnia totius mundi regna dare, illumque Imperio quodam adeo vaſto & immenſo honorare voluit, ut ad ſtuporem uſque non tantum aliorum Apoſtolorum, verum etiam ipſorummet Paradiſi Principum ſuperexceſſerit Imperium.

9. Quærit S. Petrus Damianus Opuſc. 35. cap. 3. quænam ſit cauſa, quod cum omnes alii Apoſtoli propriam ſuam Cathedram habeant, S. tamen Paulus Apoſtolus, nullam ſibi Cathedram propriam habuerit. Certe is qui tam induſtrie prædicaverat, tã laborioſe docuerat, tot regna, tot civitates, tot denique homines ad Chriſtum

conver-

converterat, propriam merito Cathedram ſuam non minus ac alii Apoſtoli habere debebat. Reſpondet autem quod licet unam ſolam, & particularem cathedram non habeat, ipſe tamen omnes aliorum Apoſtolorum cathedras, veluti omnium ſuperintendens & præſes, ac proinde S. Petro ſubordinatus poſſideat & gubernet. Unde bene dixit 2. Cor. 6. v. 10. quod nihil habens omnia poſſideat: *Tamquam nihil habentes & omnia poſſidentes*. Eo ipſo enim quo propriam uti alii Apoſtoli cathedram non habebat, omnes aliorum cathedras ſibi tenebat ſubjectas. Qua in re alter quidam Chriſtus eſſe videbatur, utpote qui omnibus aliorum Apoſtolorum cathedris, omnibuſque Eccleſiis præfectus Chriſti perſonam repræſentabat: *Quandam, ſi dici liceat, cum Chriſto ſimilitudinem Paulus tenet, dum non uni duntaxat Eccleſiæ, ſed omnibus præſidet*, inquit hic Doctor. Quid vobis de hujus honoris, dignitatis, & præeminentiæ exceſſu videtur? Utique alter quidam Chriſtus, alter quidam Magiſter & Dominus, & quidam omnium Apoſtolorum Deus eſſe videbitur.

10. Certiſſimum eſt, quod quoaduſque anima carni & ſanguini conjuncta in corpore & in terra vivit, pro ſui aliquantula recreatione in cælum recipi nequaquam poſſit: *Fratres dicebat* Apoſtolus in prima ad Corinth. cap. 15. v. 50. *Caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt*. Idque adeo certum eſt, ut Deus tres quoſdam magnos amicos ſuos in mortali adhuc corpore hic in terris viventes, ſcilicet S. Joannem Baptiſtam præcurſorem ſuum, ſanctum prothomartyrem Stephanum & Apoſtolorum Principes S. Petrum, conſolari & recreare nonnihil volens, illos nequaquam in cælum ſuſtulerit, ſed potius iiſdem in terra remanentibus cælum aperuerit, indeque eiſdem gloriam ſuam demonſtraverit. Primo quidem dum Chriſtum in Jordane baptizabat. Secundo vero quando pro amore Chriſti patiebatur & mortem obibat. Denique tertio Orationibus vacanti. Et tamen licet id verum ſit, Deus nihilominus S. Paulum Apoſtolum dum adhuc mortali corpore indutus in terra viveret, recreaturus, conſueti modi agendi terminos longe exceſſit; Non obſtante enim hoc quod carne amictus eſſet & ſanguine, ipſum in cælos inter Angelorum Sanctorumque cælitum exercitus ſuſtulit, ipſumque ibi cæleſtis beatitudinis deliciis perfrui fecit. *Legimus in epiſtola ipſius*, inquit S. Auguſtinus ſer. 27. de Sanctis. *quanquam caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt, adhuc tamen Paulus in terris poſitus, in regni cæleſtis ſubſtantiam transformatur*. Licet Deus in honore quo alios ſanctos afficit, modum teneat, Paulum tamen honorando modum non habet, imo modum excedit ordinarium, conſuetoſque terminos longe transgreditur.

11. Perſpicuum eſt omnibus Deum amicis ſuis gratias ſuas ea ratione conceſſiſſe, ut unam duntaxat cuilibet ſit impertitus, in qua excelleret. Sic Abelo largitus eſt devotionem, contemplationem Enocho, Abrahæ fidem, Iſaaco patientiam, prudentiam Jacobo, caſtitatem Joſepho, Moyſi charitatem, Phinees zelum, audaciam Judæ, Joſue confidentiam, fortitudinem Samſoni, Samueli integritatem, Davidi miſericordiam, ſapientiam Salomoni, Iſaiæ ſtabilitatem, magnanimitatem Jeremiæ, Danieli fervorem, rigorem Ezechieli; Et ſic conſequenter per omnes alios tam veteris quam novi Teſtamenti ſanctos diſcurrendo invenietis, ſingulos in unica duntaxat gratia fuiſſe celebres & excelluiſſe. Unde ipſemet quoque Apoſt. 1. Cor. 12. v. 4. dicit: *Diviſiones gratiarum ſunt, alii datur ſermo ſapientiæ, &c.* quaſi dicere vellet: Non conceſſit Deus omnes ſuas gratias uni, verum eaſdem per ſingulos diviſit, hanc illi, alteri aliam impertiendo. Quod ſi nonnemo gratias à Deo ſanctis communicatas, in quibus ſinguli excelluiſſe leguntur, hodieque celebres exiſtunt, inaudiens, à me peteret, quænam illa ſit gratia S. Paulo conceſſa, in qua dicendus ſit præ cæteris celebrior aut excellentior, huic ergo reſpondeo, ſancto huic Apoſtolo, non tantum unicam gratiam, ſed omnes quotquot hactenus aliis conceſſæ fuere gratias fuiſſe conceſſas, idque in perfectione quadam longe majori & eminentiori. En ipſiſſima circa hanc rem S. Chryſoſtomi verba Hom. 1. de laudibus S. Pauli: *Sive enim Propheta potentius aliquid in ſe oſtenderint, magiſque mirabile, ſive Patriarcha, ſive juſti, ſive Apoſtoli, ſive Martyres: hæc omnia ſimul colligens Paulus habet cum tanto cumulo, cum quanto nullus eorum bonum quo excellebat, implevit*. Omnes igitur in ſe complexus eſt gratias, omnes favores & dona, in quibus omnes univerſim ſancti admirabiles unquam fuerunt, aut excellentes. Licet Deus ſanctorū ſuorum animas magis magiſque decorando & locupletando, tenacem ſe & parcum exhibuerit, animam tamen Pauli decoraturus & locupletaturus prodigus viſus eſt & liberalis, ſuas namque manus munificentiſſime ape-

mè aperiens ipſum omnium gratiarum aliis conceſſarum participem reddidit.

12. Quis eſt qui neſciat Deum bilancem ſive libram illam quacum S. Michael Archangelus, qui inter ſublimiores Paradiſi ſpiritus Deo continuo aſſiſtit, pingi communiter ſolet, in frequenti uſu habere. Nam ut Deus animas juſtas dignis afficere præmiis, malas vero juſtis plectere ſuppliciis poſſit, hac bilance pro iiſdem ponderandis continuo opus habet. Hac in bilance impium appendit Balthaſarem, eundemque minus habentem comperiens (id quod eidem litera illa fatalis *Thecal* quæ idem ſignificat *quod appenſus es in ſtatera, & inventus es minus* habens, aperte ſignificabat) non ſolũ regno ſuo exuit, verum ipſamet quoque vita privavit. Hac quoque bilance uti ſolet ad ponderandas ſanctorum ſuorum animas, ut aliquam inter illas decernere differentiam ſive diſcrimen poſſit. Hinc à Sapiente Proverb. 16. v. 2 *ſpirituum ponderator* dicitur, id eſt virorum ſpiritualium æſtimator. *Spirituum id eſt, virorum ſpiritualium*, inquit Hugo ibidem. Quonam autem hæc omnia ſpectant? Equidem quod ſi Deus hanc nobis bilancem dignaretur aliquantiſper concedere, ut in eadem S. Paulum Apoſtolum ejuſdemque virtutes devota cum curioſitate ponderare & æſtimare poſſemus, quodnam putatis pondus illius futurum eſſe? utique omnium ſanctorum collective ſumptorum pondus non ſolum adæquaret, verum inſuper etiam excederet. Quodſi enim in bilancis illius una parte omnes utriuſque legis ſanctos ponere poſſemus, Apoſtolum vero Paulum appenderemus in altera, tanti virtutes & merita illius ponderis futura eſſent, ut omnibus longe præponderarent. Audite hac de re S. Chryſoſt. Hom. 7. de laudibus Pauli, cum eodem Apoſtolo loquentem: *Cui te ô beate Paule juſtorum veteris teſtamenti, vel novi audeam comparare? omnium quippe virtutem, quaſi in area quadam quod cum multo prorſus cumulo condidiſti. Denique etiamſi totum contra te aliquis ſingillatim juſtorum appendat Chorum, inveniet trutinam virtutum ponderibus à tua parte depreſſam.* Nemo ſibi perſuadere unquam poteſt, quantopere S. Paulus Apoſtolus, ob exceſſum quo Deus ipſi favere, cæleſtibuſq; & ſpiritualibus illum bonis locupletare dignatus eſt alios ſanctos univerſos ſuperet. Tanti enim valet, tantique ponderat, ut ſi in una bilancis parte totus poneretur mundus, omnes divitiæ, argentum aurum, gemmæ, civitates, Regna, coronæ omnes & quicquid terra pretioſi complectitur, ex altera vero ejuſdem bilancis parte ſolum poneretur mortui Pauli cadaver, ſacrum hoc Apoſtoli corpus ponderoſius futurum eſſet, majoriſque valoris, quam omnia in altera bilancis parte repoſita bona. *Mundum ſi è diverſo appendas omnem, videbis aperte Pauli ſurgere pondus exanimis*, inquit idemmet Doctor Ibidem Hom. 2.

13. Adeo immenſus & ineffabilis fuit ardens illi Chriſti erga nos amor, ut poſtquam nobis cuncta quæ habebat, admirabili cum liberalitate donaſſet, omnia nimirum bona ſua, cunctaſq; quas habebat divitias, tandem veluti ſi exhauſtus eſſet, nec quicquam amplius quod dare nobis poſſet haberet, in Cruce ſuſpenſus ſemetipſum veluti theſaurum opulentiſſimum donavit. *Cum omnia nobis donaverit*, inquit D. Bernardin. p. 1. ſerm. 7. Art 1. c. 2 *finaliter in Cruce expanſis brachiis nobis obtulit ſemetipſum.* Ex hoc opulentiſſimo theſauro, veluti diviſio & diſtributio pedes Mariæ Magdalenæ ceſſerunt, Pectus Joanni, vulnera Thomæ, bono Latroni umbra, denique claves Petro. Omnibus autem hiſce partibus diſtributis, nulli ex omnibus illis qui morti ſuæ præſentes aderant, cor ſuum donaſſe legitur. Cur obſecro qui omnes alias divini corporis ſui partes diſtribuerat, cor quoque ſuum alterutri horum omnium non diſtribuebat? Ideo nimirum quia idipſum S. Paulo Apoſtolo, eo præcipue tempore quo convertendus erat, dandum reſervabat, ut hac ratione deinceps proprio corde ſuo poſthabito, corde viveret Chriſti. *Fuit cor Chriſti, cor Pauli*, inquit Theodor. ubi ſupra. Cor Chriſti Paulo reſervatum fuit, ideoq; ut illi daretur, aliorum nemini datum fuit. Quia igitur Chriſti corde donatus fuerat Galathis c. 2. v. 20 dicebat: *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Chriſtus.* Quia enim in pectore ſuo cor Chriſti habebat, Chriſtus & non ipſe in eo vivebat. Qua in re, ſicut & in aliis univerſis, Deus quoque magnũ fecit in favore Paulo exhibito exceſſum, ſicut enim cor principalior & excellentior corporis pars eſt, ita quoque donum cordis Chriſti Apoſtolo exhibitum, præ aliis principalius fuit & excellentius. *Fuit cor Chriſti, cor Pauli.*

14 Apoſtoli Chriſtum in tantum Magiſtri nomine appellabant, in quantum iidem ab illo in fide ſalutiſque æternæ myſteriis docti & eruditi fuerant. Porro inter hos à Chriſto edoctos diſcipulos ſanctus etiam Paulus numerandus venit, cum hoc tamen ſingulariter notando diſcri-

diſcrimine, quod Chriſtus qui alios diſcipulos in hujus mundi ſchola erudierat, Paulum Apoſtolum in ipſa cæli Empyrei Academia inter Angelos aliosque Paradiſi cælites tribus nimirum diebus illis, quibus in cælum raptus ibidemque commoratus fuerat erudiverit. Significabat idipſum haud obſcure Galathis cap. 1. v. 11. dicens: *Notum enim vobis facio fratres Evangelium quod Evangelizatum eſt à me, quia non eſt ſecundum hominem: neque enim ego ab homine accepi, neque didici, ſed per revelationem Jeſu Chriſti. Quando raptus fuit uſq; ad tertium cælum*, inquit Hugo Cardinalis ibid *& audivit arcana verba quæ non licet homini loqui.* Quod ſi interrogeris, inquit S. Vincent. ſerm. in Commem. S. Pauli qua in ſchola S. Paulus Theologiam didicerit? reſpondere audacter poteris, hanc illum ſibi in cæli empyrei Academia comparaſſe: *Si dicatur tibi, ubi didicit Paulus? potes dicere in cælo empyreo, in ſchola Angelorum tribus diebus ſtuduit.* Qua in re Deus quoque ſanctum Apoſtolum, majori cum exceſſu quam alios Apoſtolos honoraſſe, ipſumque cæteris omnibus prætuliſſe videtur. Sicut enim Doctor aliquis Athenis, Romæ, Pariſiis, Salmanticæ aut Coloniæ, aut alia quavis celebri & famoſa Univerſitate Doctorali laurea inſignitus, univerſis aliis alibi laurea Doctorali donatis jure eſt præferendus. (*Doctor creatus in majori formoſiori, & digniori univerſitate, eſt præferendus aliis*, inquiunt Juriſtæ apud Chaſſanæum in Catalogo p. 10. Conſid. n. 32.) ita cum S. Paulus in cæleſti ſchola præ omnibus aliis famoſiori magiſq; celebri ab ipſomet Chriſto edoctus fuerit, conſequenter omnibus quoq; ſanctis & Apoſtolis utpote in terra edoctis, & doctorali laurea inſignitis, præferendus fuit.

15. Nemo neſcit utriuſque regis Prophetas, Apoſtolos, Doctores, & Prædicatores omnes, eo duntaxat tempore prædicationi operam ſuã impendiſſe quo hic in terris vixerunt nobiſcum. Id namque regio prophetæ Davidi ita certum erat, ut Pſal. 86. v. 17. dicere non dubitarit: *Nunquid narrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuam?* quaſi dicere voluiſſet Homo quidem, quoaduſque vivit, nec ſepulchro adhuc clauditur prædicare poterit, ubi vero mortuus fuerit pro ſanctis hiſce exercitiis obeundis, ne quidem os ſuũ aperire valebit. Quomodo enim anima à corpore diviſa, jamque cælos ſubingreſſa ſancto hoc munere fungi poterit? Quomodo lingua jam corrupta atque in cineres redacta ſeſe movere & verba efformare valebit? Verum enimvero id quod aliis ſanctis nullo unquam tempore poſſibile fuit, miro cum ſtupore S. Paulus Apoſt. facere prævaluit. De eo namq; refertur, quod dum Neronis Imperio jam decapitatus vitaque exutus fuiſſet, eidem in palatio ſuo apparens vitam prædicarit æternam, argumentiſque efficaciſſimis graviſſimarum culparum ſuarum perſuaſerit pænitentiam. Et tametſi prædicatio iſthæc reprobo illi infructuoſa extiterit, aliis tamen tribus aulicis ſuis, exinde ad Chriſti fidem poſtea converſis, utilis ſummopere fuit. Unde S. Vincent. ubi ſupra inquit: *Paulus prædicavit poſt mortẽ, quod non legitur de alio ſancto.* Imo quod major obſervatione dignum eſt, tametſi à tot jam annis pretioſam mortem ſuam obierit, etiamnum prędicare non ceſſat. Unde Eccleſia ipſi accinit:

*Doctor egregie Paule mores inſtrue.*

Per hæc verba clare nobis inſinuans, quod tametſi a tot jam annis mortuus hic Apoſtolus anima ſua in cælos translata corporis ſui exuvias hic in terris reliquerit, ipſe tamen etiamnum ardentes prædicationes ſuas continuet, noſque ita Chriſtianis virtuoſiſque moribus inſtruere & erudire non ceſſet; Niſi enim illum uſque modo prædicare probe ſciret, eundem ad prædicandum minime invitaret. Cum igitur Deus huic Apoſtolo uſque in præſens tempus docere & prædicare poſſe conceſſerit, tanto utique cum eximii favoris exceſſu ipſum proſecutus fuiſſe videtur, ut omnibus Prophetis, Apoſtolis, Doctoribus & prædicatoribus illum prætuliſſe cenſeri merito debeat, utpote, qui licet in vita fructuoſiſſime prædicarint, mortui tamen prædicationis munus ſimul cum vita depoſuerunt. *Inter omnes Doctores cujuſcunque facultatis ſint*, inquiunt Legiſtæ apud Chaſſanæum ubi ſupra Conſid. 6. *Præferuntur qui actu legunt, & docent, etiamſi alii ſint ſeniores qui non legunt.*

16. Cum amor hominis in comparatione ad amorem Dei idem ſit quod glacies igni comparata, ingens profecto ſummeque mira eſſet ejus ſtultitia, qui ſibi ſe æquali amoris ardore Deum amare quo à Deo amatur perſuadere præſumeret. Siquidem Deus nos amat, tanto nos ardore diligit, ut ob hanc ardoris vehementiam non ſolum igneis, verum ipſiſſimus eſſe dicatur ignis. *Dominus Deus tuus ignis conſumens eſt*; inquit Moyſes Deuterom. 14. v. 24. Et ob ejuſdem amoris vehementiam non ſolum amans, ſed ipſiſſimus

amor appellatur: *Deus charitas eſt* inquit S. Joannes tantopere à Deo dilectus 1. Joan. 4. v. 1. Et Richard. à S. Laurentio lib. 6. de laud. B. Mariæ *Chriſtus emphaticè dicitur dilectio.* Sed quonam ſpectant hæc omnia? Huc nimirum. Quodſi enim S. Paulus Apoſtolus tanto charitatis ardore Deum amabat, ut divinam ejus Majeſtatem non tantum omnibus hujus terræ creaturis, verum etiam omnibus prætulerit cælis, omnibuſque cælitibus Angelis: *Quis nos ſeparabit à Charitate Chriſti?* dicebat Romanis Rom. 8 v. 35. *Tribulatio an anguſtia? &c. Certus ſum enim quod neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à Charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Deus utique utpote qui Paulum incomparabiliter magis amabat, quam adamaretur à Paulo, tantopere eundem Paulum dilexit, ut eum mille cælis, omnibuſque cælitibus Angelis longe prætulerit. Hoc certiſſimum eſt, inquit os Chryſoſtomi aureum, nec de hoc ullus dubitandi locus relinquitur. *Si enim Paulus*, inquit S. Doctor ubi ſupra: *non ſolum cælum, ſed quæ habentur in cælis Dei poſtpoſuit Charitati, quomodo non magis Dominus, qui tanto eſt benignior Paulo, quanto malitiam bonitas antecellit, innumeris eum cælis judicat digniorem? Non enim quantum nos diligit Deus, tantum à nobis diligitur ipſe: ſed tanto effuſius, quanto nec ſermo quidem ſufficit explicare.* Quantus igitur S. Paulus eſſe debuit, qui apud Deum tanto in pretio & amore habitus fuit? Quonam dotatus fuit gratiarum exceſſu, quando ſe tantopere à Deo magnificatum & honoratum vidit, ut non ſolum cunctos hujus terræ homines, verum ipſoſmet quoque Paradiſi Angelos mirum quantum antecelleret?

17. Porro ſciendum nobis eſt Chriſtum nullo alio fine de cælo in terram deſcendiſſe, quam ut ignem ſecum de cælo ad accendendum corda noſtra, in terram deportaret; unde Luc. 12. v. 49 quaſi de adventus ſui cauſa rogatus fuiſſet, reſpondit: *Ignem veni mittere in terram & quid volo, niſi ut accendatur?* Multos imo plurimos hoc igne accendit, quorum nonnulli Luc. 24. v. 32. dicebant: *Nonne cor noſtrum erat ardens, dum loqueretur in via?* Mariam quoque Magdalenam accendit, de qua Eccleſia Deo dicit:

*Cum Magdalenam reſpicis,*
*Flammas amoris excitas,*

Præ cæteris autem ſanctis Martyres vehementius accendit. Nemo enim ardere vehementius potuit, quam qui pro amico ſuo vitam ſuam protegit, prouti illam ſancti Martyres pro Chriſto protegerunt: *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis* inquit Chriſtus Joan. 15. verſ. 13. Præ omnibus tamen aliis hoc divino igne Sanctus Paulus vehementiſſimè accenſus fuit. Tanto namque divini ignis ardore Chriſtus admirabilem Apoſtolum ſuum accendit, ut eum in ipſiſſimum ignem veluti transformaverit. *Vt enim miſſum in ignem ferrum*, inquit os aureum Chryſoſtomi ubi ſupra Hom. 3. *totum profecto ignis efficitur: ſic Paulus Charitate ſuccenſus totus factus eſt Charitas.* Tanto ſiquidem igne Sanctus Paulus exarſit, ut nullus unquam in Eccleſia Dei aliorum hominum, licet maximus etiam Martyr, fuerit tanto ardore ſuccenſus. Verum quidem eſt magnam fuiſſe flammam, qua Martyres ardebant, quando æternam vitam ſperantes, vitam pro Chriſto protegerunt temporalem: at vero Paulus non temporalem duntaxat vitam pro Chriſto prompte protegit, verum inſuper ſalva Domini ſui gratia, vitam amittere æternam deſiderarit, dummodo ii quos amabat, eandem tuto & ſecure conſequi poſſent. Idipſum ad Romanos cap. 5. v. 3. clare ſignificabat dicens: *Optabam enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.* Deſiderium profecto non minus ingens, quam novum, nec umquam hactenus auditum Moyſes quidem ingentem charitatis ignem in corde ſuo flagrare teſtatus eſt, quando ſalvari noluit, niſi illi quos amabat eandem ſecum obſequerentur æternam ſalutem, eligens potius (ſalva divina amicitia) damnari cum illis, quam ſine iiſdem ſalvari. Verum ardorem Pauli aſſequi nequaquam potuit, qui adhoc ut alii glorificarentur, propriam ſui glorificationem minime curabat. *Non enim cum pereuntibus perire voluit* inquit Chryſoſtomus ubi ſupra Hom. 1. *ſed ut ſalventur alii, ipſe de gloria æternitate decidere.* Habemus igitur ex hactenus dictis, nullum fuiſſe in univerſo mundo hominem tanta charitate accenſum, quanta Apoſtolus extitit inflammatus. Cum igitur animæ alicujus magnitudo, ex magnitudine colligi debeat Charitatis. *Quantitas cujuſcunque animæ*, inquit S Bernardinus ſerm. 27. in Cant. *æſtimetur de menſura Charitatis.* Sequitur evidenter quod cum Apoſtolus præ omnibus ſanctis majori ardore exarſerit Charitatis, idem quoque exceſſive debeat

eſſe

eſſe magnus, & quovis alio magno atque à Deo ſumme ſublimato major & ſublimior.

18. Quod S. Joannes Chryſoſtomus Hom. 1. de laudibus S. Pauli, eundem Apoſtolum ſpiritualem auſit appellare Paradiſum dicens: *Nihil prorſus erraverit, qui Paradiſum ſpiritualem Pauli animum nuncupaverit,* haud modica glorioſiſſimi hujus Apoſtoli laus eſt & præconium. Bene enim notandum eſt, quod illum non corporalem, ſed ſpiritualem Paradiſum appellet, *Paradiſum ſpiritualem.* Unde ex mente S. Doctoris, non eſt Paradiſus terreſtris qui corporalis Paradiſus eſt, ſed cælum quoddam Empyreum, hoc namque ſpiritualis Paradiſus appellatur. Magnus igitur eſſe debuit hujus animæ decor, divitiæ, gratiæ, ornamenta, & delitiæ, ſi Paradiſus fuit ſpiritualis, & veluti aliud quoddam cælum Empyreum utique hæc omnia talia ac tanta erant, ut omnem cæli Empyrei decorem, gratias, divitias, atque delitias ſuperare viderentur, quibus tunc etiam affluebat, quando in carceribus catenis vinctus ærumnis opprimebatur & perſecutionibus. Theodorus Daphnopatus ubi ſupra dicit, quod ſi quis in hac vita hanc mihi optionem daret, videlicet vel aſcendendi in cælum, ibidemque cum Angelis aliiſque cælitibus Dei electis commorandi, cæleſtique beatitudine fruendi, aut vero carceres S. Pauli ſubeundi ponderiſque catenarum ſuarum ſavendi experientiam; mallem utique quod me attinet, carcerem S. Pauli ſubingredi, & cum eodem catenis vinciri, quam cum Angelis aliiſque electis beatificandus cælum ingredi. En ipſiſſima ejus verba: *Si quis mihi daret optionem, aut univerſi cæli, aut illius catenæ, qua Pauli vinctæ ſunt manus; illam ego præponerem. Si quis me collocaret, aut ſupra cum Angelis, aut cum Paulo vincto, carcerem eligerem.* Quantus igitur S. Paulus eſſe debuit, quantoque gratiarum exceſſu à Deo decoratus, quocum homines malebant commorari in carcere, quam cum Angelis in Paradiſo? Qualis quamque delitioſus Paradiſus eſſe debebat, cujus delitiæ ipſiſmet præferebantur delitiis Paradiſi?

19. Quod ſi conceſſum nobis fuiſſet S. Paulum Apoſtolum coram intueri, haud dubie illum non hominem, ſed quendam eſſe judicaſſemus Angelum Paradiſi. Tanta enim erant ipſius privilegia, tot erant ei conceſſæ gratiæ, tanto denique à Deo decoratus erat cæleſtium favorum exceſſu, ut non homo, ſed Angelus quidam eſſe videretur: Nec quidem Angelus aliquis vulgaris, ſed unus è primis ſublimioribuſque totius curiæ cæleſtis. Vere namque talis apparuit. *Vis videre Cherubim,* inquit S. Bruno de laudibus Eccleſiæ cap. 24 *reſpice Paulum* quaſi diceret Quod ſi videre deſideres Cherubinum, neceſſum non eſt, ut pro illius viſione, oculos in cælum ad penultimum ultimæ Hierarchiæ ordinem figas, verè enim Cherubinum videre poterit, ſi Sanctum Paulum intuearis, illum namque aſpiciendo verum te affirmare poteris conſpexiſſe Cherubinum, ipſe namque verus fuit naturaliſque cherubinus, primorumque Paradiſi cæleſtis Angelorum unus. Cur enim dubitabimus ipſum verum dicere Angelum, qui ab omni humana terrenaque imperfectione adeo erat purgatus ac mundus, ut inſuper cæleſtem transformatus eſſe videretur ſubſtantiam? *Adhuc Paulus in terra poſitus jam in regni cæleſtis ſubſtantiam transformatur,* inquit S. Ambroſius ſerm. 11.

20. Nec refert quod S. Apoſtolus in terra mortalis vixerit, quo minus Angelus aliquis fuiſſe dicatur. Quis enim neſcit quod Angeli à Deo in terram miſſi, ibidemque ad noſtram cuſtodiam remanentes, ita in terris degant, ut tamen ob id cælum nequaquam deſerant? Certum namque eſt quod eodem prorſus tempore quo nobis præſentes ſaluti noſtræ intendunt, non minus quam illi qui in Paradiſo divinæ præſentiæ aſſiſtunt, Deum continuo ac inceſſanter videant, perfecteque beati exiſtant. *Angeli eorum,* inquit Salvator, de Angelis nos hic in terra cuſtodientibus loquens, *ſemper vident faciem patris mei, qui in cælis eſt.* Sicut enim Dæmon licet extra Infernum conſtitutus, quocunque ſe recipit, inferni ſecum incendia ſemper portat; Ita quoque Angelus extra Paradiſi gloriam conſtitutus Paradiſo ob id non excluditur, ſed potius ubicunque moratur & eſt, beata gloria continuo fruitur. *Faciem Patris Angeli ſemper vident, & tamen ad nos veniunt; quia ad nos ſpeciali præſentia foras exeunt, & tamen ibi ſe unde receſſerunt per internam contemplationem ſervant. Neque enim ſic à divina viſione foras exeunt ut internæ contemplationis gaudiis priventur,* inquit Gregorius Hom. 34. in Evangelia. Quia igitur S. Paulus Apoſtolus, quamdiu hic in terris nobiſcum vixit, quocunque tandem in loco morabatur, attamen ob cæli ad quod ſemel raptus fuerat, continuam contemplationem, veluti alter quidam Angelus in cælo ſemper & continuo degebat. *Quid dicam de Paulo Apoſtolo,* inquit B. Thomas de Villa Nova Conc. 4. de Aſſumpt.

ſumpt. *qui iter agendo, prædicando, corripiendo, diſſerendo cum toto orbe pugnavit: & tamen Paradiſum, quem ſemel luſtraverat animo nonnunquam deſeruit?* Certè altius quam Angelus quidam fuiſſe æſtimari non poterit. *Vis videre Cherubin? reſpice Paulum.*

21. S. Lucas Actuum Apoſtolicorum cap 14. v. 11. refert quod plebs Lyſtria dum quendam ex utero matris ſuæ claudum à S. Paulo ſubito miraculoſeque ſanari videret, ex hoc novo adeo & extraordinario miraculo obſtupefacta, eundem non mortalem aut terrenum quendam hominem judicarit Sed potius aliquem de illorum hominum numero, qui ipſorum opinione cælos inhabitabant, ideoque Mercurium eſſe dicebant: *Dicebant Paulum Mercurium.* Cur obſero S. Paulum opera humanas vires longe ſuperexcedentia patrantem, non terrenum, ſed cæleſtem quendam hominem, Mercurium nimirum eſſe exiſtimabant? Cur non potius illum judicabant eſſe Jovem, Apollinem, Martem, Æſculapium, aut alium quempiam ex iis quos a Dæmone illuſi in cælis eſſe credebant, & adorabant? Ob rationes bene multas eaſdemque perpulchras. Primo ob admirabilem ejus eloquentiam: *Quoniam ipſe erat dux verbi*, inquit idemmet Lucas ibidem. Mercurius enim apud antiquos, eloquentiæ Deus erat, ad cujus clariorem expreſſionem cytharam manu ſua tenens pingi conſueverat, per quam ut interpretatur Albericus Philoſophus lib. de deorum imaginibus, eloquentia intelligitur, ideo, ſupernaturalem Apoſtoli eloquentiam audientes, cum illum hominem eſſe credere non poſſent, Mercurium eſſe exiſtimabant: *Dicebant Paulum Mercurium.* Divina namque auxiliante gratia adeo erat ſtupenda & ingens Apoſtolo eloquentia, ut verba illius non verba ſed è cælo dilapſa viderentur eſſe tonitrua. *Quotieſcunque Paulum Apoſtolum lego*, inquit S. Hieronymus in Apologia ad Pammachium pro libro contra Jovinianum, *videor mihi non verba audire, ſed tonitrua.* Ejuſmodi & non alia verba illius eſſe debebant, ſiquidem non ipſe ſed Deus potius in pectore ſuo veluti in proprio templo abſconditus loquebatur. *De cujus pectore quaſi de proprio templo Dominus loquebatur*, ſcribit Fauſtus Epiſcopus Rhegienſis Epiſt. 1. quæ eſt in Tom. 3 Bibliothecæ Patrum

22. Multi opinantur Herculem ea quæ in mundo operatus eſt prodigia, non corporis viribus neque clava quam ſecum ſemper habebat, aut aliis armis, ſed linguâ ſuæ excellentiæ & eloquentiæ operatum fuiſſe. Lingua ſua duntaxat monſtra domabat, vincebat invincibiles, & obvium quemlibet ſibi attrahebat. *Opinamur*, inquit Lucianus de Hercule *Herculem oratione omni perfeciſſe ſiquidem tela ipſius acuta, certa, & animas ſauciantia, ſermones interpretemur.* Unde ab Alciato depingitur cum catena, qua ab ore ejus egrediente, auditorum ſibi auriculas ligat, & ſecum trahit, unde hi apud Alciatum Emblemate 81. verſus extant.

*Qui quod lingua illi levibus traiecta catenis*
*Quem fiſſa faciles allicit aure viros.*

Pictura iſthæc autem, quantum capere poſſum, à Mercurii derivata eſt ſimulachro ſimili modo explicato: *Mercurium finxerunt antiqui, aurea catena auribus hominum annexa, mortales quocunque collibuiſſet, trahere ſolitum*, ſcribit Natalis Comes lib. 5. Mythol. cap 5. Porro quis eſt qui neſciat idipſum quod de Hercule, & Mercurio finxit antiquitas, reipſa in S. Apoſtolo Paulo viſum & adimpletum fuiſſe. *Lingua Pauli*, inquit Chryſoſt. ubi ſupra Hom. 7. *quibuſcunque fuit admota ad ſeipſum eos continue transferebat: impugnatores quoque eius celeriter capti ſunt.*

23 Scitiſne fortaſſe qualiſnam ars illa fuerit, quam S. Paulus, ut neminem importune gravaret hocque fine è manuum ſuarum labore vivere poſſet, exercebat, ab Evangeliſta ſcenofactoria appellata? *Erat autem ſcenofactoriæ artis*, inquit Lucas Actuum Apoſtolicorum cap. 18 v. 3. S. Vincentius Ferrerius ſerm in Commem. S Pauli Gloſſam citans dicit hanc fuiſſe artem faciendi chordas: *De Paulo dicit textus, quod erat artis ſcenofactoriæ. Scenofactoria dicit gloſſa, derivatur à ſcenos, quod eſt tenda & chorda, dicit ergo quod ſciebat facere chordas.* Vere autem dici poteſt ipſum chordas paraſſe, quibus ob ſupernaturalem eloquentiam ſuam ligabat hominum corda eademque ad Deum ſecum trahebat. Unde Eccleſia hujus artis ab Apoſtolo exercitæ probe conſcia, eidem dicit:

*Egregie Doctor Paule mores inſtrue.*
*Et noſtra pectora tecum ad cælum trahe.*

Etenim ex nunc rationem intelligo ob quam S. Joan. Chryſoſtomus ubi ſupra Hom. 8. S Apoſtolum ſolem appellare non dubitet. *Sol enim*

*quidam*

*quidam hominibus: ſi Paulus*, ſicut enim ſol omnia in altum attrahit, ideoque juxta Richardum à S. Laurentio de laud. B. Mariæ à latinis ſol dicitur, *quia ſurſum omnia levat*. Ita Apoſtolus Eloquentia ſua mediante, homines ſurſum trahit in Paradiſum.

14. Adhæc Mercurius judicari & nominari fortaſſe potuit, ob exceſſum charitatis, pietatis & teneritudinis, quibus Deus cor ſuum plenum habebat. Aſtrologi docent, Mercurium unum eſſe è ſeptem Planetis, qui quaſi propriam & particularem naturam minime haberet, cum illo planeta transformatur, cui ſibi obvio conjungitur, adeo ut cum calidis calidus ſit, cum frigidis frigidus; cum maſculis maſculus, fæmella cum fæmellis. Charitas magni hujus ſervi Dei adeo fuit ingens & admirabilis, ut veluti Mercurius quidam ſeſe in omnes transformabat hominum indoles, ut omnium lucraretur ſalutem. Audite quid 1. Cor. cap. 9. v. 10. & ſequentibus dicat: *Factus ſum Iudæis tanquam Iudæus, ut Iudæos lucrarer: factus ſum infirmis infirmus ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus ſum ut omnes facerem ſalvos.* Verus itaque eſſe videbatur Mercurius.

15. Præterea æſtimari Mercurius potuit, eo quod quidam videbatur eſſe Angelus. Nam uti veteres finxêre Poetæ, Mercurius quidam erat Deorum nuntius atque legatus (quotieſcunque enim Dii aliquem de cælo in terram ad homines expedire volebant, Mercurium ablegabant, ideoque Mercurius apud Deos fictos eadem videtur obiviſſe munia, quibus in cæleſti veri Dei curia Angeli funguntur, & ſic quidam fuit falſorum Deorum Angelus. Angeli ſunt quidam veri Dei nuntii ſeu ut ita dicam Mercurii, quos Deus ad homines mittit, ad annuntiandum ea quæ pro ipſorum ſunt determinata ſalute. *Angelus enim idem ſignificat quod nuntius Angelorum vocabulum nomen eſt officii, non naturæ*, inquit S. Greg. Hom. 34. in Evangelia. Nam ſancti illi cæleſtis patriæ ſpiritus Angeli ſunt, cum per eos aliqua nuntiantur. S. Paulus igitur quidem eſſe videbatur *Mercurius*, id eſt quidam non falſorum & ementitorum Deorum, ſed Dei vivi & veri *Angelus*, ideoque Mercurii nomen accepit. Pro cujus confirmatione ſciendum, quod ſicut Angeli ob admirabilem velocitatem ſuam, quacum divina exequuntur mandata apud nos alati pinguntur, ad eum fere modum quo apud Gentiles pingi ſolebat Mercurius: Ita Paulus pro munere ſibi impoſito rite exequendo tanta cum velocitate per totum mundum diſcurrit, illumque ſubjugatum Deo obtulit ut alatus fuiſſe videri potuiſſet. *Quia ſeipſum conſecraverat Deo*, inquit Chryſoſt. ubi ſupra Hom. 2. *etiam orbem univerſum ſtuduit offerre qui terram videlicet & mare, Græciam ſimulque Barbariam, omnemque prorſus quanta ſub Cælo eſt regionem quaſi volitans circumivit.* Num forte rapiditas & pernicitas volatus illius, quo hic Apoſtolus, Angelus ille terrenus, ac verus Mercurius, per totum mundum diſcurrens eundem Deo ſubjugavit, aliqua ſaltem ratione explicari poterit. Inter alia quæ de Alexandro Magno celebrantur magnalia, non minimum eſt ingens illa temporis acceleratio, quo ſe unius partis orbis hujus patronum & Dominum conſtituit. Verum enimvero celeritas hæc, celeritatem illam nequaquam aſſequitur, quacum S. Paulus Apoſtolus ſolus & inermis, veluti Angelus quidam alatus per totum mundum diſcurrit, eumque Chriſti imperio totaliter ſubjugavit. *Vbi ſunt*, inquit S. Hieronymus in Pſal. 8. *qui prædicant Alexandrum Magnum Macedonum Imperatorem, quod in breviſſimo tempore vicerit tantas gentes! Habuit exercitum, habuit & ingentes turbas, & non tale aliquid potuit, ſed modicum quiddam. Paulus totum orbem ſubegit, ab Oceano uſque ad mare rubrum.*

16. Denique Apoſtolus dicebatur Mercurius, quia ipſum verum judicabant eſſe Deum in humana forma de cælo in terram dilapſum: *Dii ſimiles facti hominibus deſcenderunt ad nos*, dicebant de Paulo & Barnaba, poſtquam Paulum ſanantem conſpexere claudum. Per pileum Mercurii ſemialbum & ſeminigrum, nihil Poetæ aliud ſignificare volebant, quam quod pileus iſte ea virtute polleret, ut ea quæ nigra ſunt alba imo candidiſſima facere poſſit. *De nigris alba faciebat Mercurius*, inquit Albericus ubi ſupra, *quod oſtenditur per eius pileum ſemialbum & ſeminigrum.* Quia autem Deo hoc proprium eſt, ideo Mercurium hac virtute præditum Deum eſſe voluerunt. Cum igitur Apoſtolus veluti alter quidam non fabuloſus, ſed verus & realis Mercurius, alteri quam huic operi intentus minime erat (neque enim alio fine diſcurrebat, laborabat, prædicabat, quàm ut homines peccatores nigros & tenebroſos velut Æthiopes albos faceret, candidos atque ſplendentes.) Ideo paſſim ab omnibus Deus quidam in forma humana de cælo delapſus judicabatur & appellabatur.

27. Cre-

27. Credo quod major in mundo dignitas eſſe non poſſit, quam ſit ea, qua Deus admirabilem hunc Apoſtolum decoravit, dum illum Doctorem eſſe voluit, non hominum tantum (hoc enim evidentius eſt, quam ut negari poſſit) verum etiam Angelorum. Audite ipſum ad Epheſ. cap 3. v. 8. hiſce verbis ſcribentem: *Mihi omnium Sanctorum minimo data eſt gratia hac in gentibus Evangelizare inveſtigabiles divitias Chriſti, & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio Sacramenti abſconditi à ſæculis in Deo qui omnia creavit, ut innoteſcat principatibus & poteſtatibus cæleſtibus.* S. Joannes Chryſoſtomus Hom. 7. ad Epheſ. hæc verba audiens ſtupefactus hæret, hiſque Apoſtolum verbis alloquitur: *Nunquid & Angelos & Archangelos principatuſque & poteſtates illuminas?* Ergone ô Paule verum eſt quod Paradiſi ſpiritus tu doceas atque illumines? & reſpondes: *Vtique inquit.* Hanc mihi DEUS facere dignatus eſt gratiam, ut non hominum tantum, ſed & Angelorum me magiſtrum eſſe voluerit. Quid igitur de Paulo Angelos illuminante atque docente dicemus? hoc nimirum quod ex hoc videatur perſpicue quod ſit veluti quidam in terra DEUS, ad hunc namque duntaxat pertinet ſpirituum Paradiſiacorum illuminatio & eruditio.

27 Alium quendam pro eodem intento declarando, locum ex prima ad Corinthios velim obſerveris; Nam 1. Corinth. 6. v 3. dicit *Neſcitis quoniam Angelos judicabimus?* Quidnam obſecro Apoſtolus hiſce verbis innuere volebat? Honoris nimirum exceſſum, quo Deus illum dignabatur extollere. Significare nitebatur, quod à Deo ſupra omnes Angelos & Paradiſi ſpiritus evectus & exaltatus eſſet. Sicut enim in mundo magni fiunt qui in eo magni nomen obtinent, & majoris æſtimantur illi qui magnatum ſunt judices: *Grande eſt procerum eſſe*, inquit Caſſiodorus, *ſed multo grandius de proceribus judicare.* Ita quoque magni faciendum quidem eſt, aliquem eſſe Angelum, eſt autem major excellentia Judicem eſſe Angelorum. Cum igitur Apoſtolus Angelorum conſtitutus ſit Judex, ipſiſque Angelis longe ſuperior & altior, merito quidam in terra Deus appellari meretur. Solus enim Deus & non alius major eſt Angelis.

28. Quodſi vobis perverſi alicujus peccatoris animam videre permitteretur, vere vos Dæmonem quendam vidiſſe dicere poſſetis; hæc enim adeo fœda eſt & horrida, ut depictus quidam Dæmon eſſe videatur. Sicut enim facies animæ alicujus ſanctæ, ob admirabilem formam & pulchritudinem ſuam qua prædita eſt, beatus quidam apparet eſſe Angelus, ita anima peccatoris ob horribilem deformitatem damnatus quidam Dæmon eſſe videtur. *Revera peccatoris facies terra eſt, & tantopere fœda, quanto piorum facies eſt pulchra*, inquit Paulus de Palatio in cap. 6. Matth. *Revera impii facies, vultus eſt Dæmonis, ſicut pii facies eſt Angeli.* Cum S. Bernardinus die quadam auſcultatoribus ſuis ſe die ſequenti omnibus concionem ſuam frequentantibus Dæmonem quendam demonſtraturum eſſe promiſiſſet, tandem ſequenti promiſſioni ſuæ ſatisfacturus, dixit, ſe non unum duntaxat Dæmonem ſed plures illis demonſtrare velle; Juſſit ergo ut ſe mutuo fixis oculis aſpicerent, futurum enim eſſe, ut totidem videant Dæmones quod concioni aſſiſtentes viderent homines, utpote qui cum plerique ſint peccatores, Dæmonibus ſint deformiores. *Reſpicite invicem alterutrum, & videbitis Diabolos, nam vos ipſi Diaboli eſtis, qui opera Diaboli facitis.* Ut ſcribit Æneas, Sylvius qui poſtea Summus Pontifex factus, appellatus eſt Pius II. in lib. de viris illuſtribus. Quodſi autem poſtea tantum Dæmonum numerum in Angelos transformatum, atque ab inferno ſuo ſolutum cælos aſcendere, atque inter Angelos æternæ beatitudinis delitiis perfrui conſpicientes me interrogaveritis quiſnam tam turpes Dæmones in Angelos transformare potuerit? Utique id ſolum Deum præſtitiſſe reſpondebo. Solus enim Deus eſt qui Angelos facit, & nemo alius: *Qui facis Angelos tuos*, dicit ei David. Pſal. 103. v. 4. Quemnam igitur Sanctum Paulum fuiſſe dicemus, quando illum innumerabiles Dæmones in totidem Angelos transformaſſe novimus. Hanc illi Deus poteſtatem contulit, quando Evangelium prædicabat, animas Deo attrahebat, à vitiis, & antiqua peccandi conſuetudine, denique ab idolorum adoratione removebat. Audite S. Joannem Chryſoſtomum Hom. 1. de laudibus Pauli: *Græciam ſimulque Barbariam, omnemque prorſus quanta eſt ſub cælo regionem, quaſi volitans circumivit, & peccatorum ſpinas pariterque evellens, & verbum ſeminans ubique pietatis, fugans errorem, veritatem reducens ex hominibus Angelos fecit: quinimo ipſos homines quaſi ex Dæmonibus in Angelos provexat.* Quid vobis de admirabilis hujus virtutis, artis, poteſtatis ſoli Deo propriæ exceſſu

ceſſu

ceſſu videtur? Num vobis S. Paulus Dæmones in Angelos transformans aliud quam quidam in terra Deus eſſe videbitur?

29. Audite qualiter Apoſtolus poſtquam ſe omnibus poſtpoſuiſſet Apoſtolis ſuos pro mundi ſalute exantlatos labores omnium aliorum laboribus præferat & anteponat 1. Cor. 15. v. 9. dicens: *Ego enim ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei ſed abundantius illis omnibus laboravi.* quaſi diceret: licet Apoſtolorum minimus ſim, & Apoſtoli nomine prorſus indignus, utpote qui perſecutor fui Eccleſiæ Dei, in hoc tamen gloriari audacter poſſum, quod plus omnibus laboraverim. Vere equidẽ, uti dicit, plus omnibus laboravit, tantis namque ſe pro Dei gloria confecit laboribus, ut vita ejus non vita, ſed continua potius mors judicari potuerit. *Ego enim jam delibor*, dicebat Timotheo diſcipulo ſuo 1. ad Timoth. 4. v. 6 hoc eſt, mox quavis hora, omnique momento ſacrificando morior. *Et nunc quidem*, inquit Chryſoſtomus ibidem, *verberibus, nunc vero lapidibus caſus atque colliſus: & nunc quidem cum beſtiis, modo autem fluctibus pugnans, modo etiam nimia atque continua reluctatus fame diebus atque noctibus, & inter certamina ubique reſiliens captas aves ex Diaboli faucibus extrahebat.* Unde labores ejus explicari non poſſunt: Quia vero ſancti quanto plus laborant, & ærumnis vexantur, tanto à Deo magis diliguntur. (Adeo enim plus amantur qui magis pro ipſo ærumnantur, juxta id quod Apocal. 3 verſ. 19. S. Joanni Apoſtolo, *Quos amo arguo & caſtigo*) neceſſum eſt ut Apoſtolum qui plus cæteris omnibus laboraverat, amplius etiam præ cæteris dilexerit; Atque ideo Petrus Damiani Opuſc. 31. cap. 3. illum eo quod plus omnibus à Deo diligeretur, Chriſti Beniaminum appellat. Quod cum ita ſe habeat, quando ob hanc adeo ardentem Chriſti erga Paulum dilectionem, cumulatus eſſe debuit cæleſtium favorum exceſſu? qui enim à Principe intimè diligitur, illi nihil eorum unde honorari poſſit deeſt quod non habeat, nihil quod non ſit aut eſſe aut facere poſſit. *Si quis in regno acceptus eſt Regi, hic & Regis & regni poſſeſſor eſt. Amor namque omnia ſibi tribuit: nam Regis corde per amorem poſſeſſo & Rex & Regnum per obſequium veniunt. Dilecto omnia patent, omnia obediunt, nemo illi quidquam in tota domo interdicere audet*, inquit B. Thomas à Villa Nova Conc. de D. Joanne Evangeliſta. Cum igitur Paulus tantus fuerit Dei amicus, nullum prorſus dubium eſt, quin Deum hic in terris perfecte repræſentarit. Eo ipſo enim quo Dei amicus erat verum quoddam Dei ſpeculum nominari poterat, vulgari namque proverbio *Amicus ſpeculum dicitur.* Speculum autem Dei exiſtens. Deum haud ſecus ac ſi Deus ipſe fuiſſet repræſentare debebat. Sicut enim ſpeculum illius propriiſſime refert imaginem, qui illud inſpicit: ita Paulus imaginem Dei, illum ob ardentem quo illum proſequebatur amorem continuo reſpicientis, referre perfectiſſime debebat. Ideoque vere Deificatus, & quaſi quidam erat in terra Deus. Id quod ipſemet Apoſtolus ad Galathas cap. 2. verſ. 20. ſcribens inſinuare volebat, quando iiſdem dixit: *Vivo autem iam non ego, vivit vero in me Chriſtus.* Quod ut Paulus de Palatio in cap. 5. Matth. inquit, idem eſt, ac ſi diceret: Non ego ſum is qui vivo, verum vivit in me Chriſtus, adeo ut veluti alter quidam ſim Chriſtus & Deus. *Quia CHRISTI accepi Deitatem, quidam CHRISTUS ſum.*

30. Vere igitur quamdiu Paulus in hoc mundo vixit, ob tantas gratias, ob tot favores, honores, & dona à Deo liberaliſſime collata, Deus quidam eſſe videbatur. Pro cujus evidentiori declaratione quidam ex Corinth. 12. verſ. 6. locus obſervari meretur, ubi particulares à Deo ſibi clementer præſtitos favores recenſens, & quidem cæteros inter illum præcipue ob quem in cælum rapi ibidemque inter Angelos alioſque Paradiſi cælites tribus diebus integris commorari dignus fuit, veruntamen ulterius progredi alioſque ſibi factos favores exponere volens, mox pedem ſiſtit ac tacet, tandemque ſubjungit. *Si voluero gloriari, non ero inſipiens, parco autem, ne quis me exiſtimet ſupra id quod videt in me, ac audit aliquid ex me.* Quaſi diceret; Quodſi alios à Deo mihi præſtitos favores enumerare vellem, plures utique eoſdemque excellentiſſimos poſſem adducere, nunc autem hic Plato quieſcere jubet, neque enim ulterius progredi operæ pretium eſſe exiſtimo. Quodſi enim majorum favorum catalogum explicare vellem, mundus facile de me ſupra id quod vere ſum æſtimare poſſet. Ita explicat hunc locum Chryſoſtomus Hom. 1 ad pop. *Poteram*, inquit, *multo majora dicere miracula, ſed nolo, ne forte ſignorum magnitudo majorem de me hominibus ſuſpicionem inducat.* Quainam de Apoſtolo præſumptiones altaque judicia non formaſſent homines, ſi iis ea quæ tacuit

tacuit revelaſſet ? Utique illum non hominem ſed Deum quendam eſſe ſibi firmiter perſuaſiſſent. Quod ſi enim Lyſtrii illum unicum duntaxat miraculum patrantem conſpicientes, illum Deum quendam eſſe ſunt arbitrarii, eidemque veluti vivo cuidam ac vero Deo thura & ſacrificia offerre decreverunt, quomodo Corinthii tot illi factas revelationes clare percipientes, idem de illo non efformaſſent judicium ? *Hac eſt certiſſima cauſa*, inquit in 1. Cor. cap.12. Theophylactus, *ne homines ex ipſo Deum facerent. Nam ſi tauros ei mactare voluerunt propter ſigna, quid non feciſſent, ſi etiam revelationes manifeſtaſſent.*

Audiſtis itaque Auditores ingentem illum quo Deus huic noſtro Gentium Doctori favere dignatus, gratiarum exceſſum, divini hujus Apoſtoli præeminentias, dignitates, gratias, dona & honores, nemini unquam aliorum hominum hactenus conceſſos. Supereſt ut Deum hiſce merito alloquatur B. Thomæ à Villa Nova Conc. de Transfigurat. Verbis: *ſupra modum in me amando exceſſiſti, Domine mi !*




PANE-

# PANEGYRICVS XXVIII.

## De glorioſiſſima Virgine & Dei Genitrice MARIA habitus in ejus Viſitatione.

## THEMA.

Exurgens MARIA abiit in montana cum feſtinatione in civitate Iuda. Luc. I. verſ. 39.

## ARGVMENTVM.

*Velocitas illa quacum magna Dei Mater & Domina noſtra ad nobis ſuccurrendum & beneficiendum movetur, ſingularem apud nos admirationem meretur.*

1\. CAuſa ob quã Sereniſſima Angelorum Regina, poſtquam Deum in utero ſuo concepiſſet, a propria domo ſua abire, patrios quoq; lares deſerere & ignotas itineris vias, prærupta montiũ, viarum aſperitatem aliaque quæ viatoribus occurrere ſolent laborum faſtidia nequicquam timens, Jeroſolymam verſus iter ſuum inſtituere voluerit, cauſa inquam hujus fuit, quia S. Joann. Baptiſt. adjuvare moliebatur. Quæ enim cæleſtem mediũ recens in ſacratiſſimi uteri ſui receperat hoſpitium, Joannem à peccatori originalis morbo curare feſtinabat; Quæ ſummũ juſtitiæ ſolem in gremio ſuo abſconditum habebat eundem Joannem illuminare geſtiebat; Quæ Paradiſi opulentiſſimum & explicabilem acceperat theſaurum, illius Joannem contendebat reddere participem; Qua panem ſecum habebat Angelorum, illi cibare volebat famelicum. Quæ inæſtimabili Paradiſi gaudio donata fuerat, cum qui in lacrimarum vallem deſcenderat lætificare & recreare veniebat; denique quæ Deum in virgineo ſinu ſuo portabat, Joannem è Dæmonis manibus, in quas, per culpam hæreditariam prolapſus fuerat, eripere volebat. Ut autem tantas Joanni gratias cõmunicaret, curaret infirmum, cæcum illuminaret, locupletaret pauperem, ſaturaret famelicum, mæſtum & anguſtiatum lætificaret, priſtinæ captivũ libertati reſtitueret, atque a Diabolicis peccati funibus tanto citius expediret, omnem poſſibilem in id operis adhibuit accelerationem. Luc. I. v. 39. *Abiit in montana cum feſtinatione.* Hac autem acceleratione & ſollicitudine, qua in cunctis neceſſitatibus noſtris nobis quanto citius id facere poteſt ſuccurrit, cum ingenti id conſiderantium ſtupore, ſemper & continuo cum particulari ſtudio, toties

ties quoties opus eſt uti conſuevit, prouti in Panegyrico præſenti fuſius oſtendemus.

2. Quam obſecro ob cauſam, ut ab hoc exordiamur Spiritus Sanctus glorioſiſſimam Virginem columbam appellat ? Sic enim Cant. 2. verſ. 10 ei dicit: *Columba mea, formoſa mea.* Et ejuſdem libri cap. 5. verſ. 2. dicit. *Soror mea, Columba mea.* Denique ibidem cap. 6 verſ. 8. de ea dicit: *Vna eſt Columba mea.* Cur non Aquilam, gallinam, hirundinem, aut cujuſcunque demum alterius volucris nomine, eam vocat, ſicut nominat Columbam ? Columbam appellat, tum ob ingentem charitatis exceſſum qua erga homines ardentiſſime flagrat: Columba enim charitatis eſt ſymbolum : *Charitatem hieroglyphicè nonnulli per Columbam interpretantur*, inquit Pierius lib. 22. Nimirum Columba valde amat homines, atque ob hunc propenſum in homines affectum Columba ex humana ſocietate impenſe delectatur : *Hoſpitia humana diligit*, inquit, Sanctus Cyprianus lib. de unitate Eccleſiæ: tum denique ob ſumme admirandam velocitatem, qua tanti amoris adacta ſtimulis ad nobis in neceſſitatibus noſtris ſuccurrendum movetur & accelerat. Columba præ cunctis aliis volucribus in volatu ſuo rapidiſſimo eſt & perniciſsime volat: *Perniciosiſſimus enim eſt ejus volatus*, ſcribit Pierius ubi ſupra. Atque ideo quotieſcunque antiqui in civitate obſeſſis aliquid quod accelerationem poſcebat inſinuare volebat, columbæ alicujus alligata ad collum ejus monitrice litera uti ſolebant obſequiis. Sic Hircius Conſul Romanus ut Brutum à Marco Antonio Mutinæ obſidione cinctum de rebus ſcitu illi neceſſariis certiorem redderet, columbam quandam alligatis ad collum ejus literis direxit. Ita quoque Tauroſthenes, uti Ælianus narrat, ut Patri ſuo famoſam quandam Piſis obtentam victoriam notificaret, columbam quandam purpura coopertam Æginam verſus direxit, quæ prolixum longumque iter ſuum unico duntaxat die abſolvit, quam proinde nonnulli, qui idipſum naturæ viribus fieri poſſe minime credebant, Magia ſive arte Diabolica circa illam adhibita habuere ſuſpectam. Inſuper ab aliis refertur, Orientales etiamnum hodie, quoties ſecuritate & acceleratione ſuis in negotiis opus habent pro literis deportandis columbas adhibere: *Aſſerunt nonnulli: trans mare ad ortum columbas eſſe, quæ per medios hoſtes intercluſa via, nunciorum officio fungentes, Dominorum literas ſub alis brevi tempore longiſſime deportent.* Inquit Joannes Baptiſta Porta de occul. lit. not. lib. 2. cap 11. Deipara Virgo Maria Columba eſt, ſic enim frequenter a Spiritu Sancto nominatur; atque ideo quotieſcunque ob indicibilem & incomparabilem erga homines affectum, ad homines ſuis in neceſſitatibus adjuvandos, de cælo in terram deſcendit, tanta id cum velocitate, acceleratione & ſollicitudine facit, ut incredibile quodammodo eſſe videatur. Porro dum Beatus Tomas à Villa Nova Conc de Viſitatione Beatæ Virginis quanta cum celeritate greſſum B. Virgo ad præcurſorem conſolandum eique ſubveniendum, gratiamque divinam illi per eum quem ſecum habebat gratiæ authorem conciliandam, Judeæ montes tranſcendat, detam feſtinandi & accelerato itinere prorſus obſtupefactus, illam velocem inque acutiſsima montium cacumina evolantem appellat columbam : *celerem Columbam per culmina montium pervolantem, Virginem Deiparam.*

3. S. Joannes Apocal. 11. v. 19. ſe quondam templum cæli apertum, in eoque arcam teſtamenti ſe vidiſſe ſcribit : *Apertum eſt templum Dei in cælo, & viſa eſt arca teſtamenti ejus in templo ejus.* Quidnam obſecro hæc à S. Joanne in cæleſti templo viſa teſtamenti arca ſignificabat ? nimirum B. Virginem, quæ ab Eccleſia Fœderis arca appellatur ſignificabat. *Quæ profecto arca,* inquit S. Ildephonſus ſerm. 1. de Aſſumpt. *B Maria eſt, quæ hinc jam tranſportata eſt* Cur autem B. Virgo Arca appellatur ? Ideo nimirum quia eos qui ſub pietatis ſuæ pallio ſeſe recipiunt, à communis adverſarii noſtri inſidiis & moleſtiis tuetur ac defendit. *Arca* ut vult ſanctus Iſidorus, dicitur *ab arcendo.* Similiter arca dicitur, quia fida erat ſolitudinis & ſecreti receſſus amica, utpote quæ in abditis ſemper locis manebat recondita. Arca denique dicitur quia Deum incarnatum in ſacratiſsimi uteri ſui ſecreto portavit. *Arca* enim uti Richardo à S. Laurentio lib. 10 de laudibus B. Mariæ placet, *dicitur ab arcano* Verum enimvero obſervandum eſt, illam non abſolute Arcam, ſed, *Arcam teſtamenti* appellari, id eſt illi arcæ ſimile dici quam Moyſes ex divina ordinatione fabricavit, quæque inter duos Cherubinos collocata, ab iiſdem veluti portabatur & levabatur in altum : *Quaſi portaretur ab ipſis Cherubin, qui erant in extremitatibus Arcæ*, inquit Nicolaus Lyranus in cap. 25. Exodi. Per quod perſpicue nobis inſinuatur,

B. Vir-

B. Virginem tunc, quando pro ferendo neceſſitatibus noſtris ſubſidio ſeſe movet, tanta cum velocitate & acceleratione ambulare, ut veluti à Cherubinis, ventorum inſtar rapidiſſime volantibus portari videatur. Quocirca Richardus à S. Laurentio ubi ſupra lib. 3. Beatæ Virgini illa Pſalmi 17. v. 11. Verba applicat: *Aſcendit ſuper Cherubim & volavit, volavit ſuper pennas ventorum*, quaſi ipſa ad nobis tanto velocius & citius ſubveniendum, Cherubinis inequitare fingeretur, quæ à Joſepho Hebræo in lib. Antiquitatum *Animalia velociſſima* nominantur.

4. Beatiſſima Virgo propriiſſimo nomine MARIA vocatur, quod interpretatur *ſtella maris*, quia vere ſtella quædam fuit. Unde Eccleſia illam ſalutans dicit: *Ave maris ſtella*. Cur obſecro ſtella vocatur? Ob rationes bene multas & varias. Primo enim ſicut ſtellæ elegantiſſimum & pulcherrimum ſunt cælorum ornamentum, ita quoque ipſa eſt cæli tam militantis quam triumphantis Eccleſiæ pretioſiſſimum ornamentum. Aut vero ſicut lumen quo mundus illuminatur à ſtellis producitur: ita ipſa quoque lumē illud mundo adduxit, quod ut dicitur Joan. 1. v. 9. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* ipſa eſt, quæ Eccleſia teſte *lumen æternum mundo effudit Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*. Vel ſicut ſtellæ quantumvis ſint luminoſæ ad ſolis tamen præſentiam ita obſcurantur, ut nullatenus appareant: ita quoque Deipara Virgo licet eſſet totius mundi potentiſſima Regina & Domina, mox tamen ut Deum increatum Juſtitiæ ſolem, ſoliſque factorem, in utero ſuo incarnatum præſentem habuit, adeo obſcurata fuit, ut ancillam ſe reputaret, cæleſtique Paranympho Luc. 1 v. 38. diceret: *Ecce Ancilla Domini*. Adhæc ſicut ſtellæ cauſa ſunt mutationis temporum: ita quoq; ipſa, veluti nova quædam ſtella, antiqua tempora fælici viciſſitudine immutavit, atque ea quæ obſcura erant luminoſa, quæ calamitoſa erant fælicia, læta denique quæ erant lacrimoſa & triſtia. Præterea ſicuti ſtellæ ex igne formatæ cenſentur, ut proinde veluti totidem in cæleſti ſphæra faces reſplendeant: ita quoque Deipara Virgo igne amoris erga nos concepti candens prorſus & ignita, fuit maxime poſtquam ignem Paradiſiacum in ſuo ſanctiſſimo utero recondidit. *Tota eſt ignea per charitatem*, inquit Richardus à Sancto Laurentio ubi ſupra lib. 1. *Maxime tempore quo illum concepit qui ignis conſumens eſt*. Denique ſtella appellatur ob feſtinum celeremque motum, quo tanto amoris igne ſuccenſa, ut in miſeriis noſtris ſuccurrat, rapidiſſimo greſſu movetur, & accelerat. Stellarum namque velocitas adeo eſt admirabilis, ut ſagittæ ſuperet volatum, motui globi è tormento bellico vi pulveris nitrati ejecti, prævaleat, tametſi illa ob ingentem motus & curſus ſui velocitatem, dum aëre findit, videri minime poſſit, curſum quoque è cælo vibrari fulguris nubes frangentis perque illas diſcurrentis, & quicquid eſt rerum aliarum velociſſimarum, longe ſuperet. *Mirabile eſt*, inquit Simon Majolus Dier. Canic. in Meteoris, *ſyderum motum explicare, & curſus velociſſimam accelerationem, nam ſagittas ſuperant, qui in ſuo motu antevertunt vehementiam globorum, qui ab æneis maximis tormentis igne immiſſo excluduntur. Imo longiſſime excedunt ſua velocitate etiam caleſtium fulgurum è nubibus emiſſum impetum*. Non minus admirabilis eſt ingens illa velocitas, qua Patrona noſtra movetur, quando ad auxiliandum nobis ſeſe accingit; Nullam ſecum comparationem admittit, quamvis aliam velocitatem longe tranſcendit, quemvis alium cujuſcunque tandem interceſſoris & Patroni pietatis motum ſuperat immenſum. Maria enim eſt, Stella eſt: *Stella maris*.

5. Sciendum quoque eſt quod Richardus à Sancto Laurentio lib. 4. de laudibus Beatæ Mariæ, de hac augſtiſſima Domina noſtra loquens, digniſque illam laudum præconiis extollens dicat: *Angelorum formam expreſſit*, quaſi dicere vellet, quotquot illam videre meruere, ſe Angelum quendam videre & intueri dicere & gloriari poterant. Verum enimvero dicat forte aliquis, præconium iſtud Beatiſſimæ Virgini non bene quadrare, utpote modicum nimis & exiguum illi, quæ Domina eſt Angelorum & Regina. Sicut enim Regina nimis humiliter, & quaſi nihilum honoratur, ſi illam vaſallorum aut ſubditorum ſuorum nonnemini conferas: Ita nimis humiliter Deipara Virgo honoratur, ſi Angelis, quorum ipſa Regina & Domina eſt, comparatur. Etenim quia perſuadere mihi nequaquam poſſum hunc Doctorum Deiparam Virginem Angelis ſeu Dominam ſervis & vaſallis ſuis nuda comparare voluiſſe, ſed potius in hoc duntaxat collimaſſe, ut admirabilem velocitatem, qua cum ex immenſa charitate ſua, nobis auxiliatura, movetur, commonſtret; hanc enim efficacius exprimere minime poſſet, quam ſi Angelis illam ſimilem eſſe diceret:

*Angelo-*

*Angelorum formam expreſſit.* Quis Angelos igneos prorſus eſſe ipſoſque ventos veloci curſu ſuo antevertere neſcit? *Qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem urentem*, inquit David ad Deum Pſalm. 103. verſ. 4. Tanta eſt Angelorum ſeſe moventium atque volantium velocitas, ut ſtellarum cæleſtium curſum incomparabiliter præveniat, motumque illarum tranſcendat. Angeli tanta cum velocitate moventur de uno loco in alterum, ut per medium, per quod res materiales neceſſario pertranſire debent, nequaquam pertranſeant. Ita enim Doctor Angelicus part. 3. quæſt. 53. art. 3. determinat Angelum igitur auguſtiſſima Cælorum Regina referebat: *Angelorum formam expreſſit*: quando nobis auxiliatura, noſque in neceſſitatibus noſtris conſolatura ad nos venit, tanta namque cum feſtinatione & velocitate in terram veniens movetur, ut per medium tranſire nequaquam videatur, utpote quæ uno eodemque tempore quo eſt in cælis, nobiſcum etiam hic deorſum adeſt in terris. *Angelorum formam expreſſit.*

6. Quis neſcit Seraphinorum volatum omnium aliorum ſpirituum cæleſtium volatum rapiditate & pernicitate ſua longe ſuperare? Quia enim Seraphini plus cæteris ardent, ideoque incendium dicuntur, conſequenter etiam velocius atque rapidius volant, cumque cæteri cæleſtes ſpiritus duabus ſint alis præditi, ipſi ſenis gaudent: *Sex alæ uni, & ſex alæ alteri*, inquit de duobus Seraphinis Iſaias ca. 6. v. 2. quos in conſpectu Dei viderat; Major autem eſt velocitas volatus avis alicujus ſenis alis præditæ, quam alterius duabus tantum alis inſtructæ. Jam vero velociſſimus ſublimium ſpirituum illorum ſex alis præditorum volatus, à volatu Deiparæ Virginis quo ad nos in neceſſitatibus noſtris opem latura advolat, improportionabiliter & ſine ulla comparatione tranſcenditur & ſuperatur. Qua de re Amedæum Hom. 8. de laudibus B. Virg. loquentem, ſi placet, audite: *Motu celerrimo*, inquit hic Doctor, *Seraphim alas excedens, nunc in fonte vitæ fruitur amore Deitatis, nunc terras ſignis & virtutibus illuſtrans, ubique ſuis, ut mater jucundiſſima & mirificentiſſima occurrit.* Hoc eſt; Deum ipſa pro ſui beatificatione ad Deificum thronum ſublimatur, atque ad nos veluti dulciſſima mater noſtra in adjutorium noſtrorum ſeſe dimittit, adeo eſt in motu ſuo velox & rapida, ut velociſſimorum Seraphinorum, quibus Deus ut volando perniciores eſſent ſex alas addidit, volatum longiſſime ſuperet: *Motu celerrimo ſenas Seraphinorum alas excedens.*

7. S. Gabriel Archangelus ut ſecretum Virginei cubilis penetrale ingrediens, Beatiſſimam Virginem Divini Sacramenti, quod Deus in iacratiſſimo ejus utero exequi decreverat, certiorem redderet, eidem primo dixit: *Ave gratia.* Quibus in verbis obſervandum, Angelum non dixiſſe. *Ave Maria*, ſed *Ave gratia.* Quam obſecro ob cauſam Angelus Beatam Virginem nomine ſuo indicaturus, illam non Mariam ſed gratiam appellat? Ut nimirum tibi inſinuaret, quod non ſolum *Maria*, ſed etiam *Gratia* appellata fuerit. *Angelus*, inquit Richardus à S. Laurentio de laud. B. V. lib. 1 *proprium nomen ejus tacuit, & hoc quaſi pro nomine ejus proprio poſuit, ut Gratia deinceps vocaretur.* Eccleſiaſticus quoque ſapiens ipſam Paradiſo comparare volens, non Mariam ſed gratiam appellavit Eccleſ. 40. v. 17. *Gratia ſicut Paradiſus.* Non dicit Maria eſt veluti Paradiſus. Sed gratia ſicut Paradiſus. Ita hunc locum S. Bonaventura in ſpec. Virg. c. 13 explicat dicens. *Tanta gratiarum copia in Maria abundavit, ut etiam ipſa glorioſa Virgo gratia quodammodo dici poſſit.* Cur obſecro B. Virgo gratia appellatur? Hoc nomine indigitatur, eo quod dum ſuas hominibus communicat & impertitur gratias, tanta cum celeritate & velocitate graditur & advolat, ut moram & tarditatem omnem neſcire prorſus videatur *Neſcit tarda molimina ſpiritus ſancti gratia*, inquit Ambroſius lib. 2. in Lucam.

8 Joannis cap 6. v. 51 invenietis, quod Salvator noſter de admirabili Euchariſtiæ ſacramento loquens, Matrem ſuam ſanctiſſimam cælum appellarit: *Ego ſum panis vivus, qui de cælo deſcendi.* Hoc eſt, Ego ſum panis in ſanctiſſimæ Matris meæ utero vere formatus, quæ cælum appellari meretur, quia inde ad vos deſcendit: *Deſcendit de cælo*, inquit S. Ambroſius lib. 6 de ſacram. cap. 1. *Quia carnem in terris aſſumpſit ex Virgine.* Damaſcenus quoque Orat 1. De Nativitate B. Virginis de illa loquens dicit: *Hodie ex terrena natura cælum in terra ille condidit, qui olim firmamentum ex aquis fixerat, atque in altum extulerat.* Quamobrem Dei Matrem cælum vocari exiſtimas? Ob varias eaſque pulcherrimas rationes: inprimis, quia eum in ventris ſui recepit hoſpitium, qui locum omnem in quem pedem ſuum fingit, in cælum convertit, ſiquidem extra cælum commorari nequaquam poteſt. Aut vero, quia cum cælum inter

inter omnia opera quæ è Divinis manibus viſa ſunt egredi, primum fuit, Moyſe Gen. 1. verſ. 1. teſte qui dicit: *In principio creavit Deus cælum.* Beata Virgo quoque cælum dici meretur, utpote quæ prima eſt omnium Creaturarum, quas Deus ab æterno formare decrevit; ideoque Eccleſiaſtici 24. v. 5. *Primogenita ante omnem Creaturam* appellatur. Vel etiam ſicut cælum omnibus quæ in mundo ſunt, altius exiſtit, ita quoque B. Virgo veluti cælum quoddam myſticum, adeo terræ ſuperemicat, ut cælos omnes, omneſque ſublimis regni illius ſuperans cives & incolas, ad altiſſimam uſque Dei ſedem pertingere indeque æternum Dei verbum appræhenſum in virgineum ſuum recondere uterum, illudque nobis tum in culparum noſtrarum redemptionem, tum etiam in præmium virtutum, denique in animarum noſtrarum alimoniam ſubminiſtrare potuerit. *Tantum ſe ad cæli faſtigium ſublevavit, ut verbum in principio apud Deum, id eſt, Dei filium de ſumma arce ſuſciperet*, inquit Sanctus Ildephonſus ſerm de Nativit. B. Virginis. Adhæc quia ipſa haud ſecus ac cælum quoddam virtutibus innumeris, veluti totidem ſtellis expolita & adornata ideoque pulcherrima Deoque gratiſſima conſpiciebatur. *Cælum vocatum eſt hoc nomine*, inquit S. Iſidorus lib 3 Ethym. cap. 30 *eo quod tanquam vas cælatum impreſſas habeat figuras ſtellarum.* Denique ne à propoſito meo procul recedam Beata Virgo cælum dicitur ob incredibilem qua ad nos favoribus ſuis communiendos & conſolandos advolat, velocitatem. Sicut enim cæli velocitas comprehendi nequit: *Cælum inenarrabili celeritate continuo circumagitur*, ſcribit Richardus à S. Laurentio ubi ſupra lib. 7. illa quoque velocitas qua clementiſſima Patrona in fovendis & erigendis iis quos amat, utitur comprehendi minime valet.

9. Cantica Canticorum quæſo revolvite, ſic enim invenietis quod Deus ſacratiſſimæ Matris ſuæ greſſus, ob pedum ſuorum calceos, non tantum celebret & prædicet, ſed etiam ſumme admiretur Cant. 7 v. 1. *Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis.* Qualis igitur erant hi auguſtiſſimæ Dominæ noſtræ calcei, quod ipſummet quoque in ſtuporem & admirationem egerint altiſſimum? Hyacinthinæ erant. Richardus enim à S Laurentio ubi ſupra lib. 5 exiſtimat illa Dei verba Ezechielis 16 cap. *Calceavi te Hyacintho*, B. Virgini à Deo dicta fuiſſe. *Filius dixit Matri, Calceavi te Hyacintho*, Etenim quia Hyacinthus cæleſti colore tinctus, cælum ſignificat, ideo Matrem Dei calceis indutam fuiſſe Hyacinthinis, idem eſt, ac ſi diceret: calceos ejus è cæleſti fuiſſe materia præparatos, quaſi Deus virginis calceos è cælis feciſſet, quos ideo veluti pellem quandam extendere voluit: *Extendit cælum ſicut pellem* inquit regius Propheta David Pſal 103. v. 2. ſub eleganti iſthac metaphora miram laudans & deprædicans greſſuum ſuorum velocitatem, quam tunc præcipue exhibet, quando pro devotorum ſuorum ſubſidio pedes movet, quæque adeo eſt admirabilis, ut ipſiſſima cæli rapiditate & velocitate moveri videatur, quaſi calceis induta è cæleſti materia præparatis. *Calceavi te Hyacintho.*

10. Quod Spiritus Sanctus Beatiſſimam Virginem lunæ aſſimilet tum Pſal. 88 v. 38 *ſicut Luna perfecta*, tum Cant cap 6. v 9. *Pulchra ut Luna* hujus multæ & variæ ſunt rationes. Primo enim Luna dicitur, quia ſicut divinus ejus filius in juſtis velut in meridiano die ad inſtar ſolis regnare conſpicitur: ita ipſa in peccatoribus veluti tenebroſa quadam & obſcura nocte regnat, pro illis ad obtinendam ipſis pietatem & commiſſorum ſcelerum veniam apud Deum intercedendo. Secundo quia omnem decorem & pulchritudinem, quam Luna, id eſt Eccleſia per Lunam ſignificata per omnia membra ſua diſperſam habet atque diviſam, ipſa in anima ſua collectam habet atque unitam. Tertio quia ſicut Luna inter omnes planetas terræ propinquior eſt atque vicinior; ita ipſa veluti Luna myſtica homini, qui quod de terra plaſmatus ſit, terra quoq; nominatur, ob inextinguibilem affectum ſuum præ omnibus aliis ſanctis, conjunctior eſt atque propinquior. Deniq; Luna dicitur: *Pulchra ut Luna*, quia ſicut Luna *Lucina* appellatur, quaſi *currens indefeſſa per terras*, uti Fornutus de Natura Deorum dicit. Ita ipſa ob ardentem erga nos effectū per omnia terræ loca indefeſſa currit & diſcurrit, ut nobis pietatis ſuæ auxilia communicet. *Pulchra ut Luna, currens indefeſſa per terras.*

11. Circa illum Apocalypſeos cap. 12. v. 1. Locum, ubi S. Joannes auguſtiſſimam Angelorum Reginam ſole amictam, lunamque pedibus ſuis prementem conſpexit: *Amicta Sole & Luna ſub pedibus ejus*: Sciendum eſt per ſolem Chriſtum Dominum noſtrum repræſentari, ſummum Juſtitiæ ſolem, virginiſque unigenitum filium, quem illa nobis utpote pro quibus illū in utero ſuo portavit & peperit datusa, de cælo in terram deſcen-

deſcendit. Dum autem nos tam auguſto munere, theſauroque immenſo locupletatura ad nos de cælo in terram venit ſub pedibus ſuis lunam habuit. *Luna ſub pedibus ejus.* Cur ita? Quonam obſecro fine aut myſterio luna ſub pedibus ſuis opus habuit? Nimirum lunæ rotam pedibus ſuis eo fine applicuit ut opulentum maximeque neceſſarium theſaurum iſtum omni poſſibili cum celeritate nobis communicaret. Ad eum fere modum quo antiqui gentiles Nemeſin fabuloſam Deam, Juſtitiæ filiam, quando ad caſtigandos, atque è medio tollendos ſceleratos de cælo in terram deſcendit, velociſſime currere ſignificarent, eandem pedibus ſuis rotæ inſiſtentem pingere ſolebant: *Ejus pedibus ſupponebatur rota, ut citiſſime diſcurreret.* inquit Florus de orat. & prec. Ita quoque ad hoc ut Sanctiſſima Virgo Deipara, utpote quædam pietatis non vero Juſtitiæ Dea in cæleſtibus gratiis conferendis, earundemque datore nobis communicando velociſſima eſſet, lunæ rotam pedibus ſuis premens de cælo deſcendit: *Luna ſub pedibus ejus, ut citiſſime diſcurreret.*

12. Verum enimvero quærendum hic nobis venit, quænam cauſa ſit, quod cum cælum tot tamque varias rotas ſphæraſque habeat, quales ſunt ſphæra Saturni, Jovis, Veneris, Mercurii aliarumque ſtellarum innumerabilium Deipara Virgo tamen ad nos viſitandos deſcendens, aliam ex omnibus rotam pedibus ſuis non calcaverit, quam ſolam lunæ rotam? Utique id fecit, ut tanto eſſet citior, feſtinantior, magiſque ſollicita ad porrigendum nobis gratiæ ſuæ auxilia? Quis enim adeo eſt inexpertus qui ignoret lunam inter cunctos planetas velociſſimam eſſe? *Luna citius, quam alii planetæ, perficit curſum ſuum,* inquit Richardus à S. Laurentio ubi ſupra lib. 7. Quia enim clementiſſima Patrona noſtra nos cum omni poſſibili velocitate gratiarum ſuarum participes reddere deſiderat, ideo ut in curſu ſuo citior eſſe poſſet atque velocior, magiſque ſollicita, velociſſimam pedibus ſuis rotam, magiſque ſollicitum cæli planetam, lunam videlicet adjecit. *Luna ſub pedibus ejus.*

13. Ex quo Deus Eccleſiæ umbilicum Cant. 7. verſ. 2. magnopere celebrat extollit dicens: *Umbilicus tuus ſicut crater tornatilis,* ideo advertendum eſt per umbilicum Beatam Virginem intelligi. Quia enim umbilicus in corporis medio conſiſtit, quidlibet in medio alicujus rei conſtitutum adſignificare conſuevit. Sic quia urbs Pariſienſis in meditullio ſituata eſt Franciæ, umbilicus quoque Franciæ dici vulgo aſſolet. Caſtrogiovanni locus a latinis *Enna* apud Ciceron in Verr. appellatus, quia meditullium Siciliæ exiſtit, Siciliæ quoque umbilicus dicitur. *Qui locus,* inquit de hac civitate loquens Cicero, *quod in media eſt inſula ſitus, umbilicus Siciliæ nominatur.* Cum igitur Beatiſſima Virgo in medio Eccleſiæ conſiſtat, (ipſa namque ex eo quod præcipuum ſit totius Corporis myſtici membrum, honoratiorem quoque in illo loco, quaſi eſt Corporis medium, obtinet, atque ad ipſam veluti ad centrum omnes fidelium animæ, veluti lineæ recurrunt) merito eſt appellanda Eccleſiæ umbilicus, adeo à Deo celebratus, qui eſt ſicut *crater tornatilis.* Ratio autem ob quam divinus hic umbilicus crater appelletur, eſt, quia veluti amplus quidã crater vino pretioſiſſimo, imo nectare & ambroſia refertus, in laboribus, afflictionibus, & anguſtiis noſtris nos conſolatur & recreat. Attendendũ autem hoc loco eſt, quod dicatur *crater tornatilis ſicut crater tornatilis,* id eſt, formæ ſphæricæ, ideoq; ad quemvis motum facillimus, atque ad currendum velociſſimus, crater igitur tornatilis dicitur ad innuendum, quam ſit feſtina, & velox, dum nobis in calamitatibus noſtris ſuccurrit, & conſolatur. Nullus eſt in cælo ſanctus, qui tanta cum ſollicitudine ſuccurrere nobis ſatagat. Tametſi enim omnes alii ſancti ad ſuccurrendum nobis in adverſitatibus noſtris prompti ſint, & faciles, ad eam tamen ſollicitudinem, zelũ, & accelerationem quacum Beatiſſima Virgo nobis ſuccurrit, pertingere nequaquam poſſunt. Audite Genueſium Archiepiſcopum Jacobum de Voragine in Mariali ſer. 17. lit. C. qui ait: *Dicitur crater tornatilis, quia habet motum facilem, & curſum velocem. Quamvis alii ſancti de facili moveantur ad noſtrum auxilium, ipſa tamen omnibus ſanctis movetur facilius ad nos.* In cujus rei confirmationem Bernardinus de Buſti verba illa Cant. 5. v. 14. *Manus illius tornatiles de ejuſdem* Deiparæ Virginis manibus intelligenda eſſe opinatur; Hæ enim ad inſtar rei alicujus in torno elaboratæ & rotundæ ſunt velociſſimæ, nobiſque omni poſſibili cum velocitate ſuccurrunt. *Res enim rotunda,* inquit hic author in Mariali par. 3. ſerm. 4. Prærog. 1. *admovendum eſt apta & velox ſic & manus B. Virginis levi motu ad ſuccurrendum nobis ſe erigit.* Demum adjungit: *Ipſa quoque B. Virgo, dicere poteſt illud Iſaiæ: Antequam clament ego exaudiam,* quaſi dicere vellet: *Ipſa ad*

ſuccur-

ſuccurrendum nobis adeo eſt feſtina & ſollici-
ta, ut priuſquam nos ipſam in noſtris neceſſita-
tibus invocemus, illa nos exaudiat, gratiaſque
petitas obtineat.

14. Bartholomæus Piſanus de laud. & vita B.
Mariæ lib. 1 fructu 2. Verba illa Davidis Pſalm.
18. verſ. 7. *Exultavit ut gygas ad currendam viam, à*
*ſummo cælo egreſſio ejus* de Beatiſſima Virgine in-
telligi quadantenus poſſe opinatur. Verba ejus
ſunt quæ ſequuntur : *Poteſt intelligi pietas Mariæ:*
*à ſummo enim cælo per pietatem egreſſio ejus ad mini-*
*ſtros ſublevandos.* Unde quando ipſa nos in angu-
ſtiis noſtris conſolatura ad nos læta prorſus, hi-
laris, & jucunda ad nos venit, ad inſtar Gygantis
cujuſdam velociſſime currit: *Exultavit ut gygas*
*ad currendam viam.* Quodſi ad accuratius perſpi-
ciendum qualiter Deipara in adjutorium no-
ſtrum accurrat quæſieritis quonam modo Gy-
gantes currant? Reſpondebo illos tanta cum
velocitate & feſtinatione currere, ut abſque
ulla reſpiratione unoque anhelitu milliare in-
tegrum currendo abſolvant. *Uno anhelitu*, inquit
Hugo Cardinalis in prima ad Cor. 9. de Her-
cule magno in Gygante, *currebat mille paſſus*, qua-
ſi ſuum diſpliſſet ducere anhelitum, ne velo-
citatem curſus ſui impediret. Clementiſſima
igitur Patrona noſtra inſtar Gygantis alicujus
currit: *Exultavit ut Gygas ad currendam viam*, cur-
rit, inquam, omni poſſibili & imaginabili velocita-
te, quodvis quantumvis minimum evitans im-
pedimentum, quod illam in ferenda nobis ope
à conſueta ſua velocitate & ſollicitudine impe-
dire aliqua ratione poſſet, *Exultavit ut Gygas ad*
*currendam viam.*

15. Inter alia præconia quæ S. Epiphanius
cliens Beatæ Virginis devotiſſimus, de eadem
ſcripta reliquit, ſunt etiam verba ſequentia a-
pud Lipomanum 8. Decembris: *Panem vitæ cali-*
*dum mundo in eſum attulit*, *de quo ſalvator mundi*
*Chriſtus ait: Accipite, comedite, hoc eſt Corpus meum.*
Quibus in verbis ſingulariter ponderandum eſt
quod S. Epiphanius dicat ipſam panem illum di-
vinum de cælo in terram attuliſſe calidum. *Pa-*
*nem vitæ calidum.* Qua ratione obſecro panem il-
lum calidum adferre potuit, cum tanta ſit panis
illius à nobis diſtantia, quanta eſſe poteſt inter
cælum unde portavit, & terram in quam attu-
lit? Tanta eſt cælum inter & terram diſtantia,
inquit Rabbi Moyſes, ut ſi homo aliquis ſeptem
mille & ſeptingentis annis viveret, atque in
continuo conſtitutus itinere, quadraginta quo-
libet die milliaria talia, qualia in loco prorſus
plano fieri ſolent conficeret, donec in cælum
conſcenderet, talis homo difficulter admodum
in fine vitæ ſuæ cælum aſſecutus eſſet Satur-
ni. Unde facile eam quæ terram inter & cælum
Empyreum quod cælo Saturni longe altius eſt,
intercedit diſtantiam colligere licebit. Et ta-
men non obſtante quod tanta interjecta ſit ter-
ram inter & cælum Empyreum diſtantia, Beata
Virgo ex prædicto Cælo Empyreo per tam im-
menſum ſpatium panem vitæ æternæ calidum
nobis attulit: *Panem vitæ æternæ calidum mundo in*
*eſum attulit*, inquit S. Doct. Iter hoc ſuum tanta
cum ſollicitudine confecit, tanta cum velocita-
te ambulavit, cucurrit, imo innumera paſſuum
millia abſolvendo volavit, ut incredibile ſit. U-
no namque tempore panem hunc è camino ſeu
furno pectoris Patris æterni accepit, nobiſque
eundem attulit. Quam igitur admirabilis eſt
pietas tua ô Clementiſſima Mater & Domina,
quam ingens tua ſollicitudo, ſciebas utiq; quod
ſi in hoc itinere, vel minimam morulam interje-
ciſſe, nos fame æternum morituri fuiſſe.

16. Omnes equidem ſancti ob tot virtutum
illos exornantium & expolientium inſignia per-
fecti ſunt valdeque conſpicui, nec non in motu
ſuo ſupra modum veloces, utpote in quo ſe, tum
ut Deo Opt. Maximo præſtent obſequium, tum
ut in miſeriis noſtris nobis ſuccurrant veluti cir-
culos quoſdam valde veloces, volubiles & ſolli-
citos exhibent. *Omnis homo juſtus*, inquit Petrus
Berchorius in Dictionario ſuo morali v. *Rota: ve-*
*lox eſt, volubilis & ſollicitus.* Unde ipſamet quoque
Beata Virgo, ut S. Bernardinus ait: *Facit circulum.*
Verum enimvero, ſicuti ipſa præ omnibus ſan-
ctis ſancta eſt, ſpectabilis & pulchra, ita in motu
ſuo quamvis velocitatem incomparabiliter ſu-
perat & tranſcendit. Nunquid ipſa à Salomone
in tot divinorum ſcriptorum ſuorum locis *Sa-*
*pientia* appellatur? Et quidem vere ſapientia vo-
cari meretur. *Sapientia* enim à *ſapore* dicitur, ipſa
autem ſine incredibili guſtu ſcire & intelligere
minime potuit, ſua namque dulcedo & ſuavitas
adeo eſt ingens ut etiam ſimplex quædam hujus
dulcedinis notitia à delectatione vacua non ſit,
aut inanis. Salomon Sap. 7. v. 24. De hac ſapien-
tia loquens dicit : *Omnibus mobilibus mobilior eſt*
*ſapientia.* Hoc eſt, omnibus ſanctis qui ſunt in Pa-
radiſo quique noſtris in neceſſitatibus adeo
prompte expediteque moventur, Beata Virgo
mobilior eſt; ipſa præ omnibus aliis majori cum

velocitate currit, imo volat ad nobis ſuccurrendum. Ita hunc locum Jacobus de Voragine Archiepiſcopus Genuenſis ubi ſupra interpretatur: *Omnibus mobilibus, id eſt, omnibus ſanctis ad noſtrum auxilium venientibus, nobilior eſt ſapientia, id eſt B. Virgo.* Cedant omnes ſancti velocitati quacum B. Virgo ſua porrigit auxilia, gratiaſque ſuas communicat. *Fideles ſolent invocare S. Nicolaum, S. Iacobum, S. Ægidium & alios, quibus ſervierunt in aliquo, ſed in nullo invenietur tam feſtivum vel tam potens adjutorium ſicuti in Maria,* inquit Richardus a S. Laurentio ubi ſupra lib. 11. *Omnibus mobilibus mobilior eſt ſapientia.*

17. Idemmet Richardus ubi ſupra lib. 3 opinatur, quod quando Deus firmamentum creavit, & dixit, Gen. 1. v. 6. *Fiat firmamentum*, Beatam Virginem præfiguraverit: *Maria firmamentum eſt, de quo dicitur in Geneſi fiat Firmamentum.* Proportionatum profecto dignumque Reginæ noſtræ Symbolum. Vere namque ipſa eſt firmamentum. Sicut enim firmamentum ob ſui eminentiam cunctis ſupereminet Dei operibus: ita B. Virgo ſupereminet omnibus cæli terræque creaturis. Præterea ſicut firmamentum eo quod omnium mundi luminarium campus quidam ſit, lucidiſſimum eſt: ita Deipara Virgo adeo reſplendet, ut prout illam S. Joannes vidit, ſolem loco pallii, pro calceis Lunam, & vice diadematis ſtellas ſe circumdantes habeat. Adhæc ſicut firmamentum à terra remotiſſimum eſt; ita ipſa ab omnibus terrenis imperfectionibus adeo remota fuit, ut à terra remotiſſima eſſe, & in cælo inter Angelos potius quam inter homines in terra nata eſſe videatur. Id quod Spiritus Sanctus attendens ſtupefactus exclamat Cant. 4. v. 7 *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Denique firmamentum dicitur: *Quia firmamentum velociſſimè movetur*, inquit idemmet author Richardus a Laurentio ubi ſupra. Quiſnam velocitatem motus firmamenti imaginari ſibi nedum deſcribere poterit? Pater Claujus in cap. 2. ſphæræ ſuæ dicit, quod ſi avis aliqua aut ſagitta terræ globum ab Oriente ad Occidentem in unius Ave Maria ſpatio plus ſeptenis vicibus celerius celeriuſque circumdare poſſet, vix curſum illum abſolvere poſſet, quem firmamentum in eodem tempore abſolvit. Quanto Deipara Virgo ſeſe ad auxiliandum nobis in anguſtiis noſtris movetur, tanta id cum velocitate præſtat, ut motum firmamenti verè adæquet. Firmamentum igitur eſt, primum mobile eſt; Neque ullus reperitur ſanctus vel ſancta Angelus aut Seraphinus, qui motum ſuum aſſequi poſſit. *Omnibus mobilibus mobilior eſt ſapientia.*

18. Legite obſecro caput Eccleſiaſtici 24. v. 9 ibi namque Deiparam Virginem introduci reperietis in ſequentia verba prorumpentem: *In omni terra ſteti.* Ubi bene ponderandum quod dicat *ſteti*, non vero *ſedi*, aut *jacui* In *omni terra ſteti.* Cur obſecro ſe ubique in pedibus conſtitiſſe dicit? Quia nimirum ob charitatis ſuæ exceſſum particularem juvandi homines peccatores per terram intellectos, curam & ſollicitudinem habuit, ut de luto ſuo eoſdem eriperet, atque in divinæ gratiæ & gloriæ cælum poſt mortem introduceret, ideoque inter illos non jacuit, neque ſedit ſed in pedibus ſubſtitit. Ita S. Bernardinus ſerm 3. de nomine Mariæ Art. 2. cap. 4. hunc locum interpretatur dicens: *Ideo inquit in omni terra ſteti, quia inter peccatores, qui terra ſunt, ſeu terreni, non jacet, neque ſedet, ſed recta ſtat, ipſos adjuvando, protegendo, atque à vitiis retrahendo.* In hujus ergo verbi *ſteti* energia ſeu emphaſi ſtupenda auxiliorum ſuorum velocitas perſpicuè explicatur. Ideo enim inter peccatores nec ſedet neque jacet, ne adveniente tempore quo homo favoris & opis ſuæ eſt indigus, ne vel per unicum momentum tardare neceſſum ſit. Quodſi enim jaceret vel ſederet, imminente auxiliandi & ſuccurrendi occaſione, ea ſaltem licet modiciſſimo tempore tandum ipſi neceſſario eſſet, quo ad hoc ut in pedes ſeſe erigeret, opus haberet. Qui vero morulam iſtam licet minimam ſummopere deteſtatur, ideo ut ſemper vigilans, ſemperque ad auxiliandum & ſubveniendum prompta, expedita, feſtinaque eſſe poſſit, in pedes ſemper & ubique erecta ſtetit. *In omni terra ſteti.*

19. Quodſi vero per terram non peccatores juxta jam datam expoſitionem intelligere volumus, ſed terræ hujus elementum, quod pedibus noſtris calcamus & terimus aliud ſeſe prodens myſterium habebimus, nimirum quod B. Virgo in terra non ambulet ſed firma & in pedes erecta perſiſtat: *In omni terra ſteti.* Quorſum igitur ambulando ſe confert, ſi in terra non ambulet, ſed firma & fixa perſeveret? Per mare ambulat, paulo enim antea dixerat: v. 8 *In fluctibus maris ambulavi.* Verum dic quænam ſit ratio quod non per terram ſed per mare ambulet? Facit hoc in ſignum ſollicitudinis majoris, quacū ad nos venire deſiderat, quoties ope & ſubſidio

ejus indigemus. Certum quidem eſt, quod homo aliquis majori cum timore & ſollicitudine per mare quam per terram gradiatur, attamen, cælo marique tranquillos cæteris paribus, cum quiſpiam Neapoli Romam per mare navigando unico duntaxat die appellare posſit, per terram citius quinque dierum ſpatio Romam nequaquam perveniet. Viſcerosiſſima igitur Mater & Patrona noſtra per mare non vero per terram iter ſuum inſtituit: In fluctibus maris ambulavi, quia ſollicita eſt atque feſtina ut iter ſuum brevitate qua fieri poteſt maxima expediat, ut hac ratione quam citisſime nobis adeſſe, ſua nos præſentia conſolari, protegere ſuo valore, ſuiſque nos gratiis locupletare posſit. *In fluctibus maris ambulavi.*

20. Quendam etiam patientisſimi Jobi locum cap. 28. verſ. 23. nonnihil ſi placet ponderemus ubi de ſapientia, quæ uti diximus B. Virginem æternæ ſapientiæ Matrem ſignificat, loquens dicit: *Deus intelligit viam ejus.* q.d. Solus Deus viam ejus cognoſcere valet, homines autem qui terram hanc incolunt intelligere viam ejus nequaquam posſunt. Quodnam obſecro homines obſtaculum habent, quo minus Virginis vias aut ſemitas percipere nequeant? Forte id hominibus impoſſibile eſt ideo, quod ambulando ſeu currendo nulla pedum ſuorum veſtigia in terra relinquat; Quodſi enim aliqua terræ veſtigia imprimeret, viarum & loci per quem graderetur facilis eſſet hominibus notitia. Hinc igitur velocitatem admirabilem Deiparæ facile perſpicietis, qua cum B. Virgo ut citisſime ſubveniat, graditur, currit, imo volat. Velut alter quidam Ladas currit imo volat, qui velut omnium hominum velociſſimus paſſim celebratur. De eo namque Solinus cap. 5. refert, eum in curſu ſuo adeo fuiſſe concitatum atque velocem, ut in pulvere per quem diſcurrebat, nulla prorſus reliquerit poſt ſe veſtigia. *Primam palmam velocitatis Ladas quidem adeptus eſt, qui ita ſuper cavuum pulverem curſitavit, ut arenis pendentibus, nulla indicia reliquerit veſtigiorum.*

21. Ex quo Spiritui Sancto B. Virginem pane cæleſti cumulate refertam ſive onuſtam navem vocare placuit: *Facta eſt quaſi navis inſtitoris de longe portans panem ſuum*, operæ pretium erit diſquirere, qualiſnam fuerit navis hujus conditio, an nimirum velis mota fuerit vel remis? an vero ſimul velis remiſque fuerit agitata? Sunt enim nonnullæ naves quæ velis duntaxat utuntur, in aliis remorum tantum uſus eſt: aliæ vero promiſcuum velorum remorumque uſum habent. Ad quodnam igitur harum navium genus B. Virgo ſpectabat? *De numero* erat navium illarum quæ remis utuntur ſimul & velis, inquit Richardus à S. Laurentio ubi ſupra lib. 11. *Partim auris, partim remis movebatur.* Idque ut hac ratione ſollicita & velociſſima pietatis ſuæ innuantur auxilia. Quotieſcunque latini adventum aliquem vel fugam feſtinam, ſeu ſubſidium aliquod inſolita cum velocitate allatam ſignificare volebant, hoc ſolebant uti Proverbio: *Remis veliſque.* Cicero in lib. Tuſculanarum q. 3. nonnemini de quo loquebatur innuere volens quanta ipſi contentione & ſolicitudine fugiendum eſſet, dicebat: *Terra res eſt, deteſtabilis, omniq; contentione velis ut ita dicam remiſq; fugienda.*

22. Porro obſervandum eſt quod quando Deipara Virgo ſe à principio mundi creatam eſſe dicit Eccleſiaſtici 24. v. 14. *Ab initio & ante ſecula creata ſum.* Et alibi Prov. 8. v. 22. *Dominus poſſedit me ab initio viarum ſuarum*, aut ſicut alius quidam legit: *Dominus creavit me ab initio viarum ſuarum*, id non ita intelligendum ſit ac ſi tunc in exordio ſcilicet mundi creata fuiſſet, cum certum ſit illam multis retro temporibus ortam fuiſſe, ſed verbis illis hoc tantum indicari quod ab initio mundi præfigurata fuerit. Quando Deus in mūdi creatione dixit: *Fiat Lux tunc ſub* hoc lucis ſymbolo ſanctisſimam Matrem ſuam præfiguravit. Ipſa namque vere lux illa erat, quam tunc creabat altisſimus, ſicuti enim ex illa luce, uti nonnulli volunt corpus ſolare à Deo formatum fuit: ita ex ipſa Sol ortus eſt ille increatus Angelos hominesq; illuminans. *Ab initio creata ſum*, inquit Richard. à S. Laurent. ubi ſupra lib. 4. *id eſt præfigurata per creationem Lucis, de qua factum eſt corpus ſolis, ut quidam dicunt.* Verum quam putatis eſſe cauſam, quod B. Virgo ſub lucis ſymbolo proponatur? Ut per hoc ingens illa inſinuetur velocitas qua pro nobis illuminandis, atque à culparum noſtrarum tenebris liberandis ad nos advolat. Tanta enim eſt lucis velocitas, ut in unico duntaxat momēto iter ſuum abſolvat, eodemq; tempore quo loco vicino coexiſtat, remotisſimo quoque præſens exiſtat, mox ut in Oriente exſurgit in Occidente quoque comparat. *Radius non prius pertingit ad propinquum, quam ad remotum* inquit Angelicus Doct. 1. p. q. 53. Art. 3. Per lucis

typum Deus ſanctiſſimam Matrem ſuam vult eſſe intelligendam. Ipſa namque maternæ pietatis ſuæ ſubſidiis prævenire nos volens, veluti lux quædam in unico ictu oculi, in uno inſtanti, abſque ulla interjecta temporis mora cæleſtibus plena favoribus de cælo in terram deſcendit, noſtroque lateri aſſiſtit. *Non prius pertingit ad propinquum, quam ad remotum.*

23. David Propheta regius modum illum quo ſereniſſima Angelorum Regina Deo in Paradiſo aſſiſtit, delitiiſque fruitur æternis, deſcribere volens dicit Pſal 44 v.10. *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate.* Ubi obſervandum quod Chriſtus ſanctiſſimam Matrem ſuam ad dexteram ſuam in pedibus erectam ſtare permiſerit: *Aſtitit Regina à dextris tuis.* Mirabilis profecto & peregrina res eſt, quod Chriſtus dulciſſimam & chariſſimam Matrem ſuam æquis oculis à dextris ſuis erecto corpore ſtantem videre potuerit. Quodſi enim Salomon Matrem ſuam in aula ſua regia recipiens illam juxta latus ſuum ſedere fecit: *Poſitus eſt thronus Matris Regis, quæ ſedit ad dexteram ejus,* ſcribit 3. Reg. 2. v 19. quomodo Chriſtus qui in obſequiis & honoribus debitis Matri reddendis, Salomoni aut cuicunque alteri nequaquam cedit, permittere potuit, quod Mater ſua in gloriæ ſuæ aula ancillæ inſtar ad dexteram ſtans erecto corpore conſiſteret? Equidem negari haud quaquam poteſt quin glorioſiſſima Cæli Regina in Paradiſum introducta ad ſedendum à dextris unigeniti filii ſui admiſſa fuerit *Uſque ad throni celſitudinem intemerata Mater & Virgo proceſſit, a quo in regni ſolio ſublimata poſt Chriſtum glorioſa reſedit,* inquit S. Hieronym. ſer. de Aſſumpt. ad Paulam. Ipſa tamen erecta in pedes ſtetiſſe dicitur, ad demonſtrandam maternæ pietatis ſuæ promptitudinē qua ad auxilia ſua nobis impendenda propendet: *Dicit Aſtitit, à promptitudine auxiliandi,* inquit Richardus à S. Laurentio ubi ſupra lib. 6. Tametſi enim ſedeat, tamen non ſedere ſed in pedes erecta ſtare videtur, ob ingentem, qua nobis ſubvenit, ſollicitudinem. *Aſtitit Regina à dexteris tuis.*

24. S. Petrus, uti S. Lucas Act 12 v 6 refert, pridiana nocte diei illius, quo ab impiiſſimo Herode, truculentiſſimo Chriſtiani nominis perſecutore ad ſedandum iniquos perfidorum Judæorum animos, in quodam crucis trunco crucifigendus, vituperoſaq, morte necandus erat, hocque fine in duro & ſqualido carcere duabus oneratus catenis, à duobus barbaris cuſtodiebatur militibus alto placidoq; ſomno ſepultus ſuaviter dormiebat: *Cum autem producturus eum eſſet Herodes, in ipſa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus, &c.* Ubi ſumma admiratione dignum eſt, quando hic Apoſtolus in tam miſero calamitoſoque tempore dormire potuerit. Quomodo enim oculi illi quibus imminēs mors obverſabatur claudi poterant? Qua ratione requieſcere poterat corpus illud, quod paucas poſt horas horrendam expectabat animæ ſeparationem? Num forte ſe periculum iſtud certo evaſurum eſſe credebat? aut de catenis illis relaxādis, & poſt ſuperatas carceris anguſtias de vita longiori magiſq; tranquilla ducenda ſpes illi indubitata erat? Indubitata prorſus. Verum enimvero quodnam erat ſpei hujus fundamentū? Quia nimirum non ignorabat, quod inter cæteros fideles Deum pro ſui liberatione invocantes. (*Oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo,* inquit S Lucas ib v 5) Beatiſſima Virgo ſpecialiſſime & ferventiſſime Deum exorabat: *Apoſtoli orabant pro liberatione D. Petri, & ex alia parte orabat pro eo B. Maria, cum aliis mulieribus,* inquit S. Vincentius ſerm. de Feſto S Petri ad Vincula. Quia igitur S. Petrus probiſſime noverat, quam prompta ſollicitaque ſit Beatiſſima Virgo Maria, ad ſuccurrendum efficaciſſime illis pro quibus intercedebat, hinc haud ſecus ac ſi liberationem ſuam in manu & poteſtate ſua habuiſſet, & quaſi jam à catenis illum ſtringentibus & onerantibus ſolutus atque è carcere ereptus in molli lecto ſuo domi quieviſſet, profunde placideque dormiebat *Erat Petrus dormiens.* Quotieſcunque enim glorioſiſſima Virgo Maria, pro nobis ab adverſitatibus & ærumnis liberandis Deum inter & nos interponitur, tanta ſemper cum ſollicitudine conſolationem nobis obtinet, ut tametſi ærumnis adhuc ſuccumbamus, illas tamen nos veluti ſupereſſe credere poſſum.

25 Beatus Thomas à Villa Nova Conc. 2. de viſitatione dicit, quod cum Deus dilectum amicum ſuum S. Joannem præcurſorem gravi infernalis tyranni jugo ſuccumbentem, atque originalis peccati catena ligatum vidiſſet, miſeriæ huic compatiens eundem ab hoc tanto malo liberaturus, maxima qua potuit acceleratione uſus in virginalis uteri curru ſe vehi voluerit, hocque mediante per montium culmina diſcurrens, ſumma cum ſollicitudine in ejus ſe domum receperit. En ipſiſſima hujus ſancti Doctoris verba: *Venit Deus in mundum, proſpicit ſtatim ſub jugo preſſum*

*preſſum amicum, & communi tabe ſadatum dolet ami*
*ci vicem amicus pius, feſtinat liberare dilectum, non in*
*longum differt non largas prebet inducias morbo, ſed*
*virgineo vectus curru, per montium culmina properat*
*ad amicum ſic enim Lucas Evangeliſta feſtinabundam*
*commemirat virginem per montana* Habebatne De
us pro hoc itinere quam citiſſime in Domum S.
Joannis inſtituendo, opus ut virgineo duceretur
Mariani uteri curru? An non ipſe ob ſummam &
admirabilem prorſus velocitatem ſuam hinnu-
lus cervorum a ſponſa nominatur? *Similis eſt dile-*
*ctus meus capreæ hinnuloque cervorum.* Cant 2. v. 9.
Nunquid ipſemet ſe ob eandem rationem fulga-
ri ſe ſimilem dixit Matth. 24. v. 27 *Sicut enim ful-*
*gur exit ab oriente, & paret uſque ad occidentem, ita*
*erit adventus filii hominis?* An non ob ſtupendam
velocitatem ſuam non tantum velox, ſed & ve-
locitas appellatur? *Voca nomen ejus accelera, ſpolia*
*detrahe feſtina.* uti legitur Iſaiæ 8. v. 3. Cum igitur
adeo ſit currendo velox & rapidus, ut ipſiſſima
eſſe velocitas dicatur, quid opus habebat matris
ſuæ acceleratione? Reſpondeo verum quidem
eſſe quod Deus non velox tantum ſit, ſed & ip-
ſiſſima velocitas idque in gratiarum collatione
præcipue, nec poſſit ipſum in ſuo curſu aſſequi
quidquam creatum, verumtamen ad demon-
ſtrandam in negotiis pietatis matris velocita-
tem, & ad hoc ut ii qui erga Virginem Matrem
devoti ſunt magis magiſque in amore erga illam
accendantur, majorique cum generoſitate in e-
jus protectione confidant, voluit quaſi natura
ſua lentus & piger eſſet, ad ſublevandum S. Jo-
annem ab eo quo premebatur malo, virgineo uti
Mariani uteri curru. *Virgineo vectus curru.*

26 Quandoquidem theſauri illi, quos Re-
ges Sabæi Christum infantulum è matris gremio
jam jam natum atque in præſepio collatum ad-
orantes, attulerunt, adeo fuerint ingentes & o-
pulenti. *Pie enim credendum eſt*, inquit S. Bernar-
dinus in Purif. ſerm. 10 Art. 1. cap. 3 *non parvam*
*auri quantitatem fuiſſe* Neque enim conveniens e-
rat ut munus aliquod a tribus Principibus po-
tentiſſimis tanto Monarchiæ offerendum me-
diocre eſſet, & non potius ingens & maximum.
Qua igitur ratione fit, quod Bartholomæus Pi-
ſanus dicere nõ dubitet quod S. Joſeph & B. Vir-
go moniti ut ad declinandam Herodis iram atq;
inſidias, una cum divino filio ſuo in Ægyptum
fugerent, non parum doluerint, utpote qui ob
ingentem qua premebantur paupertatem omni-
bus iis quæ in itinere adeo prolixo pro tenelli in-
fantuli ſervitio & commoditate neceſſaria e-
rant, deſtituti erant? *Dolebant*, inquit præfatus
author lib. 4. de laudibus & vita B. Mariæ virgi-
nis fruct. 1 *& dolor erat cauſatus ex indigentia rerum*
*familiarium, quia pauperrimi erant.* Quomodo eũ
pauperes eſſe & rei alicujus neceſſitate premi
poterant quia paucis ante diebus tanta recepe-
rant auri quantitatem tantas divitias, tantaſque
commoditates, ex quibus non tantum omnibus
in itinere & reditu ſuo occurrentibus neceſſita-
tibus ſuis ſuccurrere & ſubvenire, verum inſu-
per toto vitæ ſuæ reliquo tempore commodiſſi-
me vivere & divites eſſe poterant? Etenim ne-
gari nequaquam poteſt, theſaurum, ab Orienta-
libus hiſce Regibus oblatum ingentem fuiſſe
valdeque magnificum, nedum ſufficientem qui
proinde in longum uſque tempus perdurare po-
tuiſſet, præcipue apud ſanctiſſimos hoſce con-
juges, qui præter nudam neceſſitatem aliud non
quærebant: attamen Beatiſſima Virgo Maria
pro hujus imminentis itineris ſui neceſſitatibus
ex oblatis filio theſauris nihil prorſus reliquum
habuit quia ipſa utpote paupertati pauperibuſ-
que addictiſſima, eoſdem theſauros mox ut in
manus ſuas recepit, regionis illius pauperibus ſi-
ne ulla mora interpoſita diſtribuit, liberaliſſi-
meque erogavit *Virgo beata pietatis mater, & pau-*
*pertatis amica theſauros regum devotione oblatos abſ-*
*que mora liberaliſſima Charitate regionis illius paupe-*
*ribus diſpenſavit.* inquit S. Bernardinus ibid. Tan-
ti ſibi a Regibus præſentati theſauri tantum au-
rum, tot inæſtimabiles gemmæ, tantaque ar-
genti copia, ne unica quidem horula penes ip-
ſam remanſit ſed potius eoſdem ſine ulla mora
aut tardatione ſumma cum ſollicitudine inter
egenos erogavit *Abſque mora pauperibus diſpenſa-*
*vit.*

27 Scitis utique qualiter Beatiſſima Virgo
ad nuptias Canæ in Galilæa in divini filii ſocie-
tate invitata, quarum ſponſus uti multi volunt,
erat S. Joannes Apoſtolus, vini defectum qui ſi-
ve ex ſponſi ſponſæque paupertate, ſive ex ali-
qua illorum incuria & negligentia acciderat, vi-
dens, Chriſtum ut erubeſcendæ huic neceſſitati
miraculoſe dignaretur ſubvenire, precata fue-
rit. Qui etiam vaſa multa Aqua adimpleri præ-
cipiens Aquam in vinum commutarit omnibuſ-
que convivis affluentem vini potum ſubmini-
ſtravit. In hac autem hiſtoria obſervandum præ-
cipue eſt, ipſam ſuas ad divinum filium ſuum
preces non eouſque diſtuliſſe, donec vinum in

prædictis nuptiis totaliter defeciſſet, ſed tunc ſuam interventionem adhibuiſſe, quando jam vinum deficere incipiebat. *Deficiente vino dicit mater Ieſu ad eum: vinum non habent*, inquit Evangeliſta Joannes cap. 2. v. 4. Cur non exſpectavit, donec vinum totaliter defeciſſet, ſed rogavit, dum illius incipientem notaſſet defectum? Quia nimirum, reſpondet Janſenius, in conferendis gratiæ donis, ſe maxime velocem ſollicitamque exhibere ſtudet: *Sollicita pietas & miſericordia, qua aliorum defectus ſublevare ſtudebat, hoc fecit. Idque adeo ſollicite, ut uſque ad extremam neceſſitatem non diſtulerit, ſed deficiente vino, id eſt, dum jam inciperet deficere, & nondum defeciſſet.* Ante vini defectum Neoſponſis de vino proſpicere voluit, ut poſtquam jam defeciſſet, ſubito ſine aliqua interjecta temporis mora promptum eſſet interceſſionis ſuæ auxilium.

28. Quotieſcunque ô chriſtiane frater, ob novam aliquam animæ vel corporis tui ærumnam, tu intra temetipſum ad cælorum ſanctiſſimam Reginam pro ſubſidio confugere, atque pro illius invocatione manus tuas in cælum elevare decernis, mox egredere & fores domus tuæ aperire ſatage, illamque namque foribus aſtantem vel aſſiſtentem, atque ad ſubveniendum neceſſitatibus tuis promptam paratamque invenies. *Qui de luce vigilaverit ad illam*, inquit Salomon cap. 6. v. 14. *Aſſidentem illam foribus ſuis inveniet.* Non moratur aut exſpectat donec tibi ſuperveniat neceſſitas, aut tu illam de cælo advoces, quin potius neceſſitatem antevertens deſcendit, tuis foribus aſsiſtit, ut neceſsitate aliqua fortuito ſuperveniente ſubito in unico momento, & abſque ulla mora promptum ſit ejus auxilium. Quod tibi de viſceroſiſsimo Auguſtiſſimæ Dominæ noſtræ affectu videtur? Quid tibi de velocitate qua malis noſtris ſuccurrit, videtur? Nunquid ſumme amari & ſine fine laudari meretur?

PANE-

# PANEGYRICUS XXIX.

## De S. Bonaventura Doctore Seraphico.

## THEMA.

Gratia Dei ſum id, quod ſum:

## ARGUMENTUM.

*S. Bonaventura Doctor Seraphicus adeo fuit admirabilis, ut merito novus quidam divinæ gratiæ partus æſtimari ob omnibus debeat.*

1. PEtrus Tarentaſienſis Epiſcopus & Cardinalis in devotiſſimis S. Bonaventuræ exequiis Lugduni in præſentia Gregorii Noni ſummi Pontificis, & totius Curiæ Apoſtolicæ, celebrantis Miſſam cecinit, illaque conſumata ſermonem habuit, pro cujus Themate verba illa accepit 2. Reg. 1. v 26. *Doleo ſuper te frater mi Ionatha.* Et quidem apte ſatis. Inprimis enim ut ſignificaret quod propter tanti hominis ingentem jacturam tota ſecum Eccleſia amariſſime plangeret, dicebat: *Doleo ſuper te* Deinde ut toti mundo teſtatum faceret, quod S Bonaventura haud ſecus ac ſi ab omnibus Chriſti fidelium matribus natus eſſet, omnium quaſi frater ſit ab omnibus univerſim dilectus, ipſum fratrem appellat. *Frater mi.* Denique ut ingentes ejus declararet virtutes, ſtupendaque opera, ob quæ non naturæ opus, uti alii homines, ſed novum quoddam eſſe videbatur divinæ gratiæ miraculum, ipſum *Ionatham* cognominavit, quod interpretatur *Columba donum* columbæ inquam, id eſt. Spiritus Sancti, ſeu etiam divinæ gratiæ donum. Et revera erat Sanctus hic Doctor, prouti à Cardinali Tarentaſienſi celebrabatur, quoddam Spiritus Sancti donum, ſeu quidam divinæ gratiæ partus & fructus Unde cum S. Paulo Apoſtolo 1. Cor. 15 v 10. liberè dicere poterat: *Gratia Dei ſum id quod ſum.* Id quod ad majorem Dei ſanctique Doctoris ſui honorem & gloriam latius in præſenti Panegyrico ſum explicaturus.

2. In vita Seraphici Patris S. Franciſci quam Sanctus Doctor ſcripſit, narras quod cum ipſe parvulus adhuc exiſtens infantulus, in graviſſimum periculoſiſſimumque morbum incidiſſet, deſperatus jam atque à Medicis derelictus matre ejus quæ ob filii ſui amiſſionem magnopere dolebat, ad Deum mediante S Franciſci interceſſione confugiente, vitam miraculoſe conſervavit. *Voto pro me languente graviſſime ad B. Franciſcum emiſſo à matre, cum adhuc eſſem puerulus, ab ipſis ſum mortis faucibus erutus* Unde quod ſi interrogatur, cuinam Bonaventura poſt ſanitatem recuperatam vitam ſuam acceptam referre deberet. Naturæne, uti alii homines, an vero gratiæ? Reſponderem utique ipſum vitam ſuam gratiæ

debe-

debere, non vero naturæ. Pro cujus probatione, quidam S. Jonæ Prophetæ locus attendendus eſt Jonæ 2. v. 3. Ubi dicit: *Clamavi de tribulatione mea ad Dominum & exaudivit me: de ventre inferi clamavi & exaudivit me.* Circa quem locum Theodoretus dicit: Quando unquam vel ubi Jonas mortuus & ſepultus fuiſſe legitur, ut Deum è ſepulchro exorans, à morte liberari, vitæque veluti alter quidam Lazarus reſtitui potuerit: Reſpondetque ipſum mortuum & ſepultum dici, quando à ceto devoratus, in ejuſque ventre incluſus, veluti ſepultus fuit, tunc enim quia humanitus vivere non poterat, mortuus judicabatur & ſepultus; Unde bene dicitur quod in ventre ceti incluſus & veluti ſepultus Deum è ſepulchro precatus fuerit. Poſtquam autem evidens illud mortis periculum evaſerat, reliquum vitæ divinæ gratiæ attribuere debebat, quaſi novus quidam illius partus noviter genitus. *Cum fera hæc mortifera ſit, lege viventium Ionas mortuus erat, at ſola gratia vivebat* Idem quoque de S. Bonaventura dici potuit, cum enim ob morbum lethiferum quo erat obnoxius, naturaliter cenſeretur mortuus, quia tamen divinæ gratiæ favore vitam ſuam miraculoſe recuperavit, novam hanc vitam gratiæ, non vero naturæ attribuere debebat, utpote qui jam alius homo, ab eo qui ante fuerat, judicari debebat, hujus inquam homo, novuſque partus à divina gratia noviter regeneratus. *Sola gratia vivebat.*

3. Quænam eſt ratio, inquit Author operis imperfecti in Matthæum Hom. 1. ob quam Deus Iſaac è matre & patre ſterilibus, ſenibus, decrepidis naſci voluit, cum facere potuiſſet, ut ab iiſdem eo naſceretur tempore, quo in ætatis ſuæ flore conſtituti, juveneſque adeo generationi magis apti & idonei erant? Reſpondetque id factum fuiſſe ne partus ipſorum naturæ attribueretur, ſed gratiæ. Quia enim ob ætatem decrepitam filium naturaliter habere non poterant, ipſum veluti è divinæ gratiæ manibus recipiebant, quaſi ejuſdem gratiæ partum: *Iſaac deſperantibus jam parentibus in ultima ſenectute jam donatus eſt, ut cognoſcatur quia non erat filius Naturæ, ſed gratiæ.* Simili quoq; ratione mihi ad meum propoſitum diſcurrere licebit, & dicere: voluit Deus ut Pater & Mater Bonaventuræ non de generatione ſed de vita ejus naturaliter deſperarent, ut eum poſtea cernentes vivum, cognoſcerent ſe illum non ex ſuo conjugio, uti prius, ſed ex divinæ gratiæ beneficio poſſidere, veluti miraculoſum quendam gratiæ partum. *Vt cognoſcatur quia non erat filius Naturæ ſed gratiæ.*

4. In Oratione quadam quam Sueſſanus de vita & meritis B. Bonaventuræ coram Sixto IV. ſummo Pontifice pro ejuſdem ſanctiſſimi Doctoris Canonizatione publicè recitavit, dicitur, Patrem S. Bonaventuræ Joannem appellatum fuiſſe. Et certe mihi id non ſine particulari myſterio accidiſſe firmiter perſuadeo. Cur enim non Petrus, Jacobus, Carolus aut ſimili nomine, ſed Joannes nuncupari debebat? Quia nimirum *Ioannes* in ſermone latino *gratia* interpretatur, ideoque Deus Bonaventuram à Joanne generari volebat, ut per hoc innueret futurum eſſe ut propter divinas ſuas virtutes, ſapientiam, operaque miraculoſa, quæ coram toto mundo operaturus erat, miraculoſus quidam exiſtimaretur divinæ gratiæ partus.

5. Propter hanc eandem rationem tametſi Bonaventura non minus ac alii homines verus fuerit Adæ filius, quadantenus tamen dici poſſe videtur ipſum Adæ filium non fuiſſe, utpote qui non opera Naturæ ſed gratiæ genitus fuit. Tametſi omnes homines utpote qui de Adamo procedunt & naſcuntur, ob naturalem ſucceſſionem peccatum contrahentes originale velut iræ divinæ filii naſcantur: quæ etiam cauſa eſt, quod mox ut naſcuntur plangant & lamentando A inclament, quaſi ut nonnulli opinantur de Adamo dolentes qui ob culpam ſuam tot tantaque ſuper eos mala induxit, quibus ipſe quoque Bonaventura tanquam unus ex illis ſubiiciendus erat, ipſe tamen nequaquam veluti unus ex Adæ filiis ab eodem ad inſtar aliorum natus & generatus apparuit, utpote qui ſe per admirabiles virtutes ſuas, & extraordinariam vitæ converſationem talem probabat, in quo Adam nequaquam peccaſſe videretur. Uſus fuit S. Bonaventura Pariſiis in Theologia veluti præceptore Alexandro de Ales, Doctore illius temporis longè celeberrimo, qui per excellentiam Doctor irrefragabilis & fons vitæ dicebatur. Hic igitur S. Bonaventuram ſcholas ſuas frequentantem conſiderans, in eodemque novam quandam puritatem, & particularem gratiam, ſingularemq; vivendi modum, nec raram quandam in loquendo dulcedinem & ſuavitatem attendens, quotieſcunq; ejus mentionem faciebat, dicere conſuevit, ut

refert

refert Bartholomæus Piſanus lib. 1. Conform. fructu 8. part. 2. *In hoc videtur Adam non peccaſſe*, quaſi dicere videtur peccatum originale non contraxiſſe, neque eſſe, ut ſunt cæteri homines, Adæ filius, ſed homo quidam miraculoſus, & quoddam divinæ gratiæ opus. *In hoc videtur Adam non peccaſſe.*

6. Inter alia quæ S. Franciſcus dum adhuc in terris vitam ageret prophetizavit, refertur quod Bonaventuram infantulum faſciis involutum cernens illum magnum aliquando in Eccleſia Dei & in Religione ſua virum futurum prædixerit, à quo fratres ſui admirabilem recepturi eſſent religioſæ perfectionis profectum. Quorum verborum multi poſtea memores quanta cum veritate illa dicta eſſent perſpicue cognoverunt. *Omnes teſtati ſunt*, inquit Eccleſia Franciſcana in ſuo officio, *conſummatum eſſe divinum oraculum, per B. Franciſcum de illo editum, futurum eum magnum virum in Eccleſia Dei, Religionemque ſuam magna per illum ſanctitatis incrementa recepturam.* Fuit igitur S. Bonaventura S. Franciſci filius. Talis enim factus eſt, quando ab incurabili, uti diximus, morbo miraculoſe ſanatus, juxta devotæ matris votum habitum aſſumpſit Fratrum minorum, factuſque eſt gemma quædam pretioſiſſima, quæ admirabili decore & pulchritudine ſua ordinem ſuum mirè decoravit. Ecquid obſecro S. Franciſcus aliud fuit quam gratia Dei? Quod ſi gratia ita appellatur, quia gratum facit, Seraphicus quoque Pater gratia dici meretur, utpote qui tot animas in ira Dei antea conſtitutas, Deo gratiſſimas effecit. *Quod ſi gratia nihil eſt aliud, quam auxilium quo indigeret homo ad Beatitudinem conſequendam*, ut inquit, S. Thomas 1. 2. q. 23 Art. 1. quale igitur & quantum auxilium S. Franciſcus exemplo ſuo, Doctrina & precibus ſuis hominibus ad æternam beatitudinem conſequendam extitit? Merito igitur gratia Dei vocari meretur, hoc namque nomine Deus ipſe illum die quadam appellavit. De eo namque refertur, quod dum B. Leo S. Franciſcum die quadam aſpiceret, chartulam quandam ſupra Seraphicum ejus caput de cælo deſcendentem conſpexerit, in qua verba hæc legebantur deſcripta: *Hic eſt gratia Dei.* Ut refert Barthol. Piſanus lib. 1. conformit. fructu 18. part. 2. Divinæ igitur gratiæ filius S. Bonaventura fuit, eo ipſo quo S. Franciſci filius extitit.

7. Auguſtiſſima cælorum Regina non ſolum Chriſti filii Dei & redemptoris noſtri, verum etiam univerſorum illam venerantium, laudantium & imitantium Chriſtianorum mater fuit. Richardus à S. Laurentio lib. 2. de laudibus B. Mariæ, illa ſapientis verba Prov. 31. v. 28. *Surrexerunt filii ejus, & beatiſſimam prædicaverunt*, exponens, dicit: *Filii ejus, id eſt, imitatores ejus, caſtitate, largitate filius ejus es.* Unde & ſacratiſſimus venter ejus acervo tritici a ſponſo aſſimilatus fuit, Cant. 7. v. 2. *Venter tuus ſicut acervus tritici vallatus liliis*: eo quod in illo non ſolum Chriſtum corporaliter geſtaverit, verum etiam ſpiritualiter omnes illos, qui illam imitantur & prædicant, ut eoſdem ad æternam beatæ gloriæ vitam parturiat. Primum autem inter hoſce locum S. Bonaventuræ aſſignare minime dubito, utpote qui illam non ſolum operibus incontaminatis & caſtis ſemper & ubique imitari ſtuduit, verum etiam eandem & ore & calamo tot tamque diverſis modis prædicavit, laudavit, magnificavit, ipſam in intimo cordis ſui venerabiliter impreſſam & exculptam ſemper retinens: *Matrem Ieſu pectori impreſſam aſſidua meditatione ſemper extitit veneratus*, inquit Eccleſia Franciſcana de ſuo ſancto Doctore in ejus octava, in quam veluti in limpidiſſimum ſpeculum frequenter reſpiciens, omni conatu poſſibili imitari quæſivit. Cum igitur Bonaventura filius ſit beatiſſimæ Virginis, dicere conſequenter oportet, ipſum quoque gratiæ filium fuiſſe. Beata Virgo non ſolum *Maria* appellatur, verum etiam *gratia*, idque ob gratiarum quibus plena fuit, abundantiam. *Tanta gratiarum copia in Maria abundavit, ut etiam ipſa glorioſa Virgo gratia quodammodo dici poſſit*, inquit S. Doctor in ſpeculo quod de B. Virgine ſcripſit cap. 13.

8. Sapiens Eccleſiaſtici 17. v. 8. Divinam gratiam ſingulari cum elegantia oculorum aſſimilat pupillæ dicens: *Gratiam quaſi pupillam conſervabit.* Et vere oculorum pupilla eſt divina gratia: Oculorum enim pupilla ex quovis levi & modico malo offenditur, & ſimiliter ex quovis parvo ſed mortifero peccato offenditur Deus ejuſque divina gratia perditur. Conſervari debet pupilla oculi omni cum cura & ſtudio, ſic etiam omni cum induſtria cuſtodiri debet divina gratia. Oculus pupilla privatus ad nihilum utilis eſt, nec homo quidquam valet orbatus divina gratia: oculorum pupilla totum illuminat hominem, ſicut & gratia totam animam. Denique pupilla parva eſt, parva quoque eſt gratia, intellige quoad effectum quia homines parvos facit ac humiles. *Pupilla eſt parva*, inquit Richardus à

dus à S. Laurentio lib. 2. de laud. Mariæ, *& gratia Dei ex effectu, quia facit hominem parvum* Quod igitur S. Bonaventura adeo fuerit humilis, Religionemque amplexatus ſit humilitatis adeo amantem & ſtudioſam, ut profeſſores ſuos Fratres *Minores* ſolemni nomine appellet, divinæ attribuendum eſt gratiæ, illa namque ipſum ad admirabiles Franciſcanæ Religionis progreſſus parturivit. *Gratia facit hominem parvum.*

9. Nonnulli Doctores volunt, gratiam nihil eſſe aliud quam charitatem, & reipſa bene in hoc dicere videntur. Quod ſi enim opera noſtra charitate deſtituta nullius ſunt valoris, utique gratia charitas erit, quia nihil etiam ſine divina gratia proſunt. Quodſi charitas vinculum quoddam eſt animam cum Deo ſtricte uniens, gratia charitas erit, utpote quæ uti perſpicuum eſt, eundem operatur effectum. Denique ſicut charitas animam Deo gratam reddit, ita idem quoque gratia efficit. Unde nonnunquam gratia pro charitate & è contra nominatur: *Gratia ſumitur pro dilectione, qua quis dicitur habere gratiam alterius*, inquit Doctor Angelicus 1. 2. q. 119 Art. 1. Cum igitur gratia charitas ſit, charitas autem ignis quidam ſit, gratia quoque ignis quidam erit; ideo namque primitivis fidelibus in Pentecoſte per Spiritum Sanctum ſub quodam ignis ſymbolo communicata fuit. Unde gratia eundem cum igne effectum producet, adeo ut ſicut ignis campum lignis refertum depaſcens & comburens, illum abſoluto ardore cineribus coopertum & ſtratum relinquit, ita quoque gratia dum ardore charitatis animam depaſcit eandem Chriſtianæ humilitatis cinere cooperire ſolet. Sic Abraham quia in gratia Dei erat, hoc quoque viſus eſt cinere fuiſſe coopertus, quando Deum alloquens dixit Gen. 18 v. 27. *Loquar ad Dominum cum ſim pulvis & cinis.* Quod ſi ſanctum reſpiciatis Bonaventuram ſolemni Fratrum Minorum veſte amictum, videbitis illum tum ob humilitatem quam veſtis illa profitetur tum ob eum quem refert colorem veluti cinere conſperſum & coopertum. Et quid aliud ipſum adeo conflagrare & in cineres redigere prævaluit, præterquam divina gratia? Gratia velut amantiſſima quædam mater, illum tum pro ſua ſalute, tum ad ordinem S. Franciſci illuſtrandum, tum denique pro juvanda ſancta Dei Eccleſia tali veſte amicivit.

10. S. Bonaventura tam inſigni præditus fuit literatura, ut viris quoque doctiſſimis ſtupendus viſus fuerit ſummeque admirandus: *Tantam laudem interpretandi munere, & in univerſa Theologia ſcientia eſt conſecutus ut viri doctiſſimi ejus doctrinam & eruditionem admirarentur*, inquit de hoc ſancto Doctore Sixtus V. Bulla 4 in Bullario Rodriquez Tom. 4. Undenam obſecro tantam haurire ſapientiam potuit? Num forte à ſubtiliſſimi ingenii ſui acumine, vel ab improbo labore quem in literarum ſtudio adhibuit? Tametſi etenim hæc omnia ſancto Doctori minime defuerint, illa tamen pro tanta ſcientia acquirenda ſufficere minime potuiſſent, ſi Dei gratia, quæ profundos veroſque efformare literatos prævalet, caruiſſet. David quidem, ut litteratus ſummuſque fieret Theologus acutiſſimi ingenii ſui ope, ſummoq; adhibito labore ſtudiis aliquamdiu operam dedit, tandem vero ſe fruſtra laborare advertit, niſi divinæ quoque gratiæ præſidio eſſet ſuffultus. Unde Pſal. 72. v. 16 dicebat: *Exiſtimabam ut cognoſcerem hoc, labor eſt ante me, donec intrem in ſanctuarium Domini*, quaſi diceret: Ego qui tot jam annis diu noctuq; literarum ſtudiis ſummo cum labore incubueram credebam quidem me in virum evaſiſſe valde doctum, tandem vero me nihil prorſus ſcire adverti, imo in vanum deinceps laboraturum me intellexi, niſi ſanctuarium ingrediens Deum rogarem, ut me gratia ſua dignum efficeret, utpote ſine qua deſideratum conſequi effectum impoſſibile eſſet, quaſi diceret: *Non ſufficit labor ſtudii ſine gratia*, inquit Hugo Cardin. in Pſalm. 72. Bonaventura tantam ſapientiam divinæ gratiæ, non vero ingenii ſui acumini aut ſubtilitati, aut adhibitis in literarum ſtudia laboribus attribuere debebat. Gratia namque Dei literarum ſuarum promotrix extitit, illa ipſum doctum effecit, & ſapientem reddidit. Id quod ex temporis quo tam admirabilem in literis ſibi acquiſivit profectum, brevitate liquidius apparebit.

11. Hæc eſt gratiam inter Naturam poſt alias plures ingens differentia, quod cum pes naturæ plumbeus ſit, & perfectionem ejus quod prætendit tarde aſſequatur, pes è contra gratiæ levis ſit atque alatus qui ea quæ habet perficere nequaquam tardat. *Natura non vadit ab oppoſito in oppoſitum niſi per medium*, inquit Ariſtoteles cap. de ſenſu & ſenſato. de natura: E contra vero: *neſcit tarda molimina Spiritus Sancti gratia*, inquit Ambroſ. lib. 2 in Lucam de divina gratia. Cum natura etiam artis ope adjuta oculum aliquem infirmum & cæcum curatura, multo tempore opus ha-

pus habeat, ut illum è cæcitate ad expeditum viſum perducat, gratia tamen eundem in unico momento ſanat & illuminat, prouti in miraculis redemptoris noſtri clariſſime perſpicitur. Ut homo aliquis rudis, ignorans, & indoctus, doctus evadat & literatus, opus eſt illi ſecundum ordinem naturæ curſum multo tempore, annisque multis. Sicut enim naturæ impoſſibile eſt ut uno eodemque tempore quo virgultum aliquod generat, idipſum quoque in magnam faciat excreſcere arborem, ita quoque hominem ex humili ignorantiæ conditione in ſublimem humanarum ſcientiarum ſtatum ſubito evehere nequaquam valet. Quid igitur de S. Bonaventura dicemus dum illum in breviſſimo tempore profundum, literatum celeberrimumque cernimus factum eſſe Theologum & non ſolum famoſiſſimæ univerſitatis Pariſienſis Doctorem, ſed & lectorem ejuſdem univerſitatis primarium atque præcipuum? Num forte admirabilis hic miruſque in doctrina & ſapientia progreſſus, naturæ viribus, aut vero divinæ gratiæ virtuti attribuendus erit? Gratiæ non vero naturæ illum attribuit Sixtus V Pontifex ſummus, ubi ſupra *Brevi temporis ſpatio gratia Spiritus Sancti tantos progreſſus fecit, & ad tantam doctrinæ perfectionem pervenit, ut Doctoris & Magiſtri inſignibus in celeberrimo Pariſienſi gymnaſio ſolemni more decoratus, ſacram Theologiam ibidem publicè profeſſus ſit*, inquit hic Pontifex. Partus igitur verè fuit miraculoſus, & novum quoddam & extraordinarium divinæ gratiæ opus.

12. Quærit doctiſſimus Paulus de Palatio in cap. 23. Matth. quænam ſit cauſa, quod cum ſuper cathedris non niſi docti & literati ſedeant (ſolus namque doctis docere & prædicare competit, Chriſtus tamen dicat quod ſuper cathedram Moyſis ſimul cum ſcribis, id eſt, cum literatis & doctis, Pharisæi quoq; ſedeant, id eſt, indocti & ſimplices? Quidnam Pharisæis cum cathedra commune eſt, quod illam una cum ſcribis occupare dicantur? *ſuper cathedram Moyſis ſederunt ſcribæ & Phariſæi*, inquit Chriſtus Matth. 23. v. 2. Reſpondet autem Phariſæorum nomine religioſos intelligendos eſſe, quorum multi tametſi ſimplices ſint, & modica literatura inſtructi conceſſa eſt pleniſſima prædicandi, & Moſaicam cathedram conſcendendi facultas: Idque quia ob magnam quam cum Deo habent familiaritatem, ſæpe illuminatiores doctioreſq; ſunt quovis famoſo doctiſſimoque Theologo *Quantum mea fert opinio*, inquit hic Doctor loc. cit. *hic per Phariſæos repræſentantur Religioſi qui Monachatui addicti ſunt: iis conceditur prædicandi authoritas etiamſi minus ſint literati. Tanta eſt illis cum Deo familiaritas, ut ex illo ad Deum acceſſu fiant illuminatiſſimi* Vere talis quidam Phariſæus viſus eſt eſſe B. Didacus, qui tametſi utpote ſimplex idiota & laicus ſcholas nunquam viderit, Quæſtiones tamen Theologicas graviſſimas & difficillimas, quas in famoſiſſimis Hiſpaniarum Academiis tot viri literatiſſimi reſolvere nequaquam poterant, expeditiſſime omniumque cum ſtupore determinavit *Contingebat doctos & pios viros, cum abſtruſas & perdifficiles quæſtiones ad res divinas animarumque ſalutem pertinentes, id ab homine literarum inexperto cumulate diſcere, quod in celeberrimis Academiis à magnis Doctoribus comparare nequiverant*, inquit in die 3 Octavæ S. Didaci lectione; de eodem ſancto Eccleſia Franciſcana. Quia enim ejuſmodi homines librum evolvebant crucifixi, alio libro aut magiſtro, ut docti evaderent, opus minime habebant. S. Paulus cujus ſapientiam totus obſtupeſcit mundus, alium librum non pervolutabat. *Non enim judicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum*, dicebat Corinthis 1. Cor. 2. v. 2. Seraphicus quoque Pater Franciſcus, qui Doctrinæ ſuæ ſublimitate tot Chriſto animas acquiſivit, deque Deo & rebus divinis tanta cum profunditate loquebatur, alium librum præter Crucifixum ad ſtudia ſua non adhibuit. *Nec iam ſcientiam habuit ſtudendo ſeu imitando Scholas Grammaticorum, Dialecticorum, Philoſophorum, vel ſapientum mundanorum: ſed per revelationem Ieſu Chriſti ad pedes Crucifixi meditatione aſſidua divinitus acquiſita.* inquit Bartholomæus Piſanus lib. 1. Conformit. fruct. 12. part. 2. Omnes hi divinæ gratiæ diſcipuli, miraculoſe à Deo edocti fuerunt, inter quorum numerum præcipue recenſeri S. Bonaventura meretur, utpote qui totum quod ſcivit ex hoc libro didicit. S. Thomas de Aquino Doctor Angelicus ſancti Doctoris noſtri Cellam die quadam ingreſſus, eundem ut libros quos ſtudendo pervolveret, ſibi demonſtraret, rogavit: Cui mox nonnullos quos in promptu ad manus habebat oſtendit. Quia vero S. Thomæ per libros exhibitos ſatisfactum minimè erat, denuo majori cum inſtantia, ut alios quos utique in ſecreto haberet reconditos è quibus conceptus adeo ſublimes & exquiſitos, tamque profundas miraſque ſententias eliceret, expromeret, ſollicitavit. Sanctus igitur Bonaventura

ob ſtrictum quod ipſum inter & Doctorem Angelicum intercedebat amicitiæ vinculum, illi nihil denegare valens, quandam illi Crucifixi imaginem, quam ſub menſa habebat reconditam exhibuit, dicens: *En librum ipſiſſimum, unde omnia excerpo, quæ lego in cathedris aut in libris ſcribo.*

13. Sanctus igitur Bonaventura in hoc libro continuo ſtudens. ſed quod plus eſt illi totaliter immerſus, utique valde erat literatus, & ad ſtuporem uſque doctus. Sixtus V. Pontifex Maximus refert illum in Chriſti crucifixi amore adeo fuiſſe ſuccenſum, ut non ſolum oculos ſuos in hoc unicum duntaxat objectum videretur habere defixos, verum etiam ut in aperto & vulnerato Chriſti crucifixi latere profunde ſepultus ibidem continuo morari videretur: *Divini amoris fervore inflammatus Jeſum Chriſtum & patientem ubique intueri & in ejus vulneribus habitare videretur.* In illis igitur ſacratiſſimi pectoris viſceribus habitabat, in quo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditi & repoſiti latent: *in quo ſunt omnes theſauri ſcientiæ & ſapientiæ Dei abſconditi*, inquit Apoſtolus ad Coloſſ. 2. v. 3 Unde S. Bonaventura in hoc Chriſti pectore habitans, evadere ſapientior debebat, quam ſi famoſam quotidie frequentaſſet Laurentii Bibliothecam, ubi omnes ſimul reconditi erant libri, quos unquam vel Policrates Samius, aut Athenienſium Rex Philoſtratus, aut Nicocatres Cyprius, aut Euripides Poeta, aut Ariſtoteles Stagyrita, ut refert Athenæus lib 1 ca. 1 Admirabilis enim eſt ſapientia illa ad quam humana ingenia ſublimantur à divina ſtudiis illorum aſſiſtente gratia.

14. Id quod Gregorius decimus ſummus Pontifex, ſanctum Bonaventuram mortuum videns dixiſſe legitur, ſcilicet: *Eccleſiam ex ipſius morte magnam incurriſſe jacturam*, prouti idipſum in officii ſui lectionibus perſpicue legitur, hoc ſalva veritate dici nequaquam poſſe videtur, cum Eccleſia nihil omnino perdere poſſit Quomodo enim Eccleſia amittere aliquid poſſet, quando illa per particularem Dei providentiam bonis excellentibuſq; ſubjectis nunquam deſtituitur aut orbatur Quis neſcit Deo providente ita communiter fieri, ut uno moriente alius ſubito ſeſe prodat, qui Eccleſiam paribus cum priore adjuvat auxiliis? Mortui ſunt Apoſtoli, & in eorum locum exſurrexerunt Baſilius, Hieronymus, Ambroſius, Gregorius, Hilarius, pluresq; alii viri illuſtriſſimi; mortui ſunt Martyres, illorumque ſanguis, quaſi fœcundiſſimum ſemen centupliciter fructificavit. Unde Regius propheta Eccleſiam Dei hiſce verbis alloqui non dubitavit: Pſalm. 44. v. 17. *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii.* Quam igitur jacturam Eccleſia in morte S. Bonaventuræ ſentire potuit, quando Deus, uti facere aſſolet, eidem per alium virum ſimilem, qui æqualiter ipſi operibus atque Doctrinis Eccleſiam adjuvaret ſuccurrere & opitulari poterat: Porro tametſi totum hoc verum ſit, Pontifex tamen hiſce verbis uti voluit, ut virtutum ſancti Doctoris excellentiam & ſingularitatem ſupra quoſvis homines poſſibiles demonſtraret, quaſi poſt mortem ejus nullus ei ſimilis aut compar ſurgere minime potuiſſet Unde pro confirmatione hujus Eccleſia Franciſcana dicit, exequias ejus cum univerſali planctu celebratas eſſe, eo quod quilibet Eccleſiam neminem ipſi parem habere poſſe judicaret. *Parem ſibi in Eccleſia relinquere non videbatur.*

15. Eo ipſo quo ſanctiſſimus Doctor novus quidam erat divinæ gratiæ partus, alius quam vir quidam rarus, ſingularis, nec parem habens eſſe non poterat. Margarita enim, uti communiter creditur, ſuam ex cæleſti rore trahit originem *Fertur quod margarita naſcitur ex rore cæli* inquit Hugo Card. in cap. 3 Matth qui cæli ros quoddam eſt divinæ gratiæ ſymbolum. Unde cum Bonaventura quidam fuerit divinæ gratiæ partus, utique pretioſiſſima quædam margarita erit. Et vere talis fuit; Sicut enim margarita candida eſt, ita quoque Bonaventura adeo candidus, purus, & innocens fuit, ut ſicut diximus, Adam in ipſo ex plurium opinione non peccaſſe videatur. Adhæc ſicut margarita plus cæli quam maris in quo naſcitur ſocietate fruitur, prouti affirmat Plinius: Sic etiam Bonaventura bona terræ in qua natus eſt, pro cæli bonis deſerens evidenter ſatis ſe plus cælo quam terra frui & gaudere oſtendit. Præterea ſicut margarita cor hominis confortat. ita enim Bonaventura hac quoque gratia præditus erat, ut mæſtorum & melancholicorum religioſorum corda mire confortare & confirmare valeret: *Si quem forte triſtem, aut profeſſionis pœnitentem intellexerit, tanta dulcedine in ſermone conveniebat, conſolabatur, monebat, ac confirmabat, ut nullus ab eo diſcederet, quin libens captum Religionis iter proſequeretur*; ita legitur in ejus officio die 4. infra Octav. S Bonavent lect. 4 Deniq; ſciendũ eſt quod margarita alio quoq; nomine unio appelletur, eo quod

concha-

concha unam duntaxat non vero plures producat. *Uniones vocantur*, inquit Iſidorus lib. 16. Ethym. cap. 10. *quod tantum unus, nunquam duo vel plures inveniuntur.* Sic etiam S. Bonaventura unica fuiſſe videtur in concha mundi hujus margarita, ac proinde unio vere dici potuit, quia unicus & ſolus eſt, nec parem ſibi aut ſimilem in univerſa Eccleſia Sancta Dei habere potuit. *Parem ſibi in Eccleſia relinquere non videbatur.*

16. Porro ſicut S. Bonaventura ex una quidem parte vir fuit adeo magnus, admirabilis, & ſingularis, ut de illo liberè dici potuerit: *Non eſt inventus ſimilis illi*: ita quoque ex parte altera adeo fuit humilis, deque ſemetipſo adeo humiliter ſenſit, ut omnibus eum intuentibus ſtupori fuerit. *Quod mirabilius & admirabilius erat in illo, quo magis ſcientia & authoritate emerſerat, eo magis humilitate mentis deprimebatur.* Dicitur in ejus officio die 3. infra octav. S. Bonav. lect. 5. Tanta cum alacritate & gaudio abluendis lancibus ſeu paropſidibus, purgandis fratrum cellulis, aliiſque abjectioribus vilioribuſque domus exercitiis & obſequiis intentus erat, ut ſuperiores indignum reputantes tantæ authoritatis virum ſimilibus ſervitiis deditum eſſe, difficulter illum & nonniſi invitum à ſimilibus abſtrahere aut divertere potuerint. Nec cuiquam mirum videatur ipſum adeo fuiſſe humilem, quippe fuit quidam divinæ gratiæ partus: *Gratia autem facit hominem parvum*, uti ſupra ex Richardo a S. Laurentio lib. 2. de laud. B. V. diximus. Nempe ſpica granis locuples, aut fructibus onuſtus ramus vel lilium floribus multis circumſeptum prona in terram inclinatur.

17. Per manna fortiter dimicanti & vincenti à Chriſto promiſſum Apocal. 2. v. 17. *Vincenti dabo manna abſconditum*, divina gratia intelligitur. *Hoc eſt manna abſconditum, quod promittit Dominus*, inquit S. Bernardinus Tom. 3. ſerm. 5. Art. 2. in princ. *Manna quippe abſconditum eſt admiranda gratia Dei ſuavitas. Sicut enim manna omnem ſuavitatis ſaporem in ſe continebat, ſic & gratia.* Et quidem admirabile prorſus manna eſt gratia divina, utpote quæ admirabiles prorſus in anima eam recipientis operatur effectus. De cælo venit, utpote quæ nonniſi de cæleſtis Regis divinis manibus proficiſcitur: Rotunda eſt, quia eos quos imbuit, perfectos efficit: Alba eſt quia eos qui turpes, fædi, & nigri fuerant, puros reddit & candidos. Cibus eſt viatorum, utpote nobis in præſenti exilio peregrinantibus, ad acquirendam & conſequendam cæleſtem gloriam donata. Olei ſaporem refert, utpote quam Deus ex pura ſua miſericordia largiri dignatur. Panis etjam eſt, ſed animæ ne moriatur in æternum. In radiis ſolis id eſt mundanæ proſperitatis corrumpitur & perditur. Subtilis eſt minuta, quia in eam habente non cernitur. Denique ex manna quidam naſcebatur vermiculus: ex divina autem gratia naſcitur homo parvus & humilis, qui dicit Pſal. 21. v. 7. *Ego autem ſum vermis & non homo.* Vix B. Virgo gratia ſe plenam audierat. Luc. 1. v. 28. *Ave gratia plena*: cum ecce ſtatim vilem ſe agnoſcit terræ vermiculum dicens: *Ecce ancilla Domini.* Nemo igitur miretur ſi S. Bonaventuram adeo humilem tamque ſubmiſſe de ſe ſentientem intelligat; nimirum divinæ gratiæ fælix partus fuit, cui vermium id eſt, humilium generatio propriiſſime convenit.

18. Refert S. Lucas Act. 7. v. 15. quod dum S. Prothomartyr Stephanus coram Judæorum tribunali conſtitutus circa ſacroſanctæ fidei noſtræ atque Chriſtum Dominum noſtrum ſpectantia myſteria, pro quibus quævis tormenta omniſque generis vituperoſam mortem ſuſtinere paratus erat, diſputaret atque diſſereret, oculos in cælũ elevarit, idque quia Spiritu Sancto plenus erat: *Cum autem eſſet plenus Spiritu Sancto, intendens in cælum, &c.* Per Spiritum autem Sanctum divinam gratiam intelligit cujus author eſt Spiritus Sanctus, de qua jã ante Act. 6. v. 8. dixerat: *Stephanus plenus gratia*; Ut ſit ſenſus: Quia Stephanus gratia plenus erat, ideo cælum intendit; quod ſi enim ab hac gratia vacuus fuiſſet & inanis cælum nequaquam reſpexiſſet, ſed terram: non ad cæleſtem gloriam, ſed ad mundana & caduca bona fixiſſet obtutum: non attendiſſet ad coronam immarceſcibilem in Paradiſo ſibi præparatam, ſed ad ea quæ perfidi Judæi ipſi perſuadere conabantur. Divina gratia eſt, quæ nos mundum cum omnibus bonis ſuis contemnere, cælum autem & quicquid in cælo nobis à Deo promiſſum eſt, prout meretur æſtimare & ſperare facit & urget. Ita hunc locum S. Petrus Damianus in ſerm. de S. Stephano explicat dicens: *Signanter recollige poſitionem verborum: Plenus eſt Spiritu Sancto, & ſic intendit in cælum; quia qui ſpiritu Divinitatis afflantur conculcatis terreſtribus, cæleſtibus inhiat & æternis.* Quando Clemens IV. fama virtutum ſancti Doctoris commotus eidem ad ſe evocato

 opu-

opulentum Eboracenſis Eccleſiæ Epiſcopatum
obtulit, eum ut hanc in ſe dignitatem ſuſcipe-
ret, flectere nequaquam potuit, quippe non ad
divitias mundanoſque honores, ſed ad cæleſtia
duntaxat bona reſpicientem: *Aſſequi non potuit,*
*ut vir ſanctus eam promotionem acceptaret, qui pro*
*poſiti conſtans in Religione maluit permanere, ut ille di-*
*vitias & dignitates ſibi procuraret in cœlis.* Ita legi-
mus in ejus officio die 6 infra octav. S. Bonav.
lect. 6. Nunquid igitur illum verum exiſtima-
bimus divinæ gratiæ partum, cui proprium eſt
efficere ut bona contemnantur mundana, & pro-
curentur æterna?

19. Cum ex magnitudine aut parvitate con-
tinentis facilis ſit de contenti magnitudine aut
parvitate illata notitia, quam modica & exigua
eſſe debebunt mundi hujus bona, cum hic tali
loco claudatur, qui cælo comparatus punctum
aliquod eſſe cenſetur. Valde igitur exilia & par-
va erunt, nimirum puncto, quod ob ſui parvita-
tem indiviſibile judicatur, longe minora. Me-
rito igitur Seneca lib. 1. nat. quæſtionum huma-
nam deridet amentiam, qui indiviſibile iſtud
ferro & igne dividere ſtudent. *Hoc eſt illud pun-*
*ctum, quod inter tot gentes ferro & igne dividitur: ô*
*quam ridiculi ſunt mortalium termini.* Et hi tamen
hac ſui modicitate & exilitate non obſtante ab
hominibus tanto eum effectu & labore, tanta-
que cum induſtria & ſtudio procurantur. Id
quod tamen nulli mirum videri debet, ſiquidem
homines quidam ſunt naturæ partus & fætus.
*Natura* autem, ut Boetius lib. 2. de Conſolat.
Philoſophica Proſa 5. inquit: *Paucis minimiſque*
*contenta eſt.* Contrariæ nempe ſunt indolis ab iis
qui ſunt divinæ gratiæ partus, quibus neuti-
quam ſatisfit niſi per magna, id eſt, honores ma-
ximos, poſſeſſiones ampliſſimas, divitias inæſti-
mabiles, qualia ſunt quæ expectantur in cælo.
Talis fuit ſanctus Bonaventura, cui utpote di-
vinæ gratiæ fæliciſſimo fœtui, ea quæ homines
in hac vita procurant, ita diſplicuerunt, ſicut
deſideravit ea quæ à Deo nobis promiſſa ſunt
in altera.

20. Poſtquam Chriſtus Salvator per famoſum
illud miraculum quinque panibus & duobus
piſcibus tot millia ſaturaſſet hominum adver-
teretque populos in gratam recepti beneficii
memoriam ipſum ſibi in Regem decreviſſe eli-
gere & coronare, ab illis procul fugiens in mon-
tem quendam ſeſe abſcondit. *Ieſus ergo*, inquit
S. Joannes cap. 6. v. 15. *Cum cognoviſſet, quia ven-*
*turi eſſent, ut raperent eum, & facerent eum Regem,*
*fugit in montem ipſe ſolus.* Dicite mihi, ſi placet,
cauſam ob quam Chriſtus ne Rex fieret in mon-
tem fugere decreverit? an non ipſe æque facile
in monte conſiſtens in Regem potuiſſet eligi,
quam ſi deorſum manſiſſet inter turbas? Quis
ſuo ſe arbitrio opponere auſus fuiſſet, quamdiu
non volebat? Etenim licet hoc verum ſit, pro
noſtra tamen inſtructione fugere voluit, ut o-
ſtenderet quam ſint mundani homines cæci, qui
mundana bona tot ſtudiis & laboribus quærunt,
cum veriſſimè parva ſint & abominabilia, & in-
ga jure merito digniſſima. *Regnum fugiens Chri-*
*ſtus nobis exemplum eſt*, inquit Cyrillus Alexan-
drinus lib. . in cap. 20. Joan. *docet enim nos re ipſa*
*parva eſſe quæ maxima in hac vita putantur; nam ho-*
*nor atque gloria mundi fugiendum eſt.* Porro excæcat
homines ambitio, & propter modicum lucrum
efficit ut fiat, quod pro totius mundi lucro fieri
minimè deberet. Horrendæ illius ſententiæ
verba: *Si violandum eſt jus, dominandi cauſa violan-*
*dum eſt*, non in ſolius Julii Cæſaris ore reſonant,
verum etiam inter Catholicorum Chriſtiano-
rum labia ſtrepunt. Quia igitur Bonaventura
divinæ gratiæ fæliciſſimus partus erat, illiuſ-
que radiis intimè illuminatus mundanorum
honorum parvitatem ſibi optimè habebat per-
ſpectam, adeo ut ne ab ipſomet quidem ſummo
Pontifice, ut mitram Eboracenſem, opulentiſ-
ſimique Archiepiſcopatus ampliſſimos reditus
reciperet, perſuaderi potuerit.

21. Præcipua cauſa, ob quam magnus Dei ſer-
vus opulentiſſimum Epiſcopatum acceptare
noluit, teſte Sixto V. Pontifice Opt. Maximo
fuit paupertas quam in ſua fuerat Religione pro-
feſſus: *Inſignem Eboracenſem Archiepiſcopatum ei*
*obtulit, ille vero cum ſe à Seraphica paupertatis com-*
*plexu divelli facile non pateretur, oblatam dignitatem*
*modeſtè atque humiliter recuſavit.* Dicite obſecro,
quidnam paupertatem pendendo perdere pote-
rat, ut illam ne eam perderet, ſtricte adeo am-
plecteretur? Regnum utique perdidiſſet Para-
diſi. Neque enim ignorare poteſtis ipſummet
Chriſtum Matth. 5. v. 3. pauperes in hac etiam
præſenti vita degentes Reges pronuntiaſſe Pa-
radiſi. *Beati pauperes ſpiritu quoniam ipſorum eſt re-*
*gnum cælorum.* Obſervandum enim quod non di-
cat: *Ipſorum erit regnum cælorum*, ſed *ipſorum eſt re-*
*gnum cælorum.* Neque enim pauperes poſt mor-
tem ſuam tantum Cæli futuri ſunt Reges, verum
etiam dum in præſenti ſæculo vitam degunt,
futuri

futuri ſunt magni illius regni Domini & Patroni. *In præſenti datur pauperibus voluntariis regnum cælorum*, inquit Bernardinus Tom 3 de multiplicatione panum ſerm. 2. Art 3. cap. 1. Quodſi ſanctus Doctor oblatum ſibi a ſummo Pontifice recepiſſet honorem, & paupertatem ſimul & regnum cælorum amiſiſſet, quod jam de facto titulo poſſidebat paupertatis, atque pro exili & terreno Domino, regnum deſeruiſſet immenſum & æternum, fuiſſetque idipſum in S. Doctore evidens maximi erroris cæcæque ignorantiæ argumentum, quod in virum adeo ſapientem & prudentem, nec non a divinæ gratiæ radiis tantopere illuminatum cadere minime poterat.

22 Pſalmi 44. verſum 14. accurate penſitantes invenietis, quod David de Deipara Virgine filia ſua loquens eandem Reginam appellarit: *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus.* Idem eſt reipſa Filia Regis, quod Regina. Cur autem exiſtimatis illam magnifico hocce Reginæ titulo decoratam fuiſſe? Certe non ideo ſolum Regina dicta fuit, quod tot eſſet Sereniſſimorum Regum illuſtriſſima filia, verum etiam quia partus & fætus erat divinæ gratiæ unde & mater ejus *Anna* id eſt, *gratia* dicta fuit. *Anna* enim idem ſignificat quod *gratia*. Cum igitur gratia viros Reges, mulieres vero Reginas efficiat, mirum non eſt Beatam Virginem Reginam appellatam fuiſſe. Audite ſi placet hac de re Richardum à ſancto Laurentio lib 6. de laudibus Beatæ Mariæ: *Filia Regis dicitur, quia gratia Dei filia; quod ſignificatum eſt in hoc, quod fuit filia Annæ, quæ interpretatur gratia*: gratia enim Dei Reges facit & Reginas. Cum igitur ſanctus Bonaventura partus fuerit gratiæ divinæ, ac proinde uti ſuperius diximus, Pater ejus *Joannes*, id eſt, *gratia*, appellatus fuerit, utique Rex quidam eſſe debuit non equidem Rex terrenus, ſed cæleſtis (neque enim divina gratia terrenos, ſed cæleſtes Reges efficit) quænam fuiſſet hæc ejus ſtultitia, ſi cælorum Rex exiſtens, ingens regnum illud cum modicis & momentaneis terræ hujus commutaſſet honoribus.

23. Fortius obſecro locum quendam ex Evangelio S. Joannis cap. 1. v. 19. ſtringamus & obſervemus. Ibi namque refertur S. Joannem Domini Baptiſtam & præcurſorem Senatoribus Hieroſolymitanis à Chriſto ad ſe eo fine miſſis, ut ab ipſo, num Chriſtus & Meſſias eſſet, à Prophetis in lege veteri promiſſus, edicerent, ſeque ad eum ea qua par eſt reverentia, recipiendum & adorandum diſponerent, libere generoſeque, ſe nec Chriſtum nec Meſſiam, uti ſibi perſuadebant eſſe, reſpondiſſe: *Miſerunt Judæi ab Hieroſolymis Sacerdotes & Levitas ad Joannem, ut interrogarent eum Tu quis es: Et confeſſus eſt, & non negavit, & confeſſus eſt Quia non ſum ego Chriſtus.* Erat ſanctus Joannes Baptiſta tantæ apud Hebræos auctoritatis, ut ſi ſe Meſſiam eſſe libere dixiſſet, idipſum ſine ullius ulterioris probæ, fidei, aut teſtimonii requiſitione credidiſſent, eumque veluti talem recepiſſent & adoraſſent. *Acceptum erant*, inquit B. Thomas à Villa Nova Conc. 1. de S Joann. Baptiſt. *quidquid ſolo verbo dixiſſet, neque aliud ab eo teſtimonium exigentes. Tanta erat authoritas viri, ut ſibi liceret dicere quidquid vellet.* Quam obſecro ob cauſam, inquit circa hunc locum Oleaſter in cap 12 Geneſ. Deus ingentem hancce oblationem nulli unquam alteri, quantumvis magno & in ſanctitate perfecto, præterquam ſoli Joanni Baptiſtæ præſentavit? Et reſpondet: *Quia ſolum noverat eam refutaturum.* q. d. Ideo ingentem hanc dignitatem Joanni duntaxat offerri permiſit, quia ſciebat dignitatem illam, quam omnes alii ſibi oblatam ambabus fuiſſent amplexati manibus, à ſolo fuiſſe Joanne refutandam. Adeo ingens eſt vis & potentia ambitionis magnos ſummoſque honores prenſantis, ut ſolo Joanne excepto, omnes alios quantumvis perfectos homines attraxiſſet, & in ruinam præcipitaſſet. Deus igitur hac in re clare & evidenter oſtendere voluit, quam magnus, rarus, ſummeq; ſtupendus præcurſor ſuus fuerit. Summe namque obſtupeſcendum fuit, quod ſummum honorem ſibi oblatum recipere detrectarit. Verum enimvero ſanctus Bonaventura ni fallor in ſimili caſu longe mirabilior extitit: Scribit Bartholomæus Piſanus lib. 1. Conformit. fructu 8 par. 2 quod dum Eminentiſſimi S.R Eccleſiæ Cardinales, pro ſummo Pontifice novo eligendo Peruſii ſimul congregati eſſent, & poſt multos elapſos menſes, multaſq; habitas congreſſiones inter ſe invicem convenire non poſſent, tandem ex communi conſenſu ſummi Pontificis electionem per compromiſſum arbitrio ſolius ſancti Bonaventuræ, qui eo tempore ordinis ſui Miniſter Generalis erat committere & relinquere decreverint, recipere approbare, & ratihabere volentes electionem ejus quem S. Doctor ad hoc ſummæ dignitatis faſtigium nominaturus erat, licet etiam ad eandem dignitatem denominaret ſemetipſum, tantæ erat apud

Sacrum

Sacrum Cardinalium collegium reverentiæ & authoritatis. Ipſe autem ſemetipſum ob nimiam humilitatem ſuam demonſtrare nolens, Theobaldum Archiepiſcopum Leodomenſem, qui poſtea Gregorius Decimus, & vir ſanctiſſimus fuit, ad ſublimiſſimam dignitatem iſtam nominavit & evexit. Etenim dignitas illa Joanni Baptiſtæ oblata eadem mihi eſſe videtur cum illa, quam Cardinales S. Bonaventuræ arbitrio per compromiſſum obtulerunt. Modica enim ſeu potius nulla inter utramque differentia intercedit. Sicut enim Joannes Baptiſta in caſu quo ad Chriſtum repræſentandum dignitatem acceptaſſet Meſſiæ, quidam futurus fuiſſet in terra Vice-Chriſtus, ita quoque S. Bonaventura idem factus fuiſſet, ſi oblatum ſibi acceptaſſet ſummum Pontificatum. Summus enim Pontifex eſt quidam in terra Vice Chriſtus. Magis tamen ſtupenda fuit humilitas Bonaventuræ, quam illa S. Joannis Baptiſtæ. Hic enim ſine gravi noxa & culpa ſua ſe Meſſiam nominare, aut Vice-Chriſtus in terra eſſe nequaquam potuit, cum tamen S. Bonaventura ob Cardinalium compromiſſionem ſe in Pontificem ſummum nominare, & conſequenter quidam in terra Vice Chriſtus fieri, ſine ulla noxa vel culpæ reatu omnino potuiſſet, unde idipſum facere renuens tanto ſe probavit admirabiliorem magiſque ſtupendum. Verus igitur fuit Divinæ gratiæ partus, verus fructus, verumque gratiæ miraculum.

24. Cum igitur S. Bonaventura in admirabili hac facti contingentia, nec non in centenis caſibus ſimilibus adeo ſe probaverit humilem, ipſum potius quendam Paradiſi Angelum, quam hominem aliquem exiſtimandum eſſe credo. Ponderemus nonnihil pro hujus materiæ dilucidatione quendam Sacræ Scripturæ locum 1. Reg 16. v. 13. Ubi dicitur quod cum Samuel Propheta Davidem adoleſcentulum in Hebræi populi Regem creare, & prouti in ſimilibus electionibus fieri conſuevit, ungere vellet, dixerit illi Deus: *Surge & unge eum.* Ergone, inquit S. Gregorius lib 6. cap. 16. in lib. Regum, David adhuc adoleſcens tantæ tamque altæ ſtaturæ erat, ut cum Propheta ſedendo caput ejus attingere non poſſet, opus fuerit, ut ſe erigeret? *An tantus erat parvulus, ut ſedendo ungi non poſſet.* Reſpondet igitur ſicut parvitas Davidis humilitatem ejus ſignificabat, quia humillimus erat, unde Pſalmo 37. v. 9. dicebat: *Humiliatus ſum nimis:* ita altitudo animæ ſuæ ſignificabat eminentiam, ad quam illum tanta humilitas evexerat. Unde quia humiles adeo ſunt alti & ſublimes, ut nec ab ipſis etiam Prophetis aſſequi poſſint, hinc nec Samuel Davidis caput manu ſua aſſequi poterat. Verba S. Doctoris ſunt hæc ſequentia: *Sedendo quippe tangere alta non poſſumus; magna ergo virtus, magna celſitudo humilium ſi ad eorum ſumma nec Propheta pertingunt.* Cui igitur humiles comparabimus, qui adeo ſublime vertices ſuos extollunt, ut nec maximi homines illos aſſequi valeant? Apte illos Angelis comparare videbor. Sic enim David per humilitatem ſuam Angelus erat: *Bonus es tu in oculis meis, ſicut Angelus Dei* dicebat ad eum Rex Achis 1. Reg. 29. v. 9. Unde & Bonaventura, quia tanta humilitate præditus erat, Angelus meritò vocari poterit.

25. Sunt enim Angeli ſpiritus humillimi. Sicut enim David Pſal. 112 v. 6. dicens: *Humilia reſpicit in cælo & in terra,* per humiles terræ homines intelligit, per humiles cæli intelligit Angelos. Unde & Bonaventura ob humilitatem aliaſque virtutes ſuas Angelus quidam erit. An enim hominem dicetis virum illum, in quo nullus unquam defectus, peccatum nullum, aut quævis alia humana imperfectione notata fuit? Dum Patavius coram Sixto IV Summo Pontifice qui ſanctum Doctorem canonizavit peroraret ſermonis ſui Art. 9. par. 3 dicere non dubitavit: *Nunquam legitur fuiſſe auditum de hoc B. Patre aliquid crimen aut criminis ſuſpicio, aut contra eum ulla unquam etiam minima laboraverit infamia.* Certe vir aliquis adeo inculpatus Angelus potius exiſtimandus eſt eſſe, quam homo; cum enim de hominibus ſemper aliquæ dici imperfectiones poſſint quia ut dicitur: *Humanum eſt peccare,* nullæ tamen affirmari poſſunt de Angelis. Vere igitur Angelus quidam fuit, & quidem unus de primis, qui throno divino aſſiſtunt, & de eorum numero qui Deo propinquiores ſunt & Seraphini vocantur. Cur exiſtimatis illum licet invitum, & tantum ut cogenti pareret Summo Pontifici, Cardinalem creatum fuiſſe, niſi ut Seraphinus aliquis eſſe oſtenderetur? Cardinales enim ob rubeum & flammeum colorem (charitatis aptiſſimum ſymbolum) quo eorũ caput & totũ corpus reliquum cooperitur, totidem videntur homines ardentes & accenſi, & cõſequenter Seraphini, qui in ſermone latino ardentes interpretantur. Sicut enim Seraphini Deo in cælis aſſiſtunt, ita aſſiſtunt Cardinales Summo Pontifici, Deũ hic in terris repræſentanti. *Ardens Charitas re-*

*quirit*

*quiritur in Cardinalibus ratione ſtatus quem repræſentant, quia ſuas [illegible]ente: primi, inter quos ponuntur Seraphim*, inquit Florentinorum Archiepiſcopus S. Antoninus p. 3. tit. 22. c. 2. § 1. Licet inter alios Doctores ob ſingularem Doctrinæ ſuæ ſublimitatem nonnulli fuerint Cherubinis ſimiles, attamen longe altius omnes ſupergreſſus eſt Bonaventura, qui Cherubinus ſimul & Seraphinus extitit, quia intellectum illuminat & inflammat affectum. Porro quia Seraphinus fuit, ideo paſſim apud omnes communiter Doctores Seraphici nomen ſortitus fuit.

26. Adeo difficile eſt hominem Deo ſimul & hominibus placere poſſe, ut Apoſtolus dicere non dubitarit ad Galath. 1. v. 10. *Si hominibus placerem, ſervus Chriſti non eſſem*, quaſi dicere voluiſſet optarem equidem me omnibus placere poſſe, Deo nimirum & hominibus, quia tamen id fieri haud quaquam poteſt, mihi ſufficiat ſi Chriſto placeam, fideliſque ejus ſervus exiſtam. Quid igitur de Bonaventura dicemus, qui omnibus, id eſt, Deo & hominibus placere atque ab omnibus amari potuit? Inter alia quæ Cardinalis Hoſtienſis de hoc ſancto Doctore in funebri ejus ſermone dixit, etiam hæc reperitur ſententia in lect. 5. in Octav. S. Bonaventuræ: *Quicunque eum videbant, ſtatim illius amore capiebantur*. Quiſquis illum videbat ſive Deus, ſive Angeli in cælo, ſive in terra homines, ſingulari ſe erga eum affectu accendi ſentiebat, adeo omnibus placebat, fuitque veluti alter quidam Moyſes, qui Eccleſiaſtici 45. v. 1. dicitur. *Dilectus Deo & hominibus*. Unde ob hanc quoque cauſam Angelus æſtimari debet & non homo, ob ſummam nimirum amabilitatem ſuam S. Lucas dicere volens S. Stephanum virum fuiſſe qui ab omnibus amari merebatur, ipſum Angelum fuiſſe affirmavit, Act. 6. v. 15. *Viderunt faciem ejus tanquam faciem Angeli*. Videtur inſinuare, inquit os Chryſoſtomi aureum, Hom. 15. in Acta illum fuiſſe facie amabilem. Hinc quoque facile eſt cognoſcere S. Doctorem mirabilem fuiſſe divinæ gratiæ partum. Sicut enim divina gratia unica & ſola cauſa erat, cur ab omnibus amaretur S. Martyr Sebaſtianus: *De amabilitate S. Sebaſtiani dicitur*, inquit Nicolaus de Lyra contra quendam Judæum: *neceſſe erat, ut quem Deus tanta perfuderat gratia ab omnibus amaretur*. Ita quoque neceſſum eſt ut Bonaventura univerſaliter ab omnibus amatus, fœliciſſimus quidam fuerit divinæ gratiæ partus, eademque gratia pleniſſimus.

27. Merito Seraphicum Doctorem Adamantem appellare poſſumus, non ſolum quia uti dictum eſt, ab omnibus amabatur, omniumque corda etiam ea quæ ferro duriora erant, ſibi attrahebat, ſicuti adamas attrahere ferrum ſolet. Neque ſolum ideo quod in Concilio Lugduni coram Leone decimo & Græcorum Imperatore congregato Eccleſiam Græcam cum Romana pacificavit, atque ad ſummi Pontificis obedientiam reduxit, ideoque ad inſtar adamantis *Valeat contra jurgia & rixas*. Verum etiam quia Seraphinus quidam fuit, id eſt, totus igneus, totaliter accenſus & merum fuit amoris divini incendium. Adamas enim Italice & Germanice Diamente vocatur, & eos qui ferventiſſime Deum amant ſignificant. Ecquid autem ipſum adamantem conſtituit? Fecit hoc gratia divina, illa enim ex hominibus adamantes facere conſuevit imo illos quovis adamante pretioſiores & fortiores reddit. *Adamante ſolidiores nos Dei gratia efficit*, inquit Chryſoſtomus Hom. 4. in Geneſin. Quia igitur ſanctus Doctor quædam fuit divinæ gratiæ creatura, ideo adamas factus eſt, id eſt, vir prodigioſis & ſtupendis operationibus excellens, homo Seraphicus, ardentiſſimuſque Dei amator.

28. Pavinus Orat. in vitam D. Bonaventuræ refert, quod dum ſanctus Thomas de Aquino Doctor Angelicus S. Bonaventuram die quadam viſitare vellet, videretque quod dato ad cellæ ſuæ oſtium ſigno, nemo reſponderet, per quandam oſtii rimam introſpexerit ſanctumque Doctorem miraculoſe raptum, atque de terra in aëra viderit elevatum. *Introſpexit illum in contemplatione raptum, & a terra mirifice ſublevatum*, inquit Pavinus. Unde quia ſanctus Bonaventura eo tempore in ſcribenda ſancti Franciſci vitæ hiſtoria totus intentus erat ſanctus Thomas è conventu diſceſſit dicens: *Sinamus ſanctum qui laborat pro ſancto*. Quidnam obſecro ſanctum Doctorem de terra elevare potuit? Fecit id Dei gratia, quia enim cæleſti divinæ gratiæ rore plenus erat, ideo hoc modo in aëra conſpiciebatur ſublevatus. *Res faciliter dicitur ſurſum aſcendere, & virtute ſolis attrahi*, inquit Petrus Berchorius lib. 17. Reductorii moralis cap. 71. Cum igitur Bonaventura divina gratia plenus extiterit, ideo coram ſummo Juſtitiæ ſole conſtitutus, immenſoſque increatæ eſſentiæ Dei ſplendores contemplans, ſubjectus eſt de terra in altum, & veluti ſi non homo ſed Angelus quidam incor-

poreus & alatus fuiſſet, miraculoſe permanebat
in aëre ſuſpenſus.

29. Unum è prodigiis ſtupendioribus quæ
poſt ſancti Cardinalis mortem acciderunt, fuit
quod dum Fratres Lugdunenſes corporis ſui ſa-
cratiſſimi venerabiles exuvias, in aliud quod-
dam transferre ſepulchrum vellent, totum qui-
dem corpus ejus conſumptum repererint, atque
in cineres redactum, ſolamque invenerint lin
guam adhuc rubeam, mollem, recentem, & ve-
luti adhuc viventem. *Corpore reducto in cinere, lin-
gua inventa eſt ſana, integra, ac ſi fuiſſet nunquam ſe-
pulta*, ita in Conformitatibus S. Franciſci lib. 1.
fructu 8. part. 2. ſcribit Bartholomæus Piſanus.
Unde lingua ſancti Doctoris aurea mihi fuiſſe
videtur; vere inquam aurea, non ſolum ob elo-
quentiam & verborum ſcriptorumque ſuorum
fervorem, de quibus Sixtus V. Ubi ſupra dicit:
*Fuit in S. Bonaventura id præcipuum & ſingulare, ut
non ſolum argumentandi ſubtilitate, docendi facilitate,
definiendi ſolertia præſtaret, ſed divina quadam ani-
mos pr movendi vi excelleret: ſic enim ſcribendo cum
ſumma eruditione parem pietatis ardorem conjungit, ut
lectorem docendo moveat, & in intimos animi receſſus
illabatur, ac denique Seraphicis quibuſdam amulciscet
compugnat, & mira devotionis dulcedine perfundat.*
Verum etiam quia ad inſtar auri veri incorru-
ptibilis permanſit. Poterat tunc ſacrum ejus
corpus videri, veluti famoſa illa Beroſi ſtatua in
Athenarum Gymnaſio erecta, aurea lingua præ-
dita: *Beroſo*, inquit Plinius lib 7. c. 37 *Ob divinas
prædictiones publice in Gymnaſio ſtatuam inaurata
lingua ſtatuere.* Quidnam obſecro Bonaventura
linguam, quæ ſicut & aliorum hominum lutea
erat, auream facere potuit? Potuit id facere gra-
tia divina. *Quotieſcunque acceſſerit Spiritus Sanctus*,
inquit Chryſoſtomus Hom. 4. in Acta, *homines
pro Luteis reddit aureos* Bonaventura inter alios
homines adeo eminuit, adeoque rarus, ſingula-
ris, & admirabilis extitit, ut verus gratiæ parſus
ſeu ingens quoddam æſtimatus fuerit gratiæ
miraculum. Nos eum jam in cælo, in beata glo-
ria conſpicuum invocemus, ut Deum pro
nobis exorare dignetur, ut gratia
ſua, ſine qua ad gloriam
minime pervenitur,
nos dignos effi-
ciat. Amen.

# PANEGYRICVS XXX.

## De Glorioſiſſimo Pœnitentiæ Speculo S. Maria Magdalena.

## THEMA.

Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum, Lucæ 7. verſ. 47.

## ARGVMENTVM.

*Præcipua cauſa ob quam Maria Magdalena tam inſolita ſtupenda novaque prodigia fecit, adeoque ſublime in cælum evecta fuit, eſt amor ejus erga Chriſtum dilectum ſummumque bonum ſuum viceroſiſsimus.*

1 Septem machinæ ſive ædificia ab antiquis tantopere celebrata ſcriptoribus, quæ ob immenſam operis vaſtitatem & ingentem magnitudinem, & incredibiles in eorum erectionem adhibitos ſumptus, mundi appellata ſunt miracula, videlicet Nili Pyramis, Muri Babylonii, Epheſinum Dianæ templum, Mauſoli ſimulachrum, Coloſſus Rhodiorum, ſtatua Jovis Olympus & turris Ptolomæi, hæc inquam opera miraculoſæ cuidam turri credere debent, quam divina omnipotentia poſtquam de cælo deſcendens homo factus in terram venit, miraculoſe formavit, & ad particularem immenſæ pietatis ſuæ ſtuporem erexit, Mariam videlicet Magdalenam, quæ *turris* interpretatur. Fuit turris iſthæc quoddam ſtupendum miraculorum miraculum, tum ob inſolita, mira & peregrina, quæ utpote igne ſacro plena. *Quoniam dilexit multum*, operata fuit, tum etiam ob ſtupendam quam aſſecuta eſt altitudinem, id quod præſenti Panegyrico latius demonſtrabo.

2. Primum quod in Mariæ Magdalenæ converſione obſervandum venit eſt, quod cum adhuc peccatrix immunda, impura, totq; luxuriæ ſpurcitiebus contaminata eſſet, nihilominus caſtam & virgineam divinorum pedum Chriſti unigeti filii Dei carnem contrectare & oſculari auſa fuerit: *Oſculabatur pedes ejus*, inquit S Evangeliſta Lucas ca. 7. v. 38. Quomodo illa cui animæ ſuæ indignitas & immunditia, nec non carnis ſuæ ſpurcities, varia item & enormia à ſe commiſſa peccata, ignota non erant, ab eo tan-

gendo & oſculando ſe non continuit, quem ſan-ctiſſimi, puriſſimi & immaculati cæleſtis aulæ ſpiritus tangere non audent? *Exercitus Angelo-rum, qui ſunt ſcabellum pedum Chriſti*, inquit S. E-piphanius de laudibus B. Mariæ *procidentes, nec videre poſſunt nec contigere: hac vero labiis labia con-jungens incomprehenſibilem ſalutabat.* Auguſtiſſimæ Angelorum Reginæ id quod negatum eſt An-gelis merito permiſſum & indutum fuit, utpote quæ ipſiſmet eſt Angelis purior, mundior & im-maculatior: At vero quomodo carnem Chriſti contrectare præſumpſit mundum, quædam a-deo immunda & miſerabilis, famoſa in civitate meretrix profundæ carnalium ſpurcitierum a-byſſo immerſa? Dionyſius Carthuſianus in Lu-cam Art. 19. reſpondet, quod tametſi Maria Magdalena ſeſe indignam agnoverit, imo indi-gniſſimam, quæ immaculatam Chriſti carnem tangeret & oſcularetur ab ardentiſſimo tamen quo erga Chriſtum flagrabat amore ſtimulata, quaſi rationis lumine orbata & cæca à Chriſti carne contrectanda & oſculanda, continere ſe minime potuit *Quamvis contactu pedum Chriſti ſe judicaret indignum, tamen magnitudine dilectionis mo-dum ſe exhibere nequivit Fervidus nempe amor neſcit mo-dum, menſuram non tenet, rationem non ſequitur.* Ar-dens erga Deum amor res magnas, ſtupendas & inſolitas, tentat quas ne ipſimet etiam Angeli a-liique in Paradiſo Beati aggredi præſumunt Un-de Breviarium Gallicanum exclamat: *O mirum & magnum miraculum quia peccatrix ſam non aude-bat Redemptorem mundi tangere lacrimando?*

3 Poſtquam Simon leproſus eidem cum Chri-ſto menſæ accumbens, vidit Chriſtum mulieri cuidam quæ tum ab ipſo, tum ab omni ſimul po-pulo meretrix habebatur valde infamis, ut ſe li-bere tangeret permittere, omnem quam erga Chriſtum conceperat devotionem perdidit, & intra ſemetipſum uti Luc 7 v. 39. dicitur, cogi-tavit *Hic ſi eſſet Propheta, ſciret utiq; quæ & qualis eſt mulier quæ tangit eum, quia peccatrix eſt.* Chriſtus autem hunc Simonis cogitatum intelligens, ele-ganti quadam parabola eidem inſinuavit ſe Ma-gdalenam longe pluris, ob ea quæ fecerat, æſti-mare, quam ipſum licet Phariſæus eſſet ſeque ad cænam invitaſſet. Attendatis hic velim quod Chriſtus Magdalenam præferat Phariſæo, mu-lierem infamem viro Religioſo, publicam pec-catricem viro honeſtatis amantiſſimo, Phariſæi namque publicè profitebantur ſe virtutis, ſan-ctitatis & puritatis vitæ ſtudioſiſſimos, qui ne ſe aliorum peccatis contaminarent, ab aliis homi-nibus ſeparati videbant, unde Phariſæi inter He-bræos erant ſicuti Religioſi inter Chriſtianos. Ergone poſſibile eſt quod mulier peccatrix, me-retrix quædam, a peccato vix jam egreſſa, præ-ferri debeat viro qui tantam ſectabatur purita-tem, tantam munditiam, tantamque ſanctita-tem. Cuinam hæc Chriſti optio innititur funda-mento? Amori Dei. *Dilectio eam Phariſæo præpo-ſuit*, inquit Doctor Seraphicus S. Bonaventura in c. 7. Lucæ. Amor illam ſubito ſanctam & pu-ram reddidit, & quidem adeo puram & ſanctam, ut etiam iis præponi mereretur qui puritatem & ſanctitatem publice profitebantur.

4. Deus peccatum tam ingenti odio proſe-quitur, ut velociſſime currendo imo avolando aufugiat, quotieſcunque in peccatorem aliquem quantumvis leviſſima culpa obnoxium incidit, Dum ſponſa occulta Dei ſecreta nimia conare-tur curioſitate inveſtigare, monita a Deo fuit, ut ſuos ab ipſo amoveret oculos, futurum enim a-lias ut ob hanc licet minimam vanæ curioſitatis culpam ab illa avolando aufugeret, ut alias quo-que ſimilem ob cauſam fecerat. Unde Cant 6. v 3 dicebat: *Averte oculos tuos à me, quia ipſi me avolare fecerunt.* Quodſi hoc verum eſt, uti eſt veriſſimum, qui fit, quod Deus in Mariam Ma-gdalenam tot peccatis onuſtam, adeo ſpurcam & fœdam incidens ab eadem non fugerit, non cu-currerit non avolarit, ſed firmiter cum eadem permanſerit? Factum id eſt, quia nimirum for-tiſſimo amoris brachio divinos ejus ligaverat pedes, ut a loco in quo erat, dimovere ſe minime poſſet: *Steterunt pedes ejus*, inquit S. Bernardus ſer de B Maria Magdalena *ſteterunt inquam, quia validiſſima amoris manu pedem utrumq; retinuit, donec utrumque perungeret, & audiret criminum remiſſionem & dimiſſionem in pace.* O qualia & quanta tunc o-perati viſa fuit Maria Magdalena? Lucem enim cum tenebris conjunctam coercuit, cælum cum inferno, Deum cum Dæmone imo cum ſeptem Dæmonibus, eo tamen fine ut tenebras illuſtra-ret, præcipitaret & ſuſque deque infernum ver-teret, totque pelleret Dæmones, quorum jugo miſerabilis ejus anima oppreſſa jacebat.

5. Credo omnino Mariam Magdalenam, quando poſt Chriſtum proſtrata divinos pedes ejus capillis ſuis involutos habebat, illud ſponſæ Cant. 3. v. 4. dicere potuiſſe: *Inveni quem diligit anima mea tenui eum nec dimittam*, id eſt, poſtquam ex ſingulariſſimo Dei favore mihi exhibito, ſum-

mum

mam & prædilectum bonum & theſaurum meum inveni, deinceps ipſum adeo fortiter & ſtrictè ligabo, ut deinceps fugere amplius nequaquam poſſit, fortiſſimæ catenæ ſunt mulierum capilli, & fortè ideo dicuntur capilli, quia capiunt incautorum juvenum corda illaqueant, ligant, & veluti catenis vinciunt. Quod juvenes Maria Magdalena ſæculariter adhuc vivens capillis ſuis vinxit, ligavit, irretivit? Audite obſecro quid ex mente S. Ephrem in mult. pecc. dum Chriſtum pietatem ab illo poſtulatura, quæreret, dixerit: *Capillos meos certo numero complicabam & ſupra maxillas colluſtrans ad deceptionem aliorum formabam; ut omnem adoleſcentulum compoſitum, ac ſpecioſum ad meipſam traherem, ipſumque amatorem mihi haberem.* Unde iiſdem quoque laqueis Chriſtum capere contendit, volens ad ſalutem ſuam iiſdem inſtrumentis uti, quibus antea uſa fuerat ad ſuam perditionem. *Maria Magdalena*, inquit Dionyſius Carthuſianus ubi ſupra, *creaturis, quibus fuit abuſa, videlicet propriis membris & aliis rebus, ipſa eſt bene uſa in Chriſto.* Verum inquies qua ratione poſſibile fuit Chriſtum ligari potuiſſe à meretrice? Quod ſi Chriſtus eſt unicornis uti de Chriſto regius Propheta Pſalm 28. v. 9. dicebat: *Dilectus quemadmodum filius unicornium.* Unicornis certè capi à meretricibus minime poteſt, ſed à virginibus. *Dicitur quod hoc animal*, inquit Albertus lib. 22. de animalibus: *puellas virgines veneratur. & apud ipſas manſueſcit, ſoporatur, capitur, & ligatur.* Reſpondeo quod licet Maria Magdalena meretrix fuerit, attamen mox ut divino amoris igne accenſa fuit, non ſolum deinceps meretrix amplius non fuit, verum inſuper quavis alia virgine verecundior & caſtior, magiſque pudica & ſancta evaſit. *Non amplius peccatrix permanſit, ſed illico quavis virgine caſtior verecundiorque evaſit*, inquit D. Chryſoſtomus ſerm. de peccat. & Phariſæo. Unde illum qui à caſtis duntaxat capitur virginibus ipſa jam virgo facta ardentiſſimarum & puriſſimarum cogitationum capillis illaqueare, irretire & capere potuit. Videte qualia & quam ſtupenda divinus amor in Maria Magdalena operatus fuerit, quanta cum velocitate illam ex meretrice in virginem transformarit, & quod plus eſt illam non tantum virginem: ſed quavis etiam virgine caſtiorem & verecundiorem effecerit *Quavis virgine caſtior verecundiorque evaſit.*

6 Non ſine particulari myſterio factum eſſe credo, quod Maria Magdalena peccatorum ſuorum veniam à Chriſto poſtulatura, vas quoddam ſecum attulerit alabaſtrinum unguento pretioſiſſimo plenum. Ecquodnam autem eſt myſterium iſtud? Nimirum cum ipſa ſibi pro remiſſione peccatorum ſuorum Judice aliquo, aut ut melius dicam delicato, benigno & manſueto aliquo Medico opus eſſe ſciret, jam vero præteritis temporibus, dum adhuc laſciviis totaliter dedita erat, didiciſſet, qualiter carnem ſuam unguento illo quo ſe quotidie inungebat, mollem, delicatam, ac teneram reddidiſſet; *Unguento Maria utebatur tempore vanitatis pro corporis ſui mollitie*, inquit Dionyſius Carthuſianus ubi ſupra, ideo eodem quoque unguento Deum judicem ſuum, tenerum, delicatum, mollem & facilem reddere contendebat? Verum inquies, quomodo ipſa ſibi Deum ſe emollire poſſe, perſuadere poterat? Ergone durum aliquod ſaxum emolliri poterit? Duriſſima illa deſerti petra, è qua Moyſes tanta cum difficultate, totque adhibitis ictibus & percuſſionibus, Aquam vix tandem elicuit. Deut. 8. v. 15. *Eduxit rivos de petra duriſſima.* hæc inquam petra Chriſtum repræſentabat. *Petra autem erat Chriſtus*, inquit, 1. Cor. 10. v. 4. Apoſtolus. Durus ille auſteruſque dominus, qui metebat, ubi non ſeminaverat, de quo negligens ille ſervus Matth. 25. v. 24 dixit: *ſcio quia homo durus es.* Chriſtum ſimiliter referebat Quod ſi igitur Chriſtus ad inſtar ſaxi durus eſt quonam igitur adhibito remedio à Maria Magdalena emolliri poterit? Per adhibitum ignis divini amoris inſtrumentum, per unguenti calorem repræſentatum Ignis iſte tantam ſaxa emolliendi vim habet, ut illa etiam in unguenti ſubſtantiam uſque reducat, prout in calce clare cernitur. Hic autem ejus conceptus adeo illi feliciter ceſſit, ut cum ob culparum ſuarum gravitatem ad Infernum vel ad minus ad aſperrimam pœnitentiam condemnari debuiſſet eidem è contra peccata ſua admirabili cum velocitate condonata fuerint Luc 7. v. 48 *Dixit autem ad illam: Dimittuntur tibi peccata tua* Unde Chriſtus idipſum advertens, ipſam mulierem appellare voluit, Simoni leproſo ibidem, v 44 dicens: *vides hanc mulierem.* Mulierem inquam appellavit quia ipſum vi & efficacia ignis ferventiſſimi amoris ſui, emolliverat, tenerumque ac facilem reddiderat. *Mulier dicitur*, inquit Richardus à S. Laurent. lib. 6. de laudibus B Mariæ *quaſi emolliens virum, vel herum, id eſt, Chriſtum.* Nunquid hoc egregium prorſus facinus quoddam fuit? Opus rarum &

novum, & inſolitum, quoddam divini amoris miraculum? Una namque meretrix, ſed intime pœnitens, omni alia ope ſive auxilio deſtituta, operata eſt, quod Abraham pro laſcivæ Sodomæ reconciliatione per novem homines juſtos obtinere nequaquam prævaluit.

7. Quænam autem erant in unguentum iſtud ingredientes ſpecies? Quanam id arte a Maria pigmentari aut componi potuit? denique quamnam ultra prædicta virtutem habebant? Species unguentum iſtud ingredientes erant varia turpia, enormia, & abominabilia ejus ſcelera, quæ ipſa artificioſe ſimul compoſita, & in mortario memoriæ collocata, intenſiſſimi doloris ſui piſtello plurimum maceravit & cōtudit, eademq; tandem lacrimarum amariſſima aqua conſperſa, & divinæ pietatis oleo delibuta in cordis caldariam repoſuit, & ſuppoſito illis divini amoris igne, ad perfectionem reduxit, indeque tantæ ſuavitatis, tantique odoris unguentum effecit, ut non ſolum domum in qua effuſum fuerat fragrātia ſua repleverint, verum inſuper ipſos quoque cælos penetrans. Beatorum gloriam ibidem inſigni gaudio cumularit. De hujus unguenti virtute, ita loquitur Bernardus ſer. de B. Maria Magdalena: *Licet materia videatur indignior interim tamen bonum eſt unguentum iſtud quod domum replet, penetrat cælos, Angelos lætificat, ut beatæ civitatis lætitiam refundit & gaudium.* Certum hoc eſt, & negari haud quaquam poteſt, cum Chriſtus, Lu. 15. v. 10 dixerit: *Gaudium erit coram Angelis Dei, ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.* Quanta igitur Maria Magdalena divino amore accenſa patravit? Per rem abominabilem & turpem, lætitiam adaugere novit Paradiſi, licet illa quod omnis poſſibilis gaudii in ſe cumulum contineat augmentum minime recipere poſſe videatur. Idem namque in hoc caſu de Magdalena dicere debemus, quod dicturi eſſemus de illo, qui in Indias lutum deportans & ſtercora regnorum illorum divitias adaugere crederetur. Unde mihi vera quædam turtur fuiſſe videtur, & forte turtur illa de qua Angeli Cant. 2 v 12. loquuntur dicentes: *Vox turturis audita eſt in terra noſtra. In terra noſtra,* inquit Hugo Cardinalis in cap. 2. Canticorum, *id eſt, in cælo.* Turtur enim, uti Naturaliſtæ communiter dicunt gemitum habet pro cantu: cum enim omnes aliæ volucres canant & modulentur, turtur pro cantu planctum habet. Maria Magdalena veluti turtur quædam gravium peccatorum ſuorum planctum cantus loco habuit, eratque hic cantus adeo acutus & ſuavis, ut ipſos quoque cælos penetrarit, & reſonarit in cæleſti Paradiſo, ibidemque & Angelis & cælitibus omnibus ſummæ lætitiæ cauſa extiterit.

8. Sapienter equidem Maria Magdalena fecit, quod pro curandis plagis ſuis, ſaluteque æterna acquirenda, animæ ſuæ Medicum tanto cum ſtudio perquiſiverit: at vero male ſibi in hoc conſuluiſſe videtur, quod illum omni verecundia depoſita, in domo aliena, in tot convivarum & ſervorum conſpectu inquiſiverit, ibidemque omnes ſuas miſerias revelarit. Expectare potuiſſet imo debuiſſet donec Chriſtus ſumpto cibo & prandio abſoluto, domo fuiſſet egreſſus tunc illum in loco quodam ſolitario & ſecreto convenire & ſola cum ſolo loqui, eique ſuas explicare neceſſitates, morbumq; ſuum confiteri, nec non illius medicinam & veniam debito cum rubore & verecundia expoſcere debuiſſet. Nullus eſt vir, ne dicam mulier, quæ in conſimilibus occaſionibus, aliquam ſe verecundiam habere non demonſtret, neque id aliter fieri ulla ratione poteſt. Verecundia enim homini adeo propria eſt, ut ſi homo illam caſu fortuito perderet, eo ipſo jam deinceps non amplius homo eſſe videretur. *Una eſt de proprietatibus hominis ſecundum id quod homo eſt, verecundari de turpi perpetrato, quod non convenit alicui animali, niſi homini,* inquit Albertus ubi ſup. lib 22. c 5. Cauſa autem ob quam ſanctiſſima Pœnitens in hoc caſu nullum dederit verecundiæ alicujus ſpecimen a B. Thoma à Villa Nova Conc. de B. Maria Magdalena amori tribuitur divino: *Ingreditur importuna, generoſitatem ſtatus ſui, fœmineiq; ſexus verecundiam oblita; offendere convivantes, aut offendi ab eis minime curans: quia dilexit multum & ob dilectionem non potuit ſe abſtinere ut ſola ægrota ſoli medico vulnera ſua oſtenderet.* Cum igitur divinus amor omni illam verecūdia exuerit ipſam quoque humanitate exuiſſe videtur, adeo ut jam deinceps non mulier, ſed ſaxum quoddam & marmorea ſtatua, quæ omni ſenſu careat, & erubeſcere aut verecundari neſciat, evaſerit. O quanta in hac muliere amor divinus effecit! Cum aliæ mulieres adeo ſint in culparū ſuarum confeſſione verecundæ ut niſi Confeſſarius in illis è corde ipſarum eliciendis, dextrum & prudentem ſe probet, eaſdem difficillime confiteantur; Maria econtra non ſolum coram Confeſſario, ſed etiam coram Deo, aliiſque ſpectatoribus circumaſtantibus non erubuit.

9. Ex iis quæ in Maria Magdalena conſideratione,

tione,

tione, imo ſtupore digniſſima ſunt, unum eſt quod cum die quadam cæleſtis Paradiſi Regem Chriſtum ſimul cum Martha ſorore ſua in Palatii ſui recepiſſet hoſpitium, ipſa eo tempore quo Martha præparandis iis, quæ ad tantum hoſpitem pro merito tractandum opus erant, intenta laborabat, ſudabat, perque omnes domus ſuæ angulos diſcurrebat omni cura depoſita, omniſque obſequi oblita, ad pedes Chriſti ejus ſermones auſcultans otioſa ſederit: *Maria ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius: Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium*, ſcribit S. Luc. c. 10. v. 39. Unde Martha tandem laborem ſola ſuſtinere, & Mariæ indiſcretionem diſſimulare non valens, illam apud Chriſtum accuſare decrevit, & dixit Luc. 10. v. 40. *Domine non eſt tibi curæ quod ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? Dic ergo illi, ut me adjuvet*, quaſi dicere voluiſſet: Majeſtatem tuam ô Domine humillime obſecro ut nonnihil modicam ſororis meæ curam, ne dicam negligentiam conſiderare ſuſtineat, quæ veluti ſi neminem hoſpitio excepiſſet, abſtracta prorſus, & extra mentem poſita, ſine ulla tibi debita reverentia, otioſa ſedere præſumit. Inopportunè nunc ſermonibus tuis auſcultandis vacat, quando tempus eſt curandi domus & culinæ negotia. Cur adeo eſt incuria, ut non conſideret, ſe tantæ dignitatis & majeſtatis recepiſſe hoſpitem, valde ex prolixo itinere fatigatum ſudoreque ex labore continuo madidum, cui alia magis ſunt neceſſaria, quam ut prædicans auſcultetur: Cur non attendit? quod cum modo tempus ſit ea quæ ad menſam debite ſternendam requiruntur præparandi, indiſcrete Dominum ſuum in ſermocinando occupet? Videntur utique hæ à Martha depromptæ querimoniæ, ſuo juſtæ rationis gravi momento non carere, nec ullam à Maria pro iiſdem diluendis excuſationem adduci poſſe. Ita quidem videri nonnemini merito poſſet; Et tamen Maria à Salvatore noſtro non ſolum excuſata, verum inſuper defenſa quoque & laudata fuit. *Martha, Martha reſpondit ei* Chriſtus Luc. 10. v. 42. *Sollicita es & turbaris erga plurima. Porro unum eſt neceſſarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Verum inquies, cur adeo à Chriſto excuſata & laudata fuit? Ob ardentiſſimum quo erga Chriſtum flagrabat amorem, quantumvis enim otioſa negligens, irreverens & abſtracta eſſet, tamen a calumniis Marthæ non tantum excuſata, ſed & laudata fuit. An neſcitis quod ſcriptura ad Rom. 8. v. 28. dicat: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum?* B. Thom. de Villa Nova ubi ſupra, velim audiatis: *Audiſtis unquam injuſtiorem querimoniam, æquiorem cauſam, quam fuerit iſta hoſpitantis Marthæ? Quæ inſolentior aut negligentior mulier videri potuit, quam Maria? Tamen quia noverat cordis ejus ardorem non ſolum non damnat, verum etiam commendat illius otium magis, quam ſororis officium.* Ecce aliud quoddam novum & peregrinũ valde prodigiũ, quod Maria divino mediante amore operari cernitur. Illud enim quod in iis qui Deũ non amant, damnatur & vituperatur veluti malum, in ipſa veluti optimum, laudatur prædicatur, extollitur.

10 Maria non ſolum à Martha ſorore ſua, verum etiam à Simone leproſo provocari cernitur, quãdo illam publicam meretricem, indignamq; quæ divinos Chriſti pedes tangeret & oſcularetur, convitiabatur; Item alia quadã vice calumniam patiebatur à traditore diſcipulo, quãdo videlicet aliud quoddam vas unguẽto plenum ſuper divinum Chriſti caput effudit. Magnus enim hic latro probe ſciens unguentum iſtud, ſi non adeo prodige effunderetur, centũ poſſe ſcutis ob ingens ſui pretium vendi, è quibus tertiam ipſe ſibi partem pro damnato more ſuo furari potuiſſet, adverſus ſanctam hanc mulierem pœnitentẽ graviter indignatus & publicè murmurãs ipſam veluti prodigam bonorum ſuorũ diſſipatricem & pauperum inimicam eſt calumniatus. Ad omnes autem haſce calumnias, moleſtias, injurias, & detractiones, ne vel unicũ in ſui defenſionem verbum protulit; imo cum admirabili quadam patientia, dummodo à dulciſſima ſummi boni ſui unice dilecti non ſepararetur præſentia, ad majora mala ſuſtinenda parata erat. Unde S. Thomas à Villa Nova ubi ſupra ipſam hunc in modum locutam fuiſſe exiſtimat: *Si quis me deſidem aut inertem vocat, ſi quis indignatur, ſi quis iraſcitur, ſi quis murmurat, nihil confundor: quoniam quidquid accidere poteſt parata ſum pati, dummodo nemo mihi ſuaviſſimæ præſentiæ ſolatia impediat, aut jucundæ converſationis dilectiorem ſurripiat.* Meretur hoc ipſum inter majora amoris divini recenſeri miracula. An non enim Maria Magdalena mulier erat? Imo vero mulier erat, unde & Evangeliſta ne aliquis illam non fuiſſe mulierem perſuadere ſibi poſſet, ipſam expreſſe Luc. 7. v. 37. mulierem vocat: *Mulier in civitate peccatrix.* Quod ſi igitur mulier erat, quã ratione fieri poterat, ut tã graviter offenſa, injuriis laceſſita, tot deniq; calũniis & murmurationibus irritata nihil reſponderet, aut ne minimũ verbum quidem in ſui defenſio-

nem

nem pronuntiaret: Mulierem aliquam taciturnam eſſe, adeo impaſſibile judicatur, ut pro communi proverbio. Aldo Manutio in Adagiis ſuis teſte dici ſoleat: *Mulieri deſunt verba*? Tam magna, nova, & peregrina opera, quæ mundus impoſſibilia judicat, patrare prævalet amor divinus.

11. Quotieſcunque Scriptores tum Græci, tum Latini rem aliquam factu impoſſibilem ſignificare volebant, dicere communiter ſolebant: *Æthiopem dealbas* Quod proverbium ex quadam Æſopi Fabula deſumptum eſt de eo, qui cum Æthiopem pretio a ſe comparatum, ex prioris Domini ſui maxima incuria & negligentia adeo nigrum eſſe exiſtimaret, utpote quem nunquam adhibito lixivii remedio laviſſet, illum multis lotionibus & adhibitis remediis dealbare contendit, donec tandem ſe non ſolum lixivium & operam perdidiſſe, verum etiam Æthiopem qui ex tam frequenti lotione & fortibus adhibitis remediis eſt infirmatus, amittēdi periculum incurriſſe advertit. Æthiopem dealbare res eſt vere impoſſibilis. Veruntamen quod impoſſibile eſt hominibus, in Maria Magdalena poſſibile plane fuit. S Bernardus ſerm. 3 in Cant ut animæ devotæ locum illum ubi culparum ſuarum veniam Magdalena acceperat, pro merito ſuo æſtimare & honorare perſuaderet, ita eam alloquitur: *Non tibi ô quæ unque es talis anima, non tibi ille locus vilis aut deſpicabilis videatur, ubi ſancta peccatrix peccato depoſuit, induit ſanctitatem. Ibi Æthiopiſſa mutavit pellem & in novam reſtituta candorem, jam tunc fiducialiter, veraciterque exprobabat reſpondentibus ſibi verbum: Nigra ſum, ſed formoſa, filia Jeruſalem* Quiſnam obſecro adeo eſt potens, qui rem adeo novam, admirabilem & humanæ potentiæ impoſſibilem facere poſſit? Amor divinus; hic enim æthiopes dealbat, hic ex deformibus pulchros facit, & ſpectabiles eos facit qui æthiopibus ſunt deformiores. Quando Chriſtus Luc.7.v.47 dixit: *Remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum*, dicere clarius voluiſſe videtur: Fuit equidem iſthæc quam cernitis mulier ob tot ab ea commiſſa peccata, Æthiopiſſa nigra & deformis, nunc autem ob amorem quo erga me ardet mutata pelle & colore, ex nigra & deformi candida facta eſt & pulchra, ad eum prorſus modum quo carbo extinctus niger eſt, obſcurus & turpis, ab igne autem reaccenſus ſplendidus evadit & perſpicuus, ita quoque anima Dei amore deſtituta inſtar extincta carbonis nigra eſt atque deformis, ab illo autem amoris igne reaccenſa ſplendida fit atque venuſta *Ejenim charitas animæ pulchritudo*, inquit S. Bernardinus p.2 ſerm 3 Art.2 c 1 *ſicut ignis pulchritudo eſt carbonis, qui cum eſt ignitus, ſplendidus eſt, pulchrior, ignique ſimillimus: ſi autem ipſe carbo extinctus eſt, obſcuram nigredinem habet. Sic etiam anima divino amore extincta, & charitatis igne privata totam nigredinem induit.*

12 Quiſquis omnes illos, quotquot pro ſalute ſua ſuum ad Chriſtum refugium habuerunt, attenderit, inveniet ſolam Mariam Magdalenam ad Deum pro animæ ſuæ ſalute confugiſſe, cum cæteri omnes pro ſalute corporis ſui ad eum confugerint. Centurio ad Chriſtum quidem confugit, ſed eo tantum fine, ut ſervus ejus ab ærumnoſa paralyſi ſanaretur Princeps Synagogæ ad Chriſtum recurrit, ſed pro temporali tantum filiæ ſuæ ſalute. Recurrit ad Chriſtum mulier Hemorrhoiſſa quam nonnulli Martham Magdalenæ ſororem fuiſſe dicunt, verum ad ſiſtendum quem patiebatur ſanguinis fluxum. Ad Chriſtum quoque Chananæa recurrit, ſed ut filiam ſuam a Dæmonio liberaret. Denique quod ſi omnes pervolvatis Evangeliorum codices nuſquam reperietis ſive virum ſive fæminam, quæ pro animæ ſuæ ſalute ad Chriſtum ſuum habuit perfugium, ſicut Maria Magdalena. Magna profecto res iſthæc eſt & ſecundum Janſenium Concordiæ Evangelicæ c 48 omni ſtupore digniſſima. *Primum quidem in Magdalena hoc admirandum eſt*, inquit hic Doctor, *quod cum reliqui omnes à Chriſto ſanitatem corporalem requirerent, hæc ſola in omnibus Evangeliis mentis ſanitatem & peccatorum remiſſionem requiſivit.* Verum enim vero quamnam putatis fuiſſe cauſam quod aliis omnibus corporalem ſanitatem a Chriſto poſtulantibus, ſola Maria pro animæ ſuæ ſalute ad Chriſtum confugerit, feceritque rem aliquam adeo novam tantoque ſtupore dignam? Ardens ejus erga Chriſtum amor hujus rei cauſa extitit, quia enim divino erat vulnerata amore, ideo ad expoſcendam erroris ſui veniam ad Chriſtum cucurrit.

*Amore currit ſaucia.*

inquit Eccleſia. Mulier enim quæ lapſus ſui pœnitens maritum ſuum redamare incipit, ad nihil aliud ita conatur, quam ut maxima adhibita ſolli

ſollicitudine ejiciatur, adulter, quorum hactenus turpiter vixerat.

13 Quod ſi ſanctam hanc pœnitentiam pro tempore Paſſionis dilecti ſui conſideremus, inveniemus ipſam ſanctiſſimo hoc amoris incendio mediante longe mirabiliora magiſque rara & peregrina patraſſe opera. Neque enim dubitandum eſt quin in funeſtiſſima & horrenda nocte illa non ſolum nullum vel ad horrulam ſibi ſomnum indulſerit aut quietem, verum inſuper univerſam percurrerit Jeroſolymam; nunc enim Caiphæ frequentabat domum, mox Pilati prætorium adibat, abinde ſe recipiebat in Herodis palatium inde denuo repetebat Pilati prætorium, eaque quæ ibi circa dilectum ſuum tragice facta fuerant dolentiſſimæ matris domum confeſtim adiens eidem referebat, indeque mox egreſſa montem Calvariæ conſcendens, cruentaque Chriſti conſectans veſtigia in perpetua perſeveravit Chriſti ſequela, in eodemque monte juxta crucem donec Chriſtus in manus Patris dilectam ſuam tradidiſſet animam, in pedes ſemper erecta ac fixa permanſit. Neque poſteaquam ipſum ad ſepulchri tumultum eſt ſubſecuta, noctiſque tenebris omnia involuta fuêre, vel minimum ſibi quietis momentum indulſit, ſiquidem totam noctem nec non bonam diei partem ad varia loca diſcurrendo & laborando tranſegit nunc magna cum induſtria ad ſacratiſſimum Chriſti corpus inunguendum lectiſſima ſibi comparando & præperando aromata, atque ad ſepulchrum redeundo, indeque Hieroſolymam ad annuntiandam Apoſtolis Angelorum viſionem recedendo, iteratoque ſepulchrum repetendo, unde exiſtimo quod poſt tot curſitationes, labores, defatigationes, ne unicæ quidem horulæ quiete ſibi indulta, ſuperatas, vix pedibus ſuis inſiſtere aut initi potuerit. Utique ex tot exantlatis immodicis & conſuetis laboribus mulier quædam, qualis Magdalena erat, nobilis, delicata, tenella, interque tot tantaſque delitias enutrita valde ſenſibiliter dolere, pati, & affligi debuit. Et tamen ipſa poſt tot vigilias, tot curſus atque recurſus, aliosque labores generoſe ſuperatos fortior evaſit atque vegetior. Siquidem Evangeliſta Joanne teſte poſt tot ærumnas & laſſitudines in pedes adhuc erecta conſiſtebat, dicit enim cap. 20. Evangelii ſui. v. 11. *Maria autem ſtabat ad monumentum foris plorans*. Fortis igitur, magnanima, & generoſa permanſit; neque enim ſi debilis & fatigata nimium fuiſſet, ſtetiſſet erecta, ſed quietem ſibi ſedendo conciliaſſet. Qua autem ratione fieri potuit, ut poſt tot labores corporiſque laſſitudines, haud ſecus ac ſi neutiquam laboraſſet, in pedes erecta tandem permanſerit? Quidnam omnem à mente ejus quietem excluſit? Amor, inquit Origines Hom. 10. in diverſ. *Amor faciebat eam ſtare*. In pedibus erecta ſtabat, veluti novum & peregrinum amoris miraculum. Amor efficiebat ne tot itinera, vigilias, labores, moleſtias, ærumnas ulla ratione ſentiret. *Amor ſpiritualis fatigationem non ſentit*, inquit Imperfectus hom. 36.

14 Obſervandum autem quod dum juxta divinum ſepulchrum in pedes erecta conſiſtens, ſibique quia illud vacuum videbat, ſacrum corpus ejus furto ſublatum eſſe perſuadens, amariſſime fleret, Chriſtus ei in Hortulani forma apparuerit, quem ipſa utpote ſibi, quis eſſet, minime notum audacter aggrediens rogavit ut ſi corpus Domini ſui è ſepulchro rapuiſſet, locum ſibi, in quo reconditum erat, demonſtraret, utpote quæ illud quocunque ex loco tollere, ſecumque in locum ſecurum transferre promptiſſima eſſet. Joan. 20. v. 15. *Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicite mihi, ubi poſuiſti eum, & ego eum tollam.* Qua ratione poſſibile erat, ut imbellis, viribuſque ex diuturna defatigatione exhauſta, fragilis, debiliſque muliercula corpus aliquod portare mortuum poſſet, corpus inquam adeo vaſtum & ponderoſum, ut pro ejus inunctione mixturæ aromaticæ centum libris habuerit opus? Unde tantus Magdalenæ animus ſuggerebatur? Unde ſibi tantas promittere vires poterat, ut pondus aliquod, cui portando impares futuri fuiſſent viri quatuor validiſſimi, bajulare poſſet: ingens qui erga Chriſtum ardebat amor, vires illas ſuggerebat. Doctiſſimum Jacobum Palatium in Joan. cap. 20. hac de re loquentem, ſi placet, audiret: *Flammigero æſtuans amore, poſſibile ſibi putabat ſubripere corpus, & ſibi tollere, ſi reperiretur, quod alioqui impoſſibile. Amanti enim vehementer nihil dicitur eſſe impoſſibile.* Imo amor iſte ipſam non ſolum ad corpus aliquod defunctum, inſuper ad quodvis aliud longe gravius pondus portandum, robur tribuebat & vires. *Mira res amoris*, inquit B. Thomas à Villa Nova, ibidem, *gyganteas habere vires in artubus, infirmus, in corpore tenello amans credit habere.*

15. Porro poſito caſu quod videlicet ipſa corpus

pus dilecti ſui furto vere ſublatum, inveniſſet, illudque ſuis portare humeris potuiſſet, quonam putatis idipſum, ut conſervaret, portatura fuiſſet? Utique ut illud pro flammarum amoris ſui refrigerio ſecum ſemper haberet, in domum ſuam ſacratiſſimum pignus iſtud deferre decreverat, ut ad minus mortuum haberet, quem vivum, retinere non poterat. Etenim & hoc conſilium in novo quodam deſiderio, & appetitu valde peregrino fundatum utique erat. Quomodo enim ipſa corpus Chriſti mortuum domi ſuæ cuſtodire & conſervare volebat, quando quotidie ipſaſmet ſponſas, ſorores, matres, quæ ſponſas, fratres, & filios ſuos reſpectivè ardentiſſime nimiſque aperte diligunt, nihilominus mox ut mortui ſunt, ut è domo ſua ad ſepulchrum deportantur procurare videmus. Amor ingens qui erga illum ferebatur hujus talis novi conſilii cauſa extitit, inquit Jacobus de Palatio ibid. *Solemus mortua corpora etiam chariſſimorum horrore: at iſta Chriſti amantiſſima mortuum corpus Chriſti curat in domum ſuam, ſi poſſit, inferre. Hoc enim ſibi vult cum ait. Ego eum tollam.* Nunquam amicus amicum ſuum, ſoror fratrem, aut filium mater impensè adeo dilexit, quantum Magdalena ſuum amavit Magiſtrum. Adeò illum ardenter dilexit, ut quod nullus hactenus amantium tentavit, ipſa facere molita fuerit. Amavit illum amore ſummo, viſceroſiſſimo, immenſo, ardentiſſimo, ſtupendo.

16. Imaginemur nobis quod Chriſtus Magdalenæ corpus ſuum ſacratiſſimum à ſe poſtulanti, reſpondiſſet corpus ſuum ab ipſomet ſacerdotum principe Caipha ſublatum, atque in abditum & occultum domus ſuæ locum ſepultum fuiſſe, aut Pilatum illud à ſe ſublatum vigilantiſſimis armatiſque conſervare cuſtodibus, ipſane nihilominus dictura fuiſſet, prout jam dixerat: *ego eum tollam*? Utique illam id nequaquam facturam fuiſſe credetis. Quomodo enim mulier aliqua infirma aliquam illis violentiam inferre potuiſſet, quibus ne integer quidam prævalere exercitus potuiſſet? Quod ſi Joſeph ante indultam ſibi à Pilato licentiam illam à cruce ſubmovere, ſepulturæque mandare non audebat, quomodo ſibi paupercula quædam & naturaliter timida mulier tantum ſibi promittere animum potuiſſet, quem in re aliqua longe minori vir aliquis generoſus ſibi non fuiſſet auſus præſumere. Aut vero ſi Chriſtus ei corpus ſuum non in domo Pilati aut Caiphæ, ſed in centro terræ ſeu lymbo una cum ſanctiſſima anima ſua commorari dixiſſet, nunquid adhuc idem affirmatura fuiſſet, *Ego eum tollam*? Imo vero; Neque enim ex ſola Caiphæ aut Pilati domo, ſed ex quocunque alio loco ubi repoſitum fuiſſet, imo ex ipſomet terræ centro vel lymbo illud tollere parata fuiſſet. Tanto enim auſu amor illam armaverat, ut nullus ſit in terra locus adeò difficilis & inacceſſus, in quem ipſa pro dilecto cordis ſui theſauro ſurripiendo & acquirendo non præſumpſiſſet accedere. *O ineffabilis huius mulieris amor*, inquit Origines ubi ſupra, *O mirabilis audacia, ò mulier non mulier! nullum locum excipit, nullum anteponit, ſine timore dicit, abſolutè promittit: Dicite mihi ubi poſuiſti eum, & ego eum tollam.* Quibus in verbis illa præcipue conſideranda ſunt? *O Mulier non mulier.* Mulierem illam appellat, quia mulier vera erat: illam quoque non mulierem eſſe dicit, quia amor animum illi audaciamque virilem ſuggeſſerat, ipſamque in virum transformaverat, ſeu potius in aliam quandam ſubſtantiam viro intrepidiorem, animoſiorem, quippe quæ id quod vir facere non præſumpſiſſet, præſtare non dubitavit *Mulier non mulier*.

17. Cur obſecro Petrus & Joannes ſepulchrum Chriſti apertum & vacuum intelligentes, poſtquam illius videndi cauſa ad illud accuriſſent, illo mox viſo abinde receſſerunt, cum tamen Maria Magdalena inde neutiquam diſcedere potuerit? *Abierunt ad ſemetipſos*, inquit S. Joannes cap 20. v. 16. *Maria autem ſtabat ad monumentum.* Quia, inquit Origenes ubi ſupra, Apoſtoli magno correpti erant Hebræorum timore, ideo confeſtim diſceſſerunt, Maria autem quia nihil timuit nequaquam receſſit: *Petrus & Ioannes timuerunt, & ideo non ſteterunt: Maria autem non timebat, quia nihil ſuſpicabatur ſibi supereſſe quod timere deberet.* Qua in re ſanctiſſima pænitens noſtra ardentiorem erga Chriſtum Magiſtrum ſuum oſtendit amorem, quam Petrus & Joannes, tametſi hi inter omnes Apoſtolos & diſcipulos Dominum fortiſſime amarent. Quod ſi enim illi pari quo Magdalena amore Chriſtum dilexiſſent, non utique trepidaſſent formidine. *Timor non eſt in charitate*, inquit S. Joannes 1 Joan. 4. v 18. ſed *perfecta charitas foras mittit timorem.* Adeo excellens ardenſque Chriſti amatrix Magdalena extitit, ut etiam qui veluti ardentiſſimi Chriſti amatores

cele-

celebrantur & prædicantur ipſius ardorem aſſequi minime potuerint.

18. Quis lacrimis dolorem mitigare, ipſumque cor a malo quo premitur & quaſi opprimitur alleviare & exonerare conſueviſſe neſciat?

*—— Eſt quadam flere voluptas*
*Expletur lacrimis egeriturq; dolor,*

inquit Ovidius lib. 4. de triſtibus. Et S. Ambroſ. de obitu Valentiniani, inquit: *Eſt piis affectibus quadam flenti voluptas, & plerunq; graves lacrima evaporant dolorem*: Cum igitur lacrimis mediantibus mitigetur & remedium accipiat, qua ratione fit quod Maria Magdalena tanto planctu tantiſque cum lacrimis ſuum mitigare dolorem non potuerit? *Quia*, inquit Origines ubi ſupra: dolor ejus ſuper dolorem erat, dolor inquam vehementiſſimus & exceſſivus, ideo omnis erat remedii impatiens: *Quoniam igitur erat dolor ſuper dolorem, quem mitigare lacrimis volebat; ſed non valebat: ideo tota poſita erat in dolore, mente & corpore deficiebat, & quid ageret ignorabat*. Unde cum dolor hic ſuam ab amore originem traheret (niſi enim Chriſtum adeo dilexiſſet, non tantopere de Chriſti morte doluiſſet) ideo amor iſte rem prorſus in ipſa viſus eſt operari novam, raram & ſtupendam, nimirum ut cum communiter omnes plorantes ſuum lacrimis dolorem mitigent ipſa tamen illum tantis mitigare lacrimis minime potuerit.

19. Quis ſibi quantæ ſit pulchritudinis & decoris Angelus aliquis perſuadere unquam poterit? Certe ex Palatii quod Deus Angelis inhabitationem fabricavit, id eſt cæli pulchritudine facile quanta ſit Angelorum pulchritudo & magnificentia colligi poterit. *Abunde nobis ſufficeret, ad hoc probandum*, inquit B. Thomas à Villa Nova Conc. de B. Michaele Archangelo, *decor ille domus cæleſtis, quam inhabitant: pulchrum certe domicilium in hujuſmodi habitatoribus dignum: ut ex habitaculi ſpecie, quales ſint, qui intus lateant, licet conjectari.* Optima profecto ratio. Pulchra enim non niſi in locis pulchris collocari debent. *Non enim alicubi pulchra res eſſe debent, niſi in pulchriori loco*, dicere ſolebat Caligula Imperator, uti refert Joſeph Hebræus lib. 19 Antiquit. c. 2. Tanta eſt unius Angeli pulchritudo, ut dum ſe unus illorum S. Joanni Apoſtolo conſpiciendum præbuiſſet, is ipſum Deum non vero Angelum eſſe reputans, coram illo ſeſe proſternere ipſumq; adorare voluerit, imo revera illum adoraturus fuiſſe, niſi fuiſſet ab eodem Angelo quoadhoc impeditus: *Viſo Angelo qui cum illo loquebatur, & pulchritudinem ejus admiratus, ſic vehementer expavit, ut niſi prohiberetur, ſolo proſtratus ipſum adoraſſet, Deum proculdubio ſuſpicatus, quia nihil in orbe illa pulchritudine, quam videbat, majus aut ſpecioſius reperiri poſſe putabat*, inquit B. Thomas a Villa Nova ubi ſupra. Unde Deus tres pueros Hebræos in Babylonici fornacis flammis conſtitutos conſolaturus, ad illos quendam è cælis Angelum ſubmiſit, utpote qui pulchritudinis ſuæ exceſſu, quemlibet conſolari afflictum potuiſſet. Quodſi verum eſt, uti eſt veriſſimum qui fit quod Maria Magdalena tametſi duos illos Angelos candidiſſima byſſo veſtitos in ſepulchro ſedentes vidiſſet: Joan. 20. v. 1 *Vidit duos Angelos in albis ſedentes, unum ad caput & unum ad pedes, ubi poſitum fuerat corpus Ieſu*, nequaquam tamen inde conſolata fuerit aut confortata, nec dolorem mitigaverit, nec ceſſaverit planctus, neque ullum finem habuerint lacrimæ, licet ob oculos ejus tantæ verſaretur pulchritudinis ſpectaculum? Nimirum nec ceſſare dolor, nec mitigari planctus ex Angelorum aſpectu ulla ratione poterat, quia non Angelos, ſed Chriſtum amabat: *Amoris vulnus idem qui facit, ſanat*, inquit vulgare Proverbium. Originem quæſo hac de re loquentem audite: *Maria nimio dolore confecta, tota in exceſſu mentis poſita, nullam recipit conſolationem, & ad nullum tendit conſolatorem, ſed intra ſe cogitat dicens: Prô dolor, qualis eſt iſta conſolatio! qualis eſt iſta viſitatio! Oneroſi mihi ſunt omnes conſolatores. Nolo Angelos videre: nolo cum Angelis manere. Denique non quaro Angelos, ſed eum qui fecit & me & Angelos: Non quaro Angelos, ſed meum & Angelorum Dominum. Tulerunt Dominum meum, ipſum ſolum quaram, ipſe ſolus poteſt me conſolari.* Ac proinde afflictam Mariam ſolum Chriſti Corpus mortuum & vulneribus ſaucium, lividum, ſanguinolentum & deforme, de cujus deformitate Iſaias c. 53. v. 2. dicebat: *Non eſt ei ſpecies neque decor, & vidimus eum, & non erat aſpectus* conſolari poterat, atque ideo tanto illud cum ſtudio & lacrimarum imbre requirebat. Obſcuri illi liviores in oculis ejus præfulgentiſſimis ſolis radiis reſplendebant: Deformitas ejus Angelicam pulchritudinem incomparabiliter ejus judicio ſuperabat. Cogitate igitur quanto amoris ardore ſancta hæc mulier Chriſtum deperierit,

quando veluti præ amoris vehementia infatuata, ejus deformitatem cuivis alteri pulchritudini cæleſti etiam & Angelicæ præferebat.

20. Tandem relicta Judæa, ubi Maria Magdalena omnia illa præſtitit, de quibus hactenus locuti fuimus, Galliarum regnum ingrediamur, ubi divini dilecti ſui amor illam alia non minus nova & miraculoſa operari fecit. Quia enim uti jam diximus præfundiſſimo amoris divini vulnere ſauciata erat, ideo poſtquam in Franciam fæliciter appulit, hominum ſocietatem & contubernium faſtidiens, ut vitam ageret ſolitariam & Eremiticam, in certum quoddam deſertum ſteriliſſimum, ubi nec aquæ, nec herbæ, nec arbores producebantur ſeſe conferens, triginta in eo annos auſteriſſimè vixit. Quærat hic fortè aliquis unde in hoc ſterili & infæcundo loco ſancta hæc mulier ſeſe nutrire ſuamque in tot annos producere vitam potuerit? Author Hiſtoriæ Lombardicæ dicit Chriſtum illam non pane terreno quo homines in terris nutriuntur, ſed cæleſtis cibo paviſſe: *In quo quidem loco nec aquarum fluenta, nec arborum, nec herbarum erant ſolatia; quia Redemptor noſter ipſam non terrenis refectionibus, ſed cæleſtibus epulis diſpoſuerat ſatiare.* Quænam autem hæ cæleſtes epulæ fuere? Certæ non aliæ quam divini amoris. *Charitas revera eſt cæleſte nutrimentum*, inquit Clemens Alexandrinus in Pæd. lib. 2. c. 1. In hoc cibo veluti in cæleſti manna Magdalena omnes ſapores, omneſque quas anima ſua deſiderare poterat delitias, inveniebat: *Eſt enim amor ſuaviſſimum manna*, ut inquit Bernardinus ſerm. de divin lect. Art. 1. cap. 4. Nectar quoddam eſt amor divinus, quo ſoli Dii, uti Poetæ fingebant nutriebantur, & vivebant. Hoc nectare S. Auguſtinus in Manuali cap. 12. adimplere cupiebat, quando hiſce Chriſtum verbis alloquebatur: *O dulcedo amoris & amor dulcedinis, comedat te venter meus, & nectare tui amoris repleantur viſcera mea.* Eo ipſo autem quo Maria nutriebatur amore, igne nutriebatur, novo nimirum, peregrino valdeque ſtupendo nutrimento, quod omni viventi repugnat. Multa quidem animalia è terra nutriuntur, ex aqua multa alia, nonnulla etiam ex aëre, ex igne autem nulla prorſus nutriri reperiuntur.

21. S. Bernardinus Tom. 2. ſerm. 46. art. 2 c. 6. dicit B Mariam Magdalenam toto eo tempore, quo in deſerto commorata fuit, continuo planxiſſe: *Moram autem faciente ſponſo iam non cum illis fatuis virginibus dormitabat, vel dormiebat, ſed crebris ſuſpenſa ſuſpiriis, & gemitibus excitata dolorem ſuum ultra diſſimulare non poterat, nec ignem abſcondere, qui in corde eius ardebat.* Quænam obſecro Magdalena habebat plangendi neceſſitatem? Nunquid in domo Phariſæi ſufficienter fleverat, ut proinde ipſi à Chriſto dictum fuerit *Remittuntur peccata tua.* Nunquid ſufficientes in morte Domini ſui lachrimas effuderat quando ipſi ab Angelis planctus ulterior prohibebatur: Angeli enim quos in ſepulchro viderat, dicendo ei Joan. 20. v. 13. *Mulier quid ploras?* ipſam à planctu impedire volebant, utpote quæ ſatis ubertim fleverat, nec ulteriori fletu opus habebat. Quo igitur ipſa quæ tam abunde fleverat, tanto fletu opus habebat, ut à planctu nunquam ceſſarit? Nullum planctui finem imponere volebat quia ſicut Phænix paſcitur rore, ita ipſa lachrimis paſcebatur. Sanctis lachrimæ panis loco ſerviunt. Unde Pſalm 41. v. 4. nonnemo ex ipſis dicebat: *Fuerunt mihi lachrimæ meæ panes die ac nocte.* Et S Greg. lib. 5 Moral. cap. 7. dicit: *Luctu enim ſua anima paſcitur* Eodem quoque lachrimarum paſtu omnes cælites & Paradiſi Angelos paſcebat: *O fælix ſacrorum lachrimis rigatio pedum*, ita in Breviario Gallicano legitur, *per quam meruit Maria dici & eſſe eius dilecta, ex qua paſcuntur in æthere ſancti.* Tantum eſt gaudium illud quod Angeli aliique cælites ex pœnitentium lachrimis, pro peccatis effuſis concipiunt, ut pingue illis ſumptuoſumque eſſe convivium videantur. Plorabat etiam, quia tanti amoris ignis qui in ejus pectore continuo ardebat, accendebat & liquefaciebat animam ſuam: *Dilectio eſt actus ſuaviſſimus*, inquit S Bernardinus ſerm 43 Art. 1 cap 1. p 1. *ita cor amantis quadam indicibili delectatione reſpergit, quod animam facit liqueſcere in ſeipſa*, ideoq; ut in lachrimas reſolveretur, fleretque continuo opus illi erat, flebat denique, quia probe noverat quod quanto uberius lachrimaretur, tanto laveretur nitidius, pulchriorque evaderet, animæque ſuæ dilecto vehementius placeret: Hunc enim effectũ lachrimæ operantur. *Si faciem tuam lavare deſideras*, inquit S Ephr. de vita Rel. *Lachrimis eam ablutio, & ſuſpiriis ac fletibus eam lavato, ut in conſpectu Dei & ſanctorũ Angelorum eius cum gloria & charitate reſplendeat: nam facies quæ lachrimis abluitur, immarceſſibilem pulchritudinẽ acquirit.* O nova ſancti amoris inventio, nova ſors recuperandi decoris, mundanis quidem mulieribus occulta, à Magda-

Magdalena vero iiſdem manifeſtata, dummodo non hujus mundi hominibus, ſed Chriſto horum creatori, & cælitibus Angelis placere vellent.

22. Eo tempore quo Maria Magdalena veluti ſolitaria & Eremitica in ſpelunca degebat, ab Angelis frequenter viſitabatur, qui præſentia ſua lætum locum iſtum in alium veluti Paradiſum transformabant: *Tam læta ac jubilans Angelorum turba adfuit, ut æternam vitam in hoc antro credidiſſes*, inquit ipſamet ad certum quendam Eremitam cui nomen Elias erat apud Surium die 22. Julii. Quidnam obſecro Angelos e Paradiſo in incultam hancce attraxit ſpeluncam? Maria ejus incola per ſpeciei ſui decorem Angeli in rivalium laſcivorum quos Magdalena adhuc peccatrix exiſtens in mundo habebat, locum ſucceſſere. *Angelos pro rivalibus amatores ſuſcepiſti*, ait illi B. Thomas a Villa Nova ubi ſupra. Cogitate itaque quanta ejus fuerit pulchritudo: quæ Angelos attrahebat e cælo, loco nimirum tam delitioſo, in quo ſolo vera ſummaque pulchritudo cernitur, veriſque licet deliciis frui, cujus comparatione omnis forma terrena deformitas eſt, & quæ conſpiciatur aut ametur indigna. Non pulchra eſſe non poterat, quæ tantopere Deum diligebat. Amor animæ idem quod ignis auro tribuit, à quo omne ſuum pretium, colorem, ſplendorem & pulchritudinem poſſidet. Ipſe elegantiſſimus eſt figurarum pulcherrimarum pictor, quæ videri ſpiritualiter poſſunt. *Quam pulchras & quam decoras novit pingere formas dilectio!* inquit Petrus Abbas Cellenſis lib. de Conſc. *Caput ſphæricum & rotundum, ſed aureum, in ſtatura ſua Charitas pingit, columbinos aſpectus ſubjungit, manus tornatiles, &c.*

23. Quandoquidem, uti ſupra ex Surio diximus, Mariæ Magdalenæ antrum Paradiſus quidam viſum fuerit: *Æternam vitam in hoc antro credidiſſes*, nequaquam intermittenda eſt diligens medii illius inveſtigatio, per quod antrum iſtud in Paradiſum commutatum fuit. Scio equidem aliquos mihi dicere poſſe illud factum eſſe Paradiſum per Angelorum præſentiam dulciſſimaſque eorundem ibi reſonantes melodias. Aut vero per Chriſti dilecti ſui frequentiſſimas viſitationes, is namque uti ipſamet ſanctiſſima pænitens eidem Eliæ revelavit, de cælo centies deſcendit, humaniſſimeque inviſis, ecquis autem neſcit omnem locum, confeſtim Paradiſum fieri dum Chriſtus in eum pedes ſuos figit? Veruntamen ne à propoſito meo diſcedam videtur mihi antrum iſtud in Paradiſum fuiſſe transformatum, quia in eo habitavit amor divinus. Quando Eccleſia Paradiſum deſcribens, illum ex auro factum eſſe dicit: *Platea & muri ejus ex auro puriſſimo*, ſignificare vult illam ex amore eſſe conſtructam, per aurum amorem intelligens, *Auro civitas illa ſternitur*, inquit Hugo à ſancto Victore de Calv. anim. cap. 27. *Qui puritate dilectionis undeque veſtitur.* Omnes Paradiſi divitiæ, omnis decor delitiæ ejus in Dei amore conſiſtunt, adeo ut neſciam an Paradiſus amoris expers eſſe & manere deinceps Paradiſus poſſit. Audite hac de re Leonem Hebræum Dialogo 2. de amore. *Amor revera non tantum orbi univerſo, omnibuſque ejus partibus communis ſed etiam quam maxime neceſſarius eſſe videtur, cum nihil prorſus expers amoris beatum queat appellari. Non ſolum amore ſublato, beatitudo quoque auffertur, verum neque mundus univerſus, neque partes ipſius conſtarent, ſi amorem tolleremus.* Unde ex mente hujus Authoris Paradiſus in tantum eſt Paradiſus, in quantum ſuam ibi amor manſionem habet. Neque gloria aliud quam amorem ſignificat ſic gloria quam ſancti cælites & Angeli Davide teſte in cæleſti templo decantant, amor eſt, in quo beata gloria ſpecialiter conſiſtit. Pſalm. 28 verſ 9 *In templo ejus omnes dicent gloriam. Dicent gloriam*, inquit ſanctus Bernardinus ſerm. 62. Art. 1. cap. 1. *id eſt, amor, amor, amor, in quo maximè conſiſtit gloria Paradiſi.* Quod igitur mirum ſi ſpelunca Magdalenæ Chriſto Rege gloriæ & ipſa præſente quæ utpote divino igne accenſa illam continuo illuſtrabat, in Paradiſum commutata fuerit. Vide igitur quam ingens prodigium Maria Magdalena divini amoris virtute patraverit, dum locum quendam adeo deſertum, horridum & deformem in Paradiſum transformavit.

24. De hac ſancta pænitente ſcribitur, quod quoaduſque ſolitariè vixit, ab Angelis adjuta ſepties in die in Paradiſum evolans Harmonia cæleſti & æternæ gloriæ delitiis perfruita fuerit.

*——— ——— ——— Stipata catervis*
*Angelicis, ſeptemq; die ſubvecta per horas,*
*Cæleſtes audire choros alterna canentes*
*Carmina, corporeo de carcere digna fuiſti.*

inquit Franciſcus Patriarcha. Verum enimvero merito hic quæri poteſt, qua ratione Magdalena corpus pondere in terra prægravata de terra elevari potuerit? Quomodo in cælum evolare poterat, quæ nec pennas nec alas habebat? Quomodo in alto perſeverare poterat, neminem deorſum habens qui corpus ejus ſuſtentaret? Quænam machina illam in altum cogebat; adeoque faciebat ſublime volantem, tenebatque in aëre ſuſpenſam? Amoris machina idipſum faciebat. Divinus amor illam in altum coëgit, ipſamque evolare & inter Angelos & beatos commorari fecit. *Machina cordis eſt vis amoris*, ut inquit Gregorius apud Hugonem Cardinalem in Pſalm. 24. Und ſanctus Bernardinus ubi ſupra Art. 2. cap. 7. ait: *Amor tanto ardore animam ejus perſtringebat, ut non jam acceſſoriis gradibus, vel paſſibus uteretur, ſed inopinatis raptibus ſepties in die Angelorum auxilio, volans, non vadens in illa ſublimia ſecreta cæleſtia ad amorem inacceſſibilem rapiebatur.* Ecce tibi aliud quoddam divini amoris efficacia operatum miraculum: Sine alis volabat, morabaturque in loco quo quamdiu grave hoc corpus meos aggravat, ad Deum ſcilicet abire nequaquam licet. Nos ſanctam hanc pænitentem invocemus ut ipſa apud Deum pro nobis intercedat, ut igne ſuo nos accendat, ut ab hujus corporis gravi pondere exonerati eo ſublimari valeamus, quo illa ex ſpeciali amoris ſui privilegio toties corpore extolli potuit.




PANE-

# PANEGYRICVS XXXI.

## De S. IACOBO MAIORE glorioſiſſimo Chriſti Apoſtolo.

## THEMA.

Fuit magnus ſecundum nomen ſuum.
Eccleſiaſtici 46. v. 1.

## ARGVMENTVM.

*Quiſquis id quod S. Jacobus Apoſtolus in vita & poſt mortem fuit & fecit, attente conſiderat, is ipſum juxta nomen ſuum magnum, imo quovis magno majorem reputare debet.*

1. APud veteres Romanos in more poſitum erat, eos qui armis aut virtutibus Rempublicam ſuam honoraverant, *Magnos*, ſolemni nomine appellare: *Romanorum priſcos; non ſolum qui præclara confecerunt bella, ſed eos etiam qui Rempublicam conſilio, virtutibuſque decorarunt, magni cognomento ſæpè exornaviſſe conſtat.* inquit Plutarch. in Pompejo. Sic Pompeius quod armorum ſuorum virtute ipſorum dilatarit Imperium *magnus* eſt appellatus; Valerius etiam quod plebem inter & nobilitatem pacem ſtabiliviſſet Fabius quoque Rullus Magni cognomentum eſt aſſecutus quod ignobiles a Senatu Romanorum pepulerit. Eandem quoque conſuetudinem ſancta mater Eccleſia ob eaſdem rationes conſectari videtur dum è ſanctis ſuis multos, a quorum tum literis, tum ſanctitate ſe decoratam eſſe conſpicit, quales ſunt Baſilius, Gregorius, Antonius & alii, ſimili honoris titulo extollit. Veruntamen cum Eccleſia S Jacobum Apoſtolum inter cæteros præcipue non tantum Magni, ſed & Matoris cognomento afficiat, perſuadere ſibi quilibet merito debet, id non tantum eo fine fieri, ut aliqua ipſum inter & alium Jacobum Apoſtolum ſtatuatur differentia, verum potius quia Eccleſia ſe ab hujus glorioſi Apoſtoli præclaris virtutibus, factis & operibus glorioſis nec non ſanctitatis & ſapientiæ ejus ſplendore mire decoratam eſſe conſpicit. Etenim quiſquis id quod glorioſiſſimus hic Apoſtolus in vita & in morte fuit & fecit, attente conſiderarit, illum confeſtim magnum imo juxta nomen ſuum quovis Magno majorem eſſe affirmare debebit, juxta illud Eccloſiaſt 46. v. 1. *Fuit magnus ſecundum nomen ſuum.*

2. Præſtantia & illuſtris nobilitas ſanguinis glorioſæ Chriſti aviæ S. Annæ, Matris Genitricis Dei Mariæ, quā Deus in ejuſdem glorioſiſſimæ Vir-

mæ virginis utero dignatus eſt aſſumere non ſolum in antiquiſſimis, à quibus deſcendit, proavis in tot nimirum Patriarchis, Ducibus, Regibus & Prophetis, verum etiam in unione hypoſtatica manifeſte conſpicitur. Quam illuſtris enim & nobilis eſſe debebit ſanguis ille, qui cum Deo indiſſolubiliter uniri, ſupraque omnem ſublimitatem quæ ſub Deo eſt exaltari promeruit? Unde quia multi S. Jacobum Apoſtolum ab eodem ſanguine genitum eſſe volunt, utpote qui Mariæ Salome filiæ S. Annæ verus filius extitit facile hinc intelligitur, ipſum nobiliſſimo fuiſſe ſanguine natum, tamque illuſtri nobilitate decorum quali nullus hactenus Princeps Rex aut hujus mundi Imperator profulſit, aut deinceps præfulgebit. Atque ideo cum adeo fuerit illuſtris ac nobilis, conſequens eſt, ut juxta nomen ſuum magnus fuiſſe dicendus ſit. *Fuit magnus ſecundum nomen ſuum.* Neque etenim vos ignorare exiſtimo, pro una eademq; re confundi duo hæc nomina, *Nobilis & magnus.* Job. cap 1. v. 3. Ubi ſeptuaginta legunt: *Erat ille nobilis inter eos qui à ſolis ortu.* Vulgata transfert: *Erat vir ille magnus inter omnes Orientales.* Unde eadem quoque occaſione ſciendum eſt Jobum in tantum nobilem fuiſſe & magnum in quantum ſuam ab Abraha originem ſumpſit. *Genere clarus inter omnes Orientales prædicatur,* inquit Dydimus in Catena Græca in Job cap. 1 *quoniam ſecundum carnem ex Abrahamo ducebat originem.* Longe igitur illuſtrior, nobilior, ac major fuit S. Jacobus utpote tale ſanguine oriundus, qui non ſolum ab Abraha verum etiam à tot Patriarchis avis & Abrahæ nepotibus deſcendit, à quo ipſemet quoque Deus Abrahæ omniumque avorum & nepotum ſuorum Dominus naſci ſuumque ſacratiſſimum corpus accipere eſt dignatus.

3. Unde glorioſiſſimum hunc Apoſtolum Chriſti fuiſſe fratrem, optime inferes, ſuppoſita enim opinione eorum qui illum ſororis Deiparæ virginis filium fuiſſe volunt, Chriſti utique nepos & conſequenter frater extitit. Sacra enim ſcriptura nepotes fratres appellare conſuevit. *Vſitato ſcriptura more conſobrini fratres nuncupari ſolent,* inquit Lipomanus 25. Martii. Unde cum S. Jacobus frater Chriſti fuerit, magni profecto frater erat *Erit magnus,* inquit Gabriel de Chriſto cum B. Virgine loquens; Et quidem magni alicujus cujus magnitudo tanta extitit, ut explicari ſermone minime potuerit. Etenim David ipſum quidem magnum eſſe dicere potuit, quãdo Pſal. 47. v. 1. dixit: *Magnus Dominus*; Verum quam magnus eſſet, explicare nequiunt. *Magnum quidem dicit,* inquit Chryſoſt in Pſal 47. *Sed quam magnus, non dicit, hoc enim nemo ſcit.* S. Jacobum igitur magnum fuiſſe dicere oportet, utpote qui magni alicujus viri frater fuit, quantæ Chriſtus, tantus tamen extitit, quantus ut homo aliquis ſimplex eſſet, conveniebat. Indecens namque eſt & indecorum ſi cum unus fratrum magnus ſit, alter parvus eſſe comperiatur. *Non decet fratres,* inquit Iſocrates, *ut lances in ſtatera, altero humiliato alterum extolli.*

4. Nomen Domini, quo Chriſtus Dominus noſter communiter appellabatur, & etiamnum appellatur, adeo eſt nobile & magnum, ut maximi mundi magnates, Principes nimirum & Monarchæ, illud ſibi vendicare erubuerint. De Auguſto Romanorum Imperatore ſcribitur, quod dum die quadam in Theatro conſtitutus, ſe Dominum appellari audiret, idipſum tanta cum diſplicentia acceperit, ut die proxime ſequenti, ne in eandem adulationis occaſionem incideret, rigoroſo quodam edicto, ne ſimili deinceps nomine ab aliquo honoraretur, interdixerit. *Sequenti die graviſſimo vetuit edicto Dominum ſe poſthac appellari,* inquit Suetonius Tranquillus in Auguſto. Id quod nonnulli ipſum à Sibylla didiciſſe affirmant, quæ poſt Chriſtum natum, eidem nomen Domini duntaxat convenire ajebat *Vnus eſt Dominus Ieſus Chriſtus,* inquit Apoſtolus 1 Cor 8. v 6. Verum enimvero tametſi hæc ita ſe habeant, antiquitus tamen, licet hoc nomen, Dominus adeo reputaretur glorioſum & nobile, ut ne quidem magni mundi Principes illud ſibi vendicare præſumpſerint, hoc nomine ii inſigniri ſolebant, qui ex eadem Chriſti ſtirpe deſcendebant: *Qui de Domini ſtirpe erant, Dominicos appellabant,* inquit Euſebius Cæſarienſis apud B Thomam à Villa Nova Conc. altera de Nativit. B. V. Mariæ. Unde ex hac præclara Chriſti parentela adeo excellenter eminebant, ut nomen iſtud, quod maximos mundi magnates dedecebat, ipſis mira cum convenientia deberetur. Inter hos adeo præclare honoratos & illuſtres viros primo loco S. Jacobus Apoſtolus, utpote proximus Chriſti frater cognatus connumerari adeoque magnus judicari meretur, ut magnitudinem ejus nullus ex potentiſſimis mundi magnatibus potuerit aſſequi.

5. Cauſa ob quam S. Jacobi Mater Mariæ

nomine insignita fuerit, eſt, ut per hoc nomen ampliſſima innueretur Apoſtoli magnitudo & dignitas. *Maria* enim in latino ſermone *ſtella* interpretatur, unde S. Jacobum Mariæ filium appellando, ſtellæ quoque filium dicimus. Porro ſtella aliqua tanta eſt magnitudine prædita, ut vaſtitatis ſuæ mole terræ globum qui oculis noſtris immenſus eſſe videtur, longe exſuperet. Unde cum filius pro matris è qua naſcitur, magnitudine aut parvitate, magnus quoque aut parvus eſſe debeat (ſic namque luſciniam parvam eſſe videmus, quia luſcinia parva eſt oriunda, Aquilam autem quia proles eſt magnæ Aquilæ, magnam quoque eſſe conſpicimus, *partus* enim ut Juriſconſulti inquiunt, *ſequitur ventrem*) S. quoque Jacobus Apoſtolus, utpote maximæ ſtellæ fœliciſſimus partus magnus, & immenſus, & quovis magno major fuiſſe dicendus eſt. Et quia ſplendor qui in cœlo & in terra vibratur & emicat, ſtellæ partus eſt, ideo S. Jacobum non corporaliter, ſed ſpiritualiter magnum fuiſſe probare intendimus, magnus enim fuit, quia non ſolum in terra inter homines, verum etiam inter Angelos in cœlo, valde fuit illuſtris, clarus, atque famoſus. Unde obſervandum bene eſt Chriſtum & Jacobum ſuam à duabus ſtellis, id eſt, duabus Mariis trahere originem. Sicut enim B. Virgo utpote fulgidiſſima, omneſque alias magnitudine ſua mirabiliter exſuperans ſtella ſolem mundo attulit: ita Maria Salome S. Jacobum veluti fulgidiſſimum ſidus produxit, quod à ſummo Juſtitiæ ſole magnificatum & illuſtratum, totum mundum ab oriente uſque ad occidentem ſplendore ſuo illuſtravit.

6. Cur obſecro Jacobus & Joannes frater ejus, primos in Chriſti regno honores ambientes, ad illos obtinendos matris ſuæ interponere interceſſionem voluerunt? an non ipſemet per ſeipſos immediate, non minus ac mater ipſorum honores illos expoſcere, ſuamque Chriſto prætenſionem proponere poterant? Poterant utique, neque enim hac de re dubitare aliqua ratione licet, matris tamen interponere voluerunt interventionem, ut de prætenſis favoribus obtinendis certiores eſſent, magiſque ſecuri. Quia enim videbant quod Chriſtus particularem haberet matris ſuæ reſpectum, eamque haud ſecus ac ſi naturalis ejus mater eſſet, honoraret, utpote quæ germana matris ſuæ ſoror erat, Chriſtumque adhuc infantem, uti amitæ in ſimilibus occaſionibus facere aſſolent, nutrierat & educarat, hinc Chriſtum nihil eorum quæ petitura eſſet denegaturum eſſe firmiter ſibi perſuadebant. Sic enim Alphonſus Toſtatus Epiſcopus Abulenſis in cap. 20. Matth. q. 54. hac de re diſcurrit: *Sciebat, quod facile ut concederet Chriſtus matri, quam filius quaſi ad matrem illam reſpiciebat, ut videtur: & quia erat ſoror matris ſuæ, debebat ei quendam honorem, quia fortè illa quandoque adjuverat Dominam noſtram ſororem ſuam ad nutriendum Chriſtum ſicut ſorores faciunt, & ex hoc aliquantum honorem ei videbatur debere matri.* Ex quo igitur Chriſtus S. Jacobi matrem matris loco habebat, utique S. Jacobum haud ſecus ac fratrem ſuum tenere dilexit, & veluti magnus imo maximus, illum quantum ſimplici homini fieri poterat, ampliſſimè magnificavit. *Frater*, inquit Petrus Berchorius, *nomen eſt æqualitatis.*

7. Quia apud Deum magnitudinis illius quæ à ſanguinis nobilitate procedit, ſuamque ab antiquis progenitoribus trahit originem, nullus eſt reſpectus, ſed illa tantum quæ à ſanctitate & virtutibus naſcitur, in honore habetur. Unde cauſa ob quam ſanctiſſimus Chriſti præcurſor Joannes Baptiſta à S. Gabriele Archangelo apud Deũ magnus deprædicatur Luc. 1. v. 15. *erit magnus coram Domino*, non erat, quod ex nobili & illuſtri ſanguine naſciturus erat, ſed ob virtutes & vitæ ſanctitatem qua præfulgebat, quamque in mundo ducturus erat. *Erit magnus coram Domino, quia magnæ vitæ & altæ fuit*, inquit Hugo Cardinalis in Lucam ibid. *Eſt coram Domino*, inquit S. Ambroſius in Catena S. Thomæ ibid. *magnitudo animi, magnitudo virtutis.* Hæcque magnitudinis amplitudo tantum in S. Jacobo locum habuit, ut ſuum inde nomen ſibi meruerit. Qua enim de cauſa factum eſſe putatis, quod S. Jacobus mox ut natus & circumciſus fuit Jacobus fuerit appellatus, niſi ob vitæ, quam ducturus erat, ſanctitatem & perfectionem? *Jacobus* in latina lingua *ſupplantans* interpretatur, eique qui victum proſtravit inimicum pedibuſque ſubjecit, attribuitur. Num forte S. Jacobum alium in hoc mundo inimicum habuit, quam mundum? Unde Chriſtus Joan. 15. v. 19. ei cæteriſque diſcipulis ſuis dixit: *Odit vos mundus.* Cum igitur mundus virtutibus tantum vitæque ſanctitate vincatur, ſequitur evidenter S. Apoſtolum adeo fuiſſe virtuoſum, ut inimicum hunc generoſe cum eo confligendo vicerit, illumque pedibus ſuis

ſubſternendo Jacobi nomen ſibi compararit, adeoque magnus evaſerit, ut quovis magno longè major eſſe videatur. Quod ſi enim hominem illum qui pedibus ſuis monti ſuperſtat, magnum eſſe judicamus, quam igitur S Jacobus magnus fuiſſe dicendus eſt, qui pedibus ſuis mundum, qui ſuperbia & faſtu ſuo Olympum montem longe tranſcendit, ſubjecit?

8 Glorioſiſſimi quoque Jacobi magnitudo quanta fuerit, ex Apoſtolica dignitate ad quam illum Chriſtus dignatus eſt aſſumere & ſublimare, facilè colligitur. Exceſſus enim quocum Apoſtoli ſublimati & magnificati fuere, à Chriſto Matth 5. v. 14. per civitatis *ſupra montem poſita* ſymbolum demonſtratus fuit. Quilibet Apoſtolus civitas quædam fuit ( *Apoſtoli dicuntur civitas juxta Paulum à Palatio in cap. 5 Matth.* Et quidem civitas quædam ſupra montem ſublimata, quia dignitatis ſuæ eminentia tantundem quemvis alium mortalem ſuperat, quantum montes planities tranſcendunt & valles.

9. Ad idem propoſitum quendam Pſalmi 51. locum ponderemus, ubi Chriſtus de traditore diſcipulo Juda deque ſtupenda ejus ingratitudine qui ad Apoſtolicam dignitatem aſſumptus, ipſum perverſiſſimis inimicis ſuis crudeliſſime crucifigendum viliſſimo pretio vendiderat, graviter conquerens, eidem Pſalm. 54 v. 13. *Quoniam ſi inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique, & ſi is qui oderat me, ſuper me magna locutus fuiſſet, abſcondiſſem me forſitan ab eo. Tu vero homo unanimis Dux meus, & notus meus, &c.* Et quia, ubi nos legimus: *Dux meus, & notus meus*, alii vertunt: *ſecundum ordinem meum*, aut *æqualis meus*, id eſt, inquit Joannes Lorinus in Pſalm 54. *quem æſtimabam æqualem ferè mihi, alterum me, dignitate, gradu, & collegam*, Chriſtus illi dicere voluiſſe videtur: Haccine moneta ô Juda ſummum mihi Apoſtolicum honorem, quo te decoravi, compenſas? Annon ô hominem ingratiſſimè vides & cognoſcis, quod eo ipſo quo te conſtitui Apoſtolum, ſimilem te mihi, & alterum ego & veluti alium Chriſtum effecerim. Apoſtoli adeo Chriſto ſimiles eſſe apparent, ut veluti totidem Chriſti eſſe videantur. *Apoſtoli quidam Chriſti ſunt*, inquit Paulus Palatius in cap. 10. Matth Cum igitur Apoſtoli Chriſto, qui magnus eſt, ſimiles extiterint, magni quoque & ipſi fuerint, neceſſum eſt. *Res magna dicitur*, inquit Petrus Berchorius V. Magnus, *quæ magna rei aſſimilatur & conformatur*. Apoſtoli adeo ſunt illuſtres & magni, ut verè totidem eſſe Chriſti videantur. Pro cujus confirmatione Chriſtus illos fratres appellare non dubitavit. Joan. 20. v. 17. quando Mariam Magdalenam ad Apoſtolos ſubmittens eidem dixit: *Vade ad fratres meos*, *Frater dicitur*, ut interpretatur Aulus Gellius, *quaſi ferè alter*.

10 Quod ſi Apoſtolos ab Eccleſia Judicum titulo honorari audientes ( *vos ſacli juſti judices*) ſciſcitemini, quamnam Apoſtoli judicaturi ſint gentem. Reſpondebo, illos non terram duntaxat, id eſt, homines, verum etiam cælum, id eſt, perverſos Angelos in cælo creatos, quique ob naturalia ſua dona hominibus longe majores & excellentiores exiſtunt, judicaturos eſſe Unde Chriſtus de hominibus judicandis ad Apoſtolos Matth. 19 v. 29. Loquens dixit: *Sedebitis ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael* Et Apoſtolus de Angelis ab Apoſtolis judicandis 1. Cor. 6. v. 8 loquens dicit: *Neſcitis, quoniam Angelos judicabimus?* Hoc enim judicium ſolis Apoſtolis conceſſum fuit. Salomon Sap 1 n 1. hujus mundi judices alloquens dicebat: *Diligite juſtitiam qui judicatis terram.* Ubi adjungit qui judicatis terram, ut ullos de illorum Judicum numero eſſe inſinuet, quorum judicio extra terram ſe minime extendit, non vero de genere illorum Judicum qui etiam extra terram poteſtatem habent quales ſunt Apoſtoli, qui in cælo pariter & in terra judicium ſuum exercent *Cum inquit, qui judicatis terram, innuit eſſe judices, qui aliud judicant, quam terram*, inquit Joannes Gerſon ſerm ad Reg. Fr. Cum igitur Apoſtoli Angelos, Creaturas nimirum adeo nobiles & magnas judicent, illos pluſquam magnos eſſe dicere debemus Majus enim eſt magnos judicare, quam magnum eſſe. *Grande eſt quidem procerem eſſe, ſed multo grandius de proceribus iudicare*, inquit Caſſiodorus lib. 6. variarum cap 4.

11. Magni hi ſublimeſque judices ab Angelis perverſis illorum Judicio ſubjectis adeo timentur, ut cum nullum in terra Regem quantumvis potentem formident, ad horum tamen judicum præſentiam quaſi ſervi fugitivi contremiſcant. S. Proclus Orat, 10. opinatur quod Chriſtus Luc 22. v. 48. Judæ traditori dicens: *Iuda Oſculo filium hominis tradis?* dicere voluerit: *Iuda in Apoſtolum te elegi quomodo in proditorem verſus es? Iuda divitiarum amore captus, cũ Regibus cunctis ſit ditior? Dæmones ipſos non verentur reges tuam tamen linguam, ut fugitivi ſervi, perhorreſcunt, & timent dæmones*

monet quaſi in inferno quodam conſtituti e- rant. in Apoſtolorum præſentia, qui ipſos ipſo- met Inferno atrocius comburendo torquebant & ſpecialiter quando in S. Jacobi Apoſtoli con- ſpectu conſtituti erant. Cum Hermogenes per- verſiſſimus Magnus Philetum diſcipulum ſuum poſt auſcultatam S. Jacobi prædicationem, pe- ſtilenti ſchola ſua relicta fidem Chriſti recepiſ- ſe, ſanctumque Jacobum Apoſtolum ſectari in- tellexiſſet, ſuis mox præcepit Dæmonibus, ut ad illum ſeſe recipientes, vinctum atque ligatum ipſum ad ſe adducerent. Cumque maledicti hi ſpiritus ad exequendum Magi præceptum pro- xime ad Apoſtolum acceſſiſſent, ſe tanto igne uſtulari ſenſerunt ut fortiter vociferantes pie- tatem popoſcerint & indulgentiam, atque quod ultra determinatum tempus illos exureret, la- mentabantur: *Venientes autem Dæmones ad Iaco- bum, ululare cœperunt, dicentes: Iacobe Apoſtolo Dei miſerere nobis, quia antequam tempus noſtrum adve- niat, ardemus*, inquit Author Hiſtoriæ Lombar- dicæ. Quia enim in conſpectu judicis ſui ſtabant ideo timebant, ardebant & clamabant. Verum obſervandum eſt quod S. Proclus dicat, Dæmo- nes qui nullos hujus Mundi Reges timent, Apo- ſtolos exhorreſcere. Id quod ad Apoſtolicam dignitatem inſinuandam dicit, utpote quæ ab il- lis formidatur, qui potentiſſimos hujus mundi magnates nequaquam verentur. Id quod ne- mini mirum videri debet, cum Apoſtoli ſint ve- luti totidem Chriſti, Regi Regum totius mundi & cæli ſimillimi. Majora adhuc auſcul- tate.

11 Refert S. Lucas cap. 6. v. 20. quod cum Chriſtus ſuos elegiſſet Apoſtolos, coram ipſis ſi- mul in monte quodam congregatis, arduum quendam inſtituerit ſermonem, priuſquam au- tem illum ordiretur ſuos in Apoſtolos oculos e- levavit: *Et ipſe elevatis oculis in diſcipulos ſuos dice- bat, &c.* Cur obſecro oculos ſuos in Apoſtolos elevaſſe dicitur? Quia videlicet non niſi ocu- lus in illos elevatis, eos aſpicere nequaqam po- tuit. Cum igitur illos intuiturus oculos ſur- ſum elevare debuerit, ſignum eſt evidens ipſos Chriſto longe fuiſſe altiores, quod ſi enim ipſi fuiſſent æquales, aut eo inferiores, nequaquam opus fuiſſet, ad illos conſpiciendos, oculos ſur- ſum extollere. Origenes in Joan. Tom. 4. lo- cum hunc optime ponderat, dicens; *Monemus diſ- cipulos ſuos inferne non eſſe. quam ob cauſam elevantur Magiſtri oculi in eos, in quos dignum erat, ut ſuos ipſe o- culos attolleret.* Hinc igitur admirabilem Apoſto- lorum magnitudinem & ſublimitatem obſer- vate & obſtupeſcite; quaſi enim Apoſtoli Chri- ſto majores & altiores eſſent, opus fuit, ut Chri- ſtus illos intueri volens, oculos ſuos in altum extolleret. Tametſi enim certum ſit, Chriſtum utpote Apoſtolorum Magiſtrum, Dominum & Deum, ſine ulla comparatione non ſolum Apo- ſtolis verum etiam omni humana creatura, imo nobiliſſimis & glorioſis Paradiſi ſpiritibus ma- jorem eſſe & altiorē; nihilominus ut dignitatis Apoſtolicæ magnitudinem & ſublimitatem te- ſtatiorem nobis faceret, in præſentia Apoſtolo- rum ſe veluti vulgarem quendam hominem ex- hibere, omnibuſque minorem & inferiorem ſe facere voluit, uti reipſa fecit ſeſe in illorum con- ſpectu adeo demittendo & diminuendo, ut ſeſe ante pedes eorum proſternere fuerit digna- tus.

13. Quid de ſanctiſſimarum virginum emi- nentia & dignitate dicemus. Quas Deus, ut altiſſimas illas maximaſque eſſe demonſtraret, non deorſum in planitie aut vallibus manere ſu- ſtinuit, ſed ſurſum & in montes ſecum ſubvexit. Deus Apocalyp. 14. v. 1. S. Joanni Apoſtolo vir- gines ſpectandas exhibiturus, illas ab eodem ſe- cum in monte ſtantes videri fecit: *Vidi*, inquit Apocal 14 *& ecce Agnus ſtabat ſupra montem Syon, & cum eo centum quadraginta quatuor millia; hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, virgines e- nim ſunt.* Virgines adeo ſunt ſublimes & altæ, ut ipſiſmet Apoſtolis cedere nequaquam videâtur. Attendatis obſecro qualiter S. Paulus Apoſtolus Corinthiis ſcribens de virginibus 2 Cor. 7. v. 25. loquatur: *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, conſilium autem do.* Quaſi dicere voluiſ- ſet, conſulere quidem virginibus aliqua poſ- ſet, conſulere quidem virginibus aliqua poſ- ſum, nullam autem habeo illis quidquam præ- cipiendi authoritatem. Cur obſecro Apoſtolus ſe virginibus nequaquam præcipere, ſed tan- tum conſilium dare poſſe dicit, cum ipſe utpote Apoſtolus cunctis fuerit virginibus ſuperior? Ut videlicet illarum ſignificaret dignitatem & mag- nificentiam, utpote quæ adeo magnæ ſint, atque illuſtres, ut ipſis etiam Apoſtolis ſint æquales. Quod ſi enim Apoſtolus virginibus nequaquam fuiſſet æqualis, ſed ſuperior, utique ipſis veluti ſubditis præcipere, nō vero tantum amicus con- ſilium tantum dare potuiſſet. *Bene Apoſtolus dicit*, inquit Ambroſius lib de viduis, *de virginibus præ- ceptum Domini non habeo, conſilium autem do. Etenim*

*præceptum in ſubditos fertur, conſilium amicu datur.* Omitto hic dicere quod Eccleſia virgines Apoſtolis majores eſſe clarè demonſtret, quando ut Innocentius III. Pontifex Maximus Canonem Miſſæ exponens advertit: Joannem & Stephanum tanquam virgines, Matthiæ & Barnabæ præponit, uti alibi quoque diximus. Quidnam enim myſterii per hoc inſinuare nobis voluit? Hoc nimirum: quod ſi Jacobus Apoſtolica dignitate caruiſſet nihilominus, quia ut vult Epiphanius in Paner Hær. 58. virginalem ſemper puritatem conſervavit, eadem Apoſtolorum ſublimitate & altitudine fuiſſet gavisus.

14. Nunc autem virgo & Apoſtolus ſimul fuit, & quidem quod longè majus eſt, unus ex intimioribus, familiarioribuſque quos Chriſtus cunctos inter Apoſtolos habuit. Quod Chriſtus in ſui Transfiguratione quandam Paradiſi imaginem terræ exhibens inter omnes alios Apoſtolos ſolos ſecum in montem adduxerit Petrum, Jacobum & Joannem fratrem ejus factum, id eſt, quia hi ei præ cæteris fuere chariores familioreſque. *Tres illos Apoſtolos ſecum tunc habere voluit tan quam fami iares & chariores*, inquit Dionyſius Carthuſianus in cap. 7. Lucæ. Ob eandem quoque rationem quando Archiſynagogi filiam à mortis reſuſcitavit, nec non quando ſuam in horto ad Patrem orationem effudit, eoſdem ſecum veluti teſtes & ſpectatores habere voluit. Cum igitur Jacobum Chriſto adeo familiarem fuiſſe videamus ipſum à Deo ſupra omnes Angelos ſublimioreſque magnæ illius cæleſtis regiæ ſpiritus ſublimatum & dignificatum exiſtimare debemus. Huic terribili & horrendæ majeſtati, cui Angeli & Archangeli timore & tremore repleti ſerviunt, & adorant, quamque Cherubini & Seraphini nequaquam ſufferre, & non niſi à longè aſpicere audent, *Angeli cum metu inſerviunt, Archangeli cum timore adorant, Cherubim gloria magnitudinē minimè ferentes, cohorreſcunt, Seraphim circumvolantes propius accedere non audent*, ut inquit S. Proclus apud D. Damaſcenum in Triſagio. S. Jacobus veluti amicus amico familiariter aſſiſtebat, ſemper vicinus erat & collateralis.

15. Noſtiſne rationem præcipuam ob quam ſolus Jacobus & Joannes frater ejus, inter omnes Apoſtolos Chriſto propius accedere primoſque regni ſui honores ab eodem petere præſumpſerint? Cui talem Chriſto petitionem proponere præſumpſit, Andreas, Matthæus, Bartholomæus, aut alius aliquis venerandi illius Collegii diſcipulus, uti hi duo facere audebant? Audite S. Joan. Chryſoſt. rationem illam in medium adducentem: *Cum viderent ſe*, inquit S. Doct. hom. 66. in Matthæum: *ante alios à Chriſto honorari, crediderunt hanc ab eo petitionem impetrare.* Jacobus igitur inter omnes alios Apoſtolos à Chriſto majoribus aſſiciebatur honoribus, favoribus, gratiis & conſequenter unus erat ex potentioribus cæleſtis ſenatus magnatibus. Excellentiſſimi in aula aliqua cenſentur ii, qui à Principe vel Rege maximi æſtimantur, majoribuſq; afficiuntur favoribus. Unus homo præ altero exaltatur & illuſtratur per majores honores, majoraq; gratiarũ à Principe receptarũ incrementa.

16. Tametſi nonnulli opinentur honores dexteræ & ſiniſtræ ſummi tribunalis Chriſti, quos Jacobus & frater ejus pro ſe non dubitarunt petere, temporales & mundanos eſſe, eo quod hi duo fratres ſibi regnum Chriſti terrenum futurum eſſe perſuaſerint, ad eum modum quo Regna Davidis, Alexandri & Cæſaris temporalia fuere, non deſunt tamen plures alii qui duos hos fratres ſpirituales, cæleſtes, & æternos honores popoſciſſe exiſtimant. *Non dicimus quia rectè petiit*, inquit imperfectus de matre ipſorum Maria Salome loquens hom. 35. *Sed hoc dicimus quia nō terrena, ſed cæleſtia filiis ſuis optabat.* Quomodo enim mundanos poſcere honores potuiſſent illi, qui ut cæleſtia bona adipiſcerentur contempſerant & reliquerant mundum, quicquid mundo continetur? Valde ſe oſtendiſſent imprudentes & cæcos, ſi aliud quid quam cæleſtia ambiviſſent. Quis enim eos in hoc caſu non comparaſſet illi, qui ut conſectaretur & caperet umbram, leporem dimiſit, quem poſt multas fatigationes in ſua habebat poteſtate? Intelligitis proinde illos honores ambiiſſe maximos & æternos dignitates nimirum cæleſtes immarceſcibileſq; coronas, non vero præeminentias mundanas & ſæculares, quæ non minus parvæ, exiles & modicæ ſunt, quam ſit locus ubi eædem acquiruntur. Cum igitur S. Jacobus magnos imo maximos honores ambiverit magnum ſe quoque eſſe probavit, ſoli namque magni magna ſectantur & quærunt. *Tales magna audent, quia magni ſunt*, inquit mellifluus Bernardus ſerm. 31. in Cant.

17. Porro quia cæleſtes honores, quos Jacobus à Domino & Deo ſuo poſtulavit, à Deo parentelæ titulo aut ſanguinis ratione concedi minimè ſolent, licet id fortè Apoſtolus hic ſibi perſuaſerit, ſed ob virtutis meritum & vitæ ſancti-

tatem: ideo illi a Christo reſponſum fuit Matth. 20. v. 22. *Poteſtis bibere Calicem quem ego bibiturus ſum?* quasi diceret: Poteſtis ne pati & mori ſicut ego paſſurus & moriturus ſum? Neque enim mecum unquam in cælo regnaturi eſtis, niſi mecum etiam in terra paſſi & mortui fueritis, *Nemo poteſt cum Chriſto regnare, niſi paſſionem Chriſti fuerit imitatus*, inquit Imperfectus ubi ſupra. Verum enimvero quidnam Jacobum Christo reſpondiſſe exiſtimatis: *Poſſumus reſpondit* q. d. Pati & mori, idque animo promptiſſimo poſſumus. Generoſiſſimum profecto reſponſum iſtud fuit. Quomodo enim martyria & mortem tanta cum promptitudine animi amplecti poterat, quæ cuncti alii mundi homines tantopere exhorreſcunt: Num forte tremendus hic ad mortem tranſitus facilis ei viſus fuit, qui cæteris omnibus adeo videtur difficilis? Etenim tametſi reſponſum iſtud Apoſtoli ab omnibus communiter parum cenſeatur prudens fuiſſe, mea tamen opinione S. Jacobus in hoc reſponſo animi ſui magnitudinem & generoſitatem egregiè probavit. Magnus namque animus facile ſemper æſtimat, quod ab aliis omnibus reputatur difficile. *Facilia etiam difficillima animi magnitudo reddit*, inquit Julius Cæſar lib. 2. de Bello Gallico.

18 Et revera poſtquam Spiritu Sancto repletus fuit, eadem prorſus cum magnanimitate & generoſitate quacum ad epotandum amariſſimũ Martyrii calicem ſeſe obtulit, eundem quoque primus ante omnes alios Apoſtolos ebibit, hacque ratione ſe omnibus aliis majorem probavit. Quænam eſt cauſa quod multi viri ſancti atque perfecti qualis erat S. Athanaſius & alii martyrium & mortem pro Chriſto ſubire detrectarint? Num forte mortem fugerunt, quia Chriſtum parum diligebant? Non eſt profecto hæc ratio cur id fecerint, cordi namque Chriſtiano, quod moriendo vitam ſe meliorem conſecuturum, ſeque de morte in veram vitam transferendum ſperat, mors nequaquam damnum, ſed lucrum potius eſſe videtur. *Mihi autem vivere Chriſtus eſt & mori lucrum*, dicebat Apoſtolus ad Philip. 1. v. 21. Potius igitur mortem ideo fugerunt, & intra latibula abſcondebantur quia ſummam martyrii gloriam non omnibus conceſſam eſſe ſciebant, ſed viris duntaxat perfectis magnoque ac generoſo ſpiritu præditis, ideoque tanto ſe honore indignos eſſe cenſebant: *Ideo Martyrium fugimus*, inquit S. Eulogius Martyr in Memor. ſanct. li. 2. c. 14. *non quia timemus mortem, quæ quandoque ventura eſt, ſed quia indigni ſumus Martyrio, quod quibuſdam, non omnibus datum eſt.* Cum igitur Martyrium magnorum perfectorumque ſanctorum opus ſit, alia vero ex parte certum ſit S. Jacobum primum fuiſſe, qui inter omnes alios Apoſtolos veluti Apoſtolorum Prothomartyr pro Chriſto mortuus fuit, neceſſũ eſt dicere, ipſum eo tempore præ omnibus aliis condiſcipulis ſuis perfectiſſimum, ſummum, & in vitæ ſanctitate maximum fuiſſe. *Statim ab initio rerum tanto ardore concaluit*, inquit os Chryſoſt. aureum Hom. 66. in Matth. *ut humanis omnino rebus neglectis ad tantam ſublimitatem aſcenderet, ut à perſecutoribus confeſtim occiſus ſit.* Unde clare atque perſpicuè videtur, qualiter S. Jacobus non ſolum magnus, ſed etiam omnium fuerit magnorum primus, utpote qui honore ſolis magnis conceſſo primus omnium dignus fuit.

19 Per Cœnam magnam de qua Chriſtus Lucæ 14. v. 16. loquitur dicens: *Homo quidam fecit cœnam magnam*, Paradiſi gloria communiter intelligitur. Ratio autem ob quam cæna appelletur, nota eſt uti exiſtimo, omnibus ſicut enim cæna poſt diurnos labores ſuperatos homines recreat: ita quoque cæleſtis gloria omnes fidelium animas poſt hujus vitæ ærumnas reficit & reſtaurat. Cur autem cæleſtem gloriam cænam magnam appellari exiſtimatis? Cæna magna dicitur, quia uti vult Hugo Cardinalis in cap. 14. Lucæ Rex cujus illa ſumptibus inſtauratur, id eſt, ſanctiſſima Trinitas maximus eſt; Magnus quoque eſt ſervus, id eſt, Chriſtus qui in illa miniſtrat, magna quoque ſunt ferculorum edulia, id eſt, æternæ Paradiſi deliciæ; invitati denique etiam magni ſunt. *Hæc cæna dicitur magna quia magnus Dominus, id eſt, Deus Trinitas; quia magnus eſt ibi ſervitor id eſt, Chriſtus, tranſiens enim miniſtrabit illis; quia magna fercula, id eſt, gaudia æterna: demum quia magni convivæ.* In magna illa cæna præter magnos nulli recipiuntur: *Creſce & manducabis*, dicebatur in libris Confeſſionum cæleſtes cænæ illius cibos avide deſideranti Auguſtino. Quia igitur S. Jacobus ante omnes alios Apoſtolos ad magnam cænam illam invitatus fuit & introductus, Deus hac illum imitatione non ſolũ magnum verum inſuper omnibus aliis Apoſtolis declarare voluit majorem, qui veluti ſi magni non fuiſſent, in terra ut creſcerent & magni evaderent Jacobo jam mortuo, reliqui manſerunt.

20 Quod ſi humanam magnificentiam & ſublimitatem bene attendamus, inveniemus illam

in veritate non in terra, ſed in cælo obtineri poſſe, ubi omnia vere magna ſunt. Quomodo enim in parvo & modico loco magnum quid inveniri poterit? Quidnam eſt terra cælo comparata aliud quam punctum? Punctum autem adeo modicum eſt atque exile, ut in alias dividi partes minime poſſit. *Non aliud eſt terra univerſa, quam mundi punctum,* inquit Plinius lib. 2. Et Seneca: *Punctum & adhuc puncto minus eſt, quod incolimus.* Sola cæleſtia magna ſunt, quia loco magno continentur. Ibi una ex minimis ac minutiſſimis ſtellis quæ oculis noſtris moneta quadam aurea nequaquam major eſſe videtur, totius terræ machinæ magnitudinem longe ſuperat. Nullus igitur ſe extra cælum magnum futurum eſſe ſperet. *Quia res ſuperiores,* inquit Petrus Berchorius V. Magnus, *præ cæteris ſunt majores, minor ſtella major, dicitur eſſe tota terra; ideo tunc boni & juſti erunt maximi, quando ſurſum in Paradiſo erunt perpetuo collati.* Quia igitur S Jacobus, cæteris Apoſtolis adhuc in terra degentibus, in cælo eſſe meruit, dicere conſequenter neceſſum erit, ipſum dum alii adhuc exiles eſſent & parvi, magnum fuiſſe, aliiſq; omnibus longe majorem. Atq; hæc una eſt ex præcipuis rationibus, cur *Major* dictus fuerit. *Poteſt dici major,* inquit Author Hiſtoriæ Lombardicæ, *eo quod prius vocatus eſt æternitatis gloriam.*

21. Tametſi S Jacobus in cælo conſtitutus vere magnus ſit, ex iis tamen, quæ præter hactenus dicta adducemus, clare liquebit, nullam ei defuiſſe magnitudinem cujus capax eſſe potuit adhuc conſtitutus in terra. Magnitudinis hujus evidens teſtimonium enſis ille præſtat, quocum impiſſimus Herodes, ut perfidis Hebræis, qui fructum Apoſtoli ex S Evangelii prædicatione natum ſuſtinere non valentes, mortali ipſum odio proſequebantur, gratum faceret obſequium caput illi detruncare juſſit. *Miſit Herodes Rex manus, ut affligeret quoſdam Eccleſiæ. Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio,* inquit Lucas Actuum Apoſtolorum c. 12. v. 1. Quodſi ex me ſciſcitemini cur Herodes qui S. Jacobum crucis tormento interimere poterat, prouti eodem mortis genere enecati fuerunt ſancti Petrus, Andreas, Philippus, & alii Apoſtoli, aut qui ipſum lapidando occidere poterat, ſicuti occiſus fuit S. Stephanus, aut excoriare uti Bartholomæo Apoſtolo accidit, nullo ex his tormentis interficere, ſed gladio decollare voluerit? In promptu eſt ratio ſcilicet eum hoc mortis genere interemptum eſſe, quia nobilis & magnus erat. Magnates enim non ſolum hiſce noſtris, verum etiam priſcis temporibus apud Perſas decapitari conſueverunt, teſte Xenophonte 2. Cor Exped. Divinus hic noſter Apoſtolus in terra etiamnum conſtitutus adeo magnus fuit, ut ab ipſiſmet etiam perſecutoribus ſuis ac inimicis, ab illis inquam qui ipſum vivum ſuſtinere diutius non poterant, vere magnus fuerit exiſtimatus, & veluti magnus ubique habitus, denique mortis genere quo Magnates occidi ſolent, fuerit interfectus. *Occidit Iacobum fratrem Ioannis gladio.*

22. Audite obſecro Chryſoſtomum, Hom. 57 in Matt. de glorioſiſſima S Jacobi Apoſt morte hunc in modum loquentem: *Sic acer atque gravis Iudæis erat, ut magnum munus eis obtuliſſe cum eum interfecerit Herodes, viſus ſit.* Sanctus Apoſtolus dum adhuc viveret, Judæis adeo videbatur eſſe onerosus atq; moleſtus, ut Herodi viſum fuerit, magnum ſe Judæis exhibere favorem gratiamque particularem, ſi illum occidendo è medio tolleret. Tantæ penes plebem authoritatis erat, adeoq; populus illum reverebatur. Tantæ deniq; erant ejus virtutes & miracula, quæ in ſuis prædicationibus frequentiſſime patrabat, ut licet eodem tempore plures alii Apoſtoli Chriſtique diſcipuli fuerint, qui eodem operi, prædicando nimirum Chriſti Evangelio vacabant, ab ipſo tamen ſolo ſe gravatos & vexatos exiſtimarent; ipſe ſolus cordibus ipſorum inſupportabile pondus erat. *Gravis Iudæis erat;* Unde mox ut ab hoc onere fuere liberati, liberos ſeſe atq; optata pace & quiete potitos exiſtimabant. Quid igitur S. Jacobus utpote viritalibus cōditionibus præditus aliud erat, quam vir quidam magnus, ſeu mons quidam virtutum, perfectionum ſanctitatis, novorumq; miraculorum eminentiſſimus, qui ſceleratorum illorum cordibus, haud ſecus ac mons Æthna, uti Poetæ fabulantur impio Tiphæo ſuperimminebat? *Gravis Iudæis erat.*

23. Præterea ex hoc, quod ſanctus hic Apoſtolus Jacobus dictus fuerit, quod nomen uti Author Hiſtoriæ Lambardicæ exiſtimat, *pondus Dei* interpretatur, id eſt, *amor Dei (pondus* enim *amorem* ſignificat, unde *amor meus, pondus meū,* inquit S. Auguſtinus) ex hoc inquam præcipua inſinuatur ratio, cur ut Deo, quem tam ardenter amabat, cōjungi poſſet, primus ante omnes alios Apoſtolos in cælum evolarit. Glorioſiſſimus enim Apoſtolus Deum tantopere amabat, ut non in concreto amans, ſed amor in abſtracto ut in ſcholis loquuntur, videri potuerit; Merus enim

igni

gula, merum incendium, merus erga Deum ardentiſſimus amor erat. Ingenti cum myſterio à Chriſto *Boanerges*, id eſt, *tonitrui filius* eſt appellatus, utpote qui quoadusque vixit verum quoddam tonitrui, ignisque violentiſſimus fuit, qui omnis moræ intra moleſtas corporis nubeculas detinendæ impatiens fremebat, omnemque ad illas rumpendas diſcutiendasque adhibebat violentiam, ut ſubito ad eum in quo ſummum ſuum regnare bonum credebat, evolare locum poſſet. Cum igitur tanto tamq; violento accenſus amore fuerit, non ſolum *Magnus*, aut *Major*, ſed *Maximus* appellari debebit. Ex mente namque S. Bernardi ſerm. 27. in Cantica, anima aliqua magna judicanda eſt vel parva juxta magnitudinem aut parvitatem ejus, quo erga Deum afficitur, amoris. *Quantitas cujusq; animæ æſtimatur de menſura Charitatis, quam habet, verbi gratia, ut quæ multum habet Charitatis, magna ſit, quæ parum, parva: quæ vero nihil, dicente Apoſtolo: ſi Charitatem non habuero nihil ſum.*

24. Quandoquidem ſanctiſſimus hic Apoſtolus in Hiſpaniis, juxta antiquam Eccleſiæ illius traditionem prædicarit, ideo Hiſpani de hoc Apoſtolo hunc in modum concinunt:

*Cum cæca nox atq; impia*
*Nos cum teneret vanitas,*
*Lucem, ſalutem protinus*
*Oris Iberis impetras.*

Quemnam autem Apoſtolus hic in Hiſpania prædicando fructum reportavit? Certe adeo modicum, ut teſte Joanne Belethio de Divin. Offic. c. 140. pro nihilo reputari debeat; Unicam enim animam duntaxat ad Chriſtum convertit: *Propter malitiam & duritiam principum*, inquit hic Doctor, *extra unum, ad fidem Chriſti neminem converterat*. Alii non plures quam novem converſos fuiſſe volunt. *Parvum bonum ibi fecit*, inquit S. Vincent. ſer. de S. Jacobo Apoſtolo, *ſolum novem diſcipulos ibi convertit*. Verum qua ratione poſſibile eſt, quod tonitru quoddam adeo tremendum è cælo erumpens, totamque Hiſpaniam percutiens adeo modicum reportarit laborum ſuorum fructum? Quantumvis enim tunc gens Hiſpana in falſa Religione ſua pertinax fuerit & obdurata, licet duro annoſæ quercus trunco ſimilis fuerit, prout à Virgilio deſcribitur:

*Truncis & duro robore natum.*

nihilominus quænam poteſt eſſe in terra durities quam tonitru non penetret, non frangat, accendat, aut diſſolvat? Quodſi ambo Scipiones, *duo fulmina belli* nuncupati, Hiſpaniam Romano potuerunt imperio ſubjugare, quomodo igitur Boanerges, velut quoddam à cæleſti Rege emiſſum fulmen illam dulci Chriſti jugo ſubjicere non potuit? Verum Reſpondeo, poſito caſu Jacobum non niſi novem ad Chriſtum animas cõvertiſſe, à quibus deinceps, uti dicitur converſæ ſint aliæ, horum tamen opera & fructus inde natus ſanctiſſimo Apoſtolo attribuendus venit; Bonus à ſagitta proveniens ictus, nequaquam ſagittæ quæ illum impegit, ſed manui illam emittentis ſagittarii attribui debet. Unde excellentia & magnitudo Jacobi facile cognoſci poteſt. Magiſter aliquis ſe excellentiorem eſſe probat, quando adverſarium ſuum per diſcipulũ, quem dum per ſeipſum ſuperat. *Illuſtres præſtantioresq; viri diſcipulorum certaminibus magis, quam ſuis vincunt*, inquit S. Ambroſius lib. 1. officiorum cap. 41.

25. Quis potentiſſimo Hiſpaniarum Regno, quod tot modis & rationibus magnum eſt, magni titulum negare audebit. Eſt enim Hiſpania magna ob ingentem frumenti, vini, olei, aliarumque ad humanam vitam neceſſariarũ rerum abundantiam. Magna eſt ob auri, argenti, & gemmarum incredibilem copiam utpote quæ Tago flumine humectatur & alluitur, quod ad inſtar Pactoli una cum aquis aurum ſibi attrahit. Magna item eſt ob viros tum in armis, tum in literis, tum denique in vitæ ſanctitate maximos & illuſtriſſimos. Magna denique eſt ob ampliſſimum quod in Europa, Africa & America late extenditur imperium, quod tantum eſt, ut merito videri poſſit poſt Romanam alteram Monarchiam meditari. Unde autem tantam Hiſpaniæ amplitudinem & magnificentiam naſci putatis? A S. Jacobo Apoſtolo. Unde B. Thomas à Villa Nova Conc. de S. Jacobo Apoſtolo manifeſte dicit, divinum hunc Apoſtolum Hiſpaniæ eo potiſſimum fine datum eſſe, ut per eum illa qua hodie excellere videtur amplitudine & magnificentia ſplendeſceret: *Quanta gloria veſtra Hiſpania? quantus favor à Deo talem recepiſſe patronum, unum ex tribus Chariſſimis Dei? Grandis favor Domine, quod ſic æſtimaſti eum; non enim ſic æſtimaſſes, & tanto Patrono donaſſes, niſi grandis fortuna eſſet.* Quodſi enim, uti Eccleſia ſanctiſſimos Apoſtolos Petrum & Paulum collaudans dicit, Roma per jam dictos Apoſtolos Magna facta eſt ſuperque omnes orbis urbis illuſtris & nobilis:

Non

*Non laude tua ſed ipſorum meritis*
*Ex illis omnem mundi pulchritudinem.*

merito ipſam quoque Hiſpaniam ob Jacobum Apoſtolum magnam dicere poterimus. Unde facilis de glorioſi hujus Apoſtoli excellentia & magnitudine conjectura ſumi poteſt, utpote qui magnitudine & præſtantia ſui ſuam Hiſpaniæ magnificentiam & excellentiam communicavit, niſi enim ipſe magnus fuiſſet nullam ipſi magnitudinem abjicere potuiſſet. *Quæ non habet aliquis alteri dare non poteſt*, inquit Plato in Convivius.

26. Quod S. Jacobus ſingulari Divinæ providentiæ nutu in Hiſpania ſit ſepultus, non caret ſingulari inſinuandæ magnitudinis & excellentiæ ſuæ myſterio. Idem namque eſt, dicere illum in Hiſpania eſſe ſepultum, ac illum ſepulchro cuipiam opulento valde & pretioſo eſſe impoſitum. *Hiſpania* enim *pretioſa* interpretatur. Quia enim Jacobus Magnus fuit, ideo quoq; magnifice & ſplendide & ſicuti Magnates ſolent, ſepultus fuit. Olim Reges aliique magnates in ſepulchris ſepeliebantur pretioſiſſimis, hoc eſt non ſolum adhibito incredibili ſumptu fabricatis, qualia Pyramides & Mauſolæa erant, verum etiam auro, argento, gemmiſq; refertis. Sic Davidis Regis ſepulchrum adeo fuit opulentum & pretioſum, ut Hircanus idipſum tempore ſuo aperiens (uti Joſephus Hebræus Antiquit. lib. 13. cap. 15 refert triginta millia auri talenta inde efferens, reliquum Herodi reliquerit. Æque opulenta olim Regum Babyloniæ ac etiamnum temporibus noſtris Mexicanorum in novo mundo ſepulchra erant. Magnus itaque S. Jacobus fuerit neceſſum eſt, utpote qui in ſepulchro pretioſiſſimo Magnatum more conditus fuit.

27. Ex hoc loco aliud quoddam myſterium propoſito meo peropportunum eruere licebit & dicere; Quod licet Chriſtus S. Jacobo & S. Joanni, Regni ſui dexteram & ſiniſtram occupare petentibus, uti diximus, reſponderit dicens Matth. 20. v. 22. *Neſcitis quid petatis, non eſt meum dare vobis*, nihilominus tamen id quod iiſdem adhuc viventibus denegaverat, poſt mortem eorundem conceſſit reliquiis ſiquidem corpori S. Joannis in Eccleſiæ ſuæ regno dexteram, corpori vero S. Jacobi conceſſit & impertivit ſiniſtram. Aſia enim in qua S. Joannes ſepultus fuit ſituata eſt ad Hieroſolymitanæ urbis dexteram, ad ſiniſtram vero civitatis ejuſdem partem jacet Hiſpania in qua conditus fuit S. Jacobus Apoſtolus. *Ad minus* inquit B. Thomas a Villa Nova ubi ſupra: *in hoc regno cælorum, id eſt, Eccleſia, petitionem illorum impletam videmus. Nam Ioanni ſedes data fuit in Aſia, quæ ad dexteram Ieruſalem, & Iacobo in Hiſpania, quæ eſt ad ſiniſtram partem.* Unde in Breviario Toletano canitur.

*Magni de nido Fratres tonitrui,*
*Ad pri fulgent prece matris inclyta*
*Utriq; vitæ culminis inſignita,*
*Regens Ioannes dextra ſolus Aſiam*
*Et læva frater potitus Hiſpania.*

Magnus quidem S. Joannes fuit, utpote qui in regno Chriſti dextera eſt potitus; ſanctus tamen Jacobus eo quod ſiniſtram acceperit, S. Joanne nequaquam minor fuit. ſiniſtra enim utpote cordi magis vicina dextera honorificentior eſſe dignoſcitur. Sic Cyrus Rex eos quos præ aliis excellentius honorare decreverat, ad ſiniſtram collocare ſolebat. *Scribunt*, inquit Alexander ab Alexandro Neapolitanus lib. 2. Dierum Genialium c. 19. *Cyrum ſingulari prudentia viros adhibitos convivas, quos honoratius exciperentur, in ſiniſtra locare ſolitum, eamq; partem veluti cordi affinem digniorem duxiſſe.*

28. Vultiſne rationem ſcire, ut licet Hiſpania in ſex diviſa ſit partes, quo totidem regna conſtituunt, cujuſmodi ſunt Portugaliæ, Granatæ, Galiciæ, Cataloniæ Aragoniæ, ſola tamen Galicia ſacratiſſimi Apoſtoli hujus ſepultura honorata fuerit? Quia corpus S. Jacobi in Compoſtella Galiciæ urbe quieſcit. Nec mirum magnus erat, nec alibi capiebatur. Ex mente namque Doctoris cujuſdam moderni Antonii Feoin Tractatu. 2. de S. Jacobo Apoſtolo, *Compoſtella* idem quod *Campus ſtellæ*, ſignificat. Et quidnam eſt hic alius ſtellæ ſive ſtellarum campus, quam cælum, in quo juxta figmentum quoddam Poëticum ſtellæ haud ſecus ac terrena quædam animalia oberrant & paſcuntur? Adeo magnus erat S. Jacobus Apoſtolus, ut quaſi terra ad ejus ſepulturam minimè ſuffeciſſet cælum quoque ſeu ſtellarum campum quendam ipſi præparari neceſſum fuerit *Campus ſtellæ*. Neſcio profecto quo jure Alexander aliique ſuperbi faſtuoſique Reges magni appellari potuerint, cum ſex terræ palmi in eorundem ſuffecerint ſepulturam?

*Cui ſatis heu magnus dum viveret, haud fuit orbis*
*Huic ſeptem ad tumulum ſufficit urna pedum.*

Ita apud Majolum dierum Canicul. part. 5 Coll. 2. Alexandri ſepulchro olim inſcriptum fuit. Vere autem Jacobus magnus fuit, qui Cæli ſymbolum pro ſepulchro habere promeruit.

29. Adeo

19. Adeo eſt S. Jacobi Apoſtoli magnificentia admirabilis, ut tametſi in eadem deſcribenda continuo defatigaremur, illam tamen ſufficienter declarare aut demonſtrare nequaquam poſſemus Sciendum enim eſt quod à certo quodam authore apud ſanct in actis de prædicatione S. Jacobi Tract 3. cap. 23. *Sol orbu illuminans tenebras appelletur.* Et quidem ſol rectè dicitur, quia in mundo exortus, homines ab Oriente ad Occidentem, a Judæa in Hiſpaniam uſque illuminavit, cæleſtiſque lucis participes reddidit, illius nimirum, quæ ut dicitur Joan. 1. v. 9 *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Aut vero ſol ideo dicitur, quia haud ſecus ac ſol quidam ardens, adeo in amore & zelo Dei ſui accenſus & fervidus fuit ut die quadam in Eliam quendam veluti transformatus, ut indevotos illos Samaritanos Chriſtum hoſpitio excipere detrectantes, in cineres redigeret, ignem è cælo evocare decreverit Vel etiam ſol dicitur, quia ſicut ſol ex omnibus terræ partibus humores attrahit, ita ſuum quoque corpus ex omnibus mundi partibus homines ad Apoſtoli hujus honorem & reverentiam nec non ut in potentiſſimam ejus interceſſionem ſe recommendent, invitat & inducit. Denique ſol dicitur, ut majori cum proprietate loquamur, quia ſicut ſolis magnitudo non in terra, ſed in cælo valet cognoſci, cum enim in terra paropſide ſeu lance quadam aurea major eſſe non videatur; in cælo octies universo terræ globo major eſſe clarè conſpicitur. *Sol maior eſt octies tota terra, & tamen non videtur in terra*, inquit Berchorius. V. Magnus ita quamdiu in terra hæc ſumus divini hujus Apoſtoli dignitatem & magnificentiam ſcire nequaquam valemus, utpote quem qualis quantuſque ſit in cælo duntaxat experiemur & viſuri ſumus.

30. Finaliter tandem ſciendum eſt, Joachimum Abbatem in Apoc. c. 21. v. 19 per Chalcedonium gemmam illam pretioſiſſimam, quæ uti in Apocalypſi ſcribitur, tertium civitatis Dei fundamentum efformat S Jacobum intelligere. Quænam autem eſt hujus expoſitionis ratio? Quia gemma hæc, ut Haymo in ſerm de Dedicatione templi in Append. inquit, domi occultata pretium ſuum abſcondit, quod foris expoſita manifeſtat *Habet fulgorem ſub dio non in domo.* Ita quoque S Jacobus Apoſtolus velut cæleſtis quidam Chalcedonius, quantus qualiſque ſit non in domo tenebrarum vitæ hujus, ſed foris in alterius vitæ Paradiſo perſpicue cognoſcetur. Ibi videbitur facie ad faciem, & pleniſſimè perſpicietur, ibi per magnificentiæ ſuæ contemplationem Deus glorificabitur, qui ob tot gratias tantoſque quibus ipſum in terris amplificavit honores & favores ſit in æternum benedictus, & ſuperexaltatus in ſæcula.



# PANEGYRICVS XXXII.

## De S. ANNA Glorioſiſſima Matre Dei Genetricis, ſemperque Virginis MARIÆ.

# THEMA.

Mulier gratioſa inveniet gloriam, Eccleſiaſt. 11. verſ. 16.

# ARGVMENTVM.

***Maximus S. Annæ honor, ſummaque ejus gloria eſt, quod glorioſiſſimæ Virginis Deiparæ vera Mater fuerit.***

DUm S. Mater Eccleſia glorioſam S. Annæ feſtivitatem particulari cum devotione concelebrat, ejuſque potentiſſimam interceſſionem ad tanto ſecurius ea quibus in miſerrimæ hujus omnibuſque malis refertiſſimæ vitæ duro exilio maxime indiget, auxilia obtinenda, a Deo expetit, hiſce eum verbis alloquitur: *Deus qui B. Annæ tantam gratiam conferre dignatus es, ut Genitricis filii tui Domini noſtri Ieſu Chriſti Mater effici mereretur, &c.* Quibus verbis dum tantam gratiam conceſſiſſe dicit, & quantam conceſſerit non exponit, ſignificare velle videtur, gratiam iſtam adeo magnam, extraordinariam & admirabilem fuiſſe, ut humanitus inexplicabilis fuerit & indicibilis, quaſi ob tantam gratiæ illius excellentiam nec ad explicandum linguam, nec ad compræhendendum mentem habuerit ſatis perſpicacem & expeditam. Ob hanc namque Maternitatem S. Anna adeo facta eſt magna, celebris, famoſa & glorioſa, ut inexplicabilis prorſus ſit gratia, quam illi concedere dignatus eſt Deus. De ipſa Author Eccleſiaſtici cap. 11. v. 16. loquitur, cum ait: *Mulier gratioſa inveniet gloriam;* id eſt inter omnes quæ fuerunt, ſunt, & erunt mulieres, una ſola, Anna nomine (*Anna* autem interpretatur *gratioſa*) gloriam inveniet; quaſi poſt beatam ejus filiam nulla mulierum gloriam invenerit, nullaque glorioſa aut in mundo beata fuerit. Et revera cum ſancta Anna ejus, qui gloriæ æternæque beatitudinis Rex eſt, matrem mundo produxerit, tantam utique à Deo gratiam obtinuit, ut præ omnibus aliis mulieribus, quas terra unquam vidit, glorioſa, magna & beata extiterit. Porro talis reipſa à vobis æſtimabitur, ſi me id quod à Chriſtianis ſcriptoribus in ejus laudem deprædicatur, explicantem auſcultaveritis.

2. Locus ille Pſalmi 82. v. 13. *Terra noſtra dabit fructum ſuum* à ſancto Vincentio Ferrerio glorioſæ Chriſti aviæ ſanctæ Annæ applicatur, quæ haud ſecus ac terra quædam benedicta deſideratum nobis Dei Genitricis fructum protulit: *Terra noſtra, id eſt, Beata Anna*, inquit ſanctus Doctor ſerm. 2. de Nativit. B. V *dabit fructum ſuum, ſcilicet Beatam Mariam*. Magnus utique hic fructus fuit quem B. Virgo nobis edidit. Fructus adeo præſtans atque ſpectabilis, ut non ſolum ſtupori fuerit hominibus, dum adhuc in terris degeret, & Angelis, quando de terra in cælos aſcendit, verum ipſimet quoque Deo hominem Angelorumque creatori, penes quem nullum admiratio locum habet, admirationi fuerit fructus tantæ dulcedinis, ut Deus cæli delitiis, lautiſque Paradiſi menſis derelictis ut ſe hoc fructu enutriret, in terras deſcenderit. Fructus adeo medicinalis, ut omnibus mundi hominibus, mortaliter propter peccatum languеſcentibus ſalutem & vitam attulerit. Fructus adeo magnus, ut alium in ſe fructum, qui ob immenſitatem ſuam ab ipſiſmet etiam cælis capi aut concludi minime valet, claudere potuerit. Ob hunc itaque admirabilem fructum productum S. Anna terra dicitur: *Terra noſtra dabit fructum ſuum.* Terra etiam appellatur, non ſolum ob admirabilis fæcunditatis ſuæ rationem, verum etiam ob ſummam gloriam, ſummumque honorem, quem per ſuam ſibi fæcunditatem comparavit. Terra enim per montes ſuos adeo ſublime extollitur ut ipſos etiam attingere cælos videatur. Unde à latinis dicta eſt *Tellus à tollendo* ſe in altum, ut vult Richardus à S. Laur. lib. 8. de laudibus B. Mariæ. Sancta Anna quoque terra dicitur *Terra noſtra*, id eſt, *B. Anna*, quia ob cæleſtem partum ſuum adeo ſupra omnes alias mulieres extollitur & ſublimatur, ut illis omnibus in terra relictis, & extraordinariæ ſe gloriæ cælum repoſuerit, ubi à nulla alia matre attingi ullo modo valebit.

3. Idem Propheta regius eodemmet Pſalmo paulo ſuperius, ſcilicet verſu 10. gloriam in terra habitaturam eſſe aſſerit. *Inhabitet gloria in terra noſtra*, id eſt, terra deinceps non vilis amplius aut ignominioſa erit, prouti præteritis temporibus fuit: ſed honorata, illuſtris, & gratioſa. Quodſi autem à me quæſieritis quænam aut qualis illa ſit gloria, quæ terram inhabitatura dicitur. Reſpondeo per gloriam illam Deiparam Virginem Mariam intelligi, utpote quæ vera gloria terram implevit; *Impleta eſt terra per hanc Virginem gloria*, inquit S. Ildephonſus lib. de Virginit. S. Mariæ, poſtquam enim terra mulierem illam, quæ Deum paritura erat, ferre bajulare cæpit, adeo facta eſt glorioſa & inbeata, quantum poſſibile erat. Unde merito à Chryſippo *Gloria luti noſtri* appellatur, utpote à qua terra & lutum noſtrum admirabiliter honoratur & glorificatur. Quodſi igitur Beata Virgo terram gloria ſua adimplevit, longe majori gloria utique matrem ſuam cumulavit, quæ eam genuit, tantoque tempore brachiorum ſuorum amplexibus ſtrinxit terræque donavit. Lucerna quæ pro conclavi aliquo illuminando accenditur, majorem utique ſplendorem vicinis, quam remotis adfert parietibus.

4. Bonos optimæque indolis filios & filias, vera propriaque eſſe matrum ſuarum ornamenta raro nos exemplo Cornelia Grachorum mater edocuit. Cum enim illa domi ſuæ illuſtriſſimam quandam Neapolitanam excepiſſet patritiam, ſibique ab eadem certa quædam ad videndum exhiberentur, quæ Neapoli ſecum adduxerat ornamenta tantis auri gemmarumque divitiis diſtincta, & onuſta, qualia nec Romæ nec alibi videri unquam poterant, ſapiens hæc mulier diſcurſum hunc oſtentatorium eo uſque donec filii ſui ex literarum reverterentur palæſtra protelando produxit, iiſdemque coram ſe poſitis uti Apopth. lib. 6. legitur, dixit: *Hæc ſunt ornamenta mea.* Quibus verbis inſinuare volebat, non gemmas, aurum, ſerica, purpuras, ſed bonos probolque filios virtuoſaſque filias vera eſſe ſapientum matronarum ornamenta. Cum igitur B. Virgo ſingularis, eximia, ſummeque admirabilis fuerit filia, matrem quoque ſuam admirabiliter ornavit illuſtravit & ornavit. Quodſi enim hæc filia inæſtimabili pretio ſuo totam exornare naturam poteſt ut proinde à Chryſippo *Præclarum naturæ ornamentum* appellata fuerit, id eſt, quoddam terræ, maris, aëris, cæli, ipſorumque Angelorum cæleſtium illuſtriſſimum decus, quantam ſibi S. Anna ex pretioſo iſthoc ornamento gloriam conciliaſſe credenda eſt, quod ſua potuit immenſitate totum exornare univerſum.

5. S. Joannes in Apocalypſi cap. 12. v. 1. ſe Domini ſui matrem ſole veſtitam, calceatam Luna ſtelliſq; coronatam vidiſſe refert: *Mulier amicta*

ſole, luna ſub pedibus ejus, & in capite ejus corona ſtellarum duodecim. Porro ſolem ad amiciendam Dei matrem veſtis, lunam vero calceorum loco fuiſſe, propoſito noſtro adeo oportune non congruit, quantum nobis ſtellæ ſerviunt, ex quibus quædam ad illam redimendam pretioſiſſima contexta corona fuit. Quo fine ſtellas haſce concurriſſe, & pro coronando virginis capite, in unum coaluiſſe diadema, exiſtimatis? Utique dicetis illas ſplendore ſuo illam, veluti gemmas quæ Regum Reginarumque capita exornant, decorare & expolire voluiſſe. Graviter certe fallimini ſi id judicetis, ſtellæ enim iſtæ glorioſum hoc caput non ſolum non exornabant, verum potius magnum ſibi ab illo decorem adſciſcebant *Dignum plane ſtellis ornari caput*, inquit locum hunc acute exponens S. Bernardus ſerm. ſuper ſignum magnum, *quod & ipſis longe clarius micans, ornat potius, quam ornetur ab ipſis.* Tantæ B. Virgo pulchritudinis erat, ut non ſolum terram, quamdiu in ea vixit, verum & ipſas quoque cæli ſtellas, adeo à terra remotas adeo ornarit & illuſtrarit. Quodſi igitur ipſa divinis radiis ſuis rebus adeo remotis & diſtantibus tantum ſplendorem & ornatum adjecit, quam excellenter matrem ſuam exornare debuit, è cujus utero concepta & genita, in cujus brachiis nutrita, in cujus domo donec in templo Deo præſentia eſt, fuit commorata?

6. Sicuti infæcunditas & ſterilitas tam virorum quam mulierum, ingens inter Hebræos ignominia, ſummumque dedecus erat (infœcundi enim aliis hominibus ſine magno illorum faſtidio conjungi minimè poterant; Unde quia Joachimus infœcundus & ſterilis erat, ideo fuit à ſacerdote quaſi conſpectu divino indigno è templo vituperoſiſſime ejectus) ita fœcunditas fælicitatis & gloriæ loco habebatur. *Ephraim*, inquit Deus per Oſeam cap. 9. v. 11 *quaſi avis evolavit, gloria eorum à partu, & ab utero & à conceptu.* quaſi dicere voluiſſet. Hæc gens mea, nulla alia gloria, honore, aut excellentia præfulget, quam quod filios gignat atque parturiat, in hoc enim omne ejus bonum conſiſtit. *Id eſt*, inquit Abulenſis in lib. 2. Reg. cap 2. q. 2. *Totum bonum eorum eſt in concipiendo & pariendo, & habendo in utero filios. Apud antiquos habebatur pro magna fælicitate filios gignere, & pro magna infelicitate carere filiis*: Verum cum inter filios aliqui boni ſint alii vero improbi & mali poterantne Hebræi atque de malorum ac de bonorum filiorum generatione lætari? Imo vero de utroque filiorum genere gloriabantur æqualiter; non enim filiorum qualitas, ſed lumborum fæcunditas, ipſos efficiebat glorioſos. Quodſi igitur malorum filiorum partus, qui à virtute majorum degenerantes, illuſtrium progenitorum ſuorum gloriam & honorem commaculare ſolent & obſcurare, parentes adeo fælices efficiebat & illuſtres, quantum illis adferre poterat honorem, quantam gloriam, quantamque fælicitatem partus filiorum qui bona erant indole, & virtutibus præditi? Quantum igitur honorem, quantam gloriam & fælicitatem ſanctæ Annæ adferre debuit ex utero ejus editus Beatæ Virginis Deiparæ partus, quæ Sancta Sanctorum, ipſiſque Angelis purior extitit, quæque ab omnipotentiſſimo Deo in filiam, ſponſam, & matrem electa fuit.

7. Cum ingens fæminæ alicujus gloria ſit ſi filium habeat in militia præclarum; major autem ſi filius ejus ad equeſtrem ſit ordinem evectus, auctior filium Regem habeat, & ſi Angelos parere poteſt maximus ejus honor futurus eſſet, ſi filium Angelum gigneret: *Cujuslibet enim civis matrem eſſe.* inquit B. Thomas à Villa Nova Conc. de Nativit. B Virginis, *dignitas eſt, equitis matrem eſſe majoris, Regis majoris, Angeli, ſi matrem habere poſſit, majoris.* Qualis igitur ejus futura dignitas & gloria eſſet, quæ filiam Reginam, eamque non hominum tantum, ſed & Angelorum Reginam gigneret, qualem S. Anna mundo produxit & peperit? Gloria utique S. Annæ adeo eſt eminens ut ad illam nullam poſſit aliarum mulierum pertingere. Cum enim multi ſint ac fuerint milites, multi equites, multi Reges, & Angeli multi, unica tamen eſt & ſola hominum Angelorumque Regina. *Peperit filiam*, inquit S. Joannes Damaſcenus S. Annam collaudans in Orat. de Dormit. B. V. *qualis nec ante fuit nec poſt futura eſt.*

8. Eccleſiaſtici 24. v. 23. Beatiſſimam Virginem Dominam noſtram invenietis dicentem: *Flores mei fructus honoris.* quaſi diceret: Membra mea quæ quaſi flores puriſſimi & candidiſſimi, cæleſtique venuſtate imbuti cæleſtis Paradiſi Angelos ad ſui aſpectum & admirationem invitant & attrahunt, ſunt honoris fructus. *B. Virgo*, inquit S. Vincentius ſerm. 1. de Nativ. B. V. *fuit fructus honoris.* Quiſnam autem obſecro eſt honor

nor iſte à quo auguſtiſſima Domina noſtra progenita fuit? Utique alius à S. Anna eſſe non poterit; quia enim B. Virgo quidam S. Annæ partus & fructus extitit, per honorem illum S. Anna intelligi debebit. Porro hoc honoris nomine S. Anna merito appellatur, non ſolum quod cum ſanctiſſima ſit & virtuoſiſſima, atque ab inclyta & honoratiſſima progenie procreata, ab omnibus honorari mereatur, verum etiam quia Deiparam velut uteri ſui fructum, à quo omnis ejus honor & gloria dependet, mundo produxit. Obſervari autem bene meretur S. Annam non honoratam appellari, ſed honorem: *Flores mei fructus honoris*, propter eximium enim quem à divino partu ſuo retulit honorem, non honorata in concreto, ſed honor appellatur in abſtracto. Honor enim ille, illaque gloria adeo fuit ingens & eximia, ut nedum honorata, ſed ipſiſſimus honor viſus omnibus fuerit. *Fructus mei, fructus honoris.*

9. Niſi fœminæ Beatiſſimam Virginem Dei Matrem à ſua ſibi parte haberent faventem viliſſimæ futuræ eſſent abjectiſſimæque totius mundi Creaturæ. Tantum namque per primæ mulieris peccatum ſibi adſcivere dedecus & ignominiam, ut ne caput quidem in cælum præſumpſiſſent attollere. Hanc autem ipſarum ignominiam & probrum Deus non ſolum per ſanctiſſimam Matrem ſuam expurgavit, verum inſuper particularem illis gratiam conceſſit. *Mulierem infirmitatem vere glorioſam reddidit*, inquit S. Epiphanius de laudibus B. V. Et quidem gloria quæ mulieribus per B. Virginem acceſſit, major eſt quam viris unquam concedere fuerit dignatus, cum enim vir aliquis ſalva veritate gloriari nequeat, virum aliquem purum hominem ſuper Angelorum choros fuiſſe exaltatum, de hoc tamen excellentiſſimo honore liberari, gloriari mulier poterit, & dicere, vere quædam mulier quæ puri hominis conditionem non excedit, ſuper omnes exaltata eſt Angelorum choros. *Exaltata eſt ſancta Dei genetrix, ſuper Choros Angelorum ad cæleſtia regna*, inquit Eccleſia de puro homine Beata nimirum Virgine Maria. *Nota privilegium mulierum*, inquit Hugo Cardinalis in cap. 3 ad Galath. *pura mulier eſt ſuper Choros Angelorum, ſed non purus vir.* Quodſi igitur eæ mulieres, quæ B. Virginem in utero ſuo minime portarunt, nec pepererunt, adeo nihilominus cenſeantur glorioſæ, ut quoſcunque in gloria viros longe exſuperent, quam igitur S. Anna glorioſa eſſe debuit, quæ eam in utero ſuo portavit, eamque ad univerſalem mulierem omnium gloriam mundo produxit.

10. S. Joannem Damaſcenum lib. 4. Orthod. fidei cap 15. de glorioſiſſima Chriſti avia S. Anna loquentem auſcultate: *Joachim ſelectiſſimam illam ac ſummis laudibus dignam mulierem Annam matrimonio ſibi copulavit.* Quibus in verbis peculiari obſervatione dignum eſt, quod S. Annam *ſummis laudibus dignam* appellet, id eſt, dignam quæ à cæleſtis Paradiſi Angelis, qui ſummos cælos incolunt, Deumque inceſſanter & continuo laudant & prædicant, eximie collaudetur & honorificetur. Unde merito nonnemo quæret, cur ſanctus Doctor B. Virginem, non æque humanis ac Angelicis laudibus dignam eſſe dicat, cum ab hominibus merito excellentioribus extolli laudibus mereatur, quam ab Angelis, utpote quæ majora hominibus quam Angelis bona conciliavit. Huic igitur Reſpondeo quod S. Doctor illam Angelorum potius quam hominum laudibus dignam eſſe affirmet, ut per hoc meriti ſui excellentiam, ſuamque dignitatem & excellentiam, quam per enixam B. Virginem ſibi comparavit, tacitus inſinuet. Ad tantum enim meritum tantamque gloriam digne concelebrandam, laudes humanæ parum aut nihil inſerviunt, ut proinde à ſolis Angelis digne laudari, prædicare, & honorificari poſſit: *ſummis laudibus dignam.*

11. Quod viro aut mulieri alicui, ob rarum aliquod ac memorabile beneficium integra aliqua obligata ſit Civitas, non modicam illi conciliat gloriam, majorem autem acquiſiviſſe cenſetur alius, cui integrum obligatum eſt regnum, omnium vero iſtorum gloriam tranſcendit illa alteri ex eo debita, quod pars aliqua mundi, aut etiam totus mundus illi ſit obligationis vinculo adſtrictus. Sed quid de ejus gloria dicturi eſſemus, qui cælum & terrã, Angelos pariter & homines, & quaſcunque cælum aut terra complectitur creaturas gratitudinis ſibi vinculo devinxiſſet? Utique gloria illius utpote cælo terraque diffuſa tanta eſſet, ut illa majorem dari impoſſibile foret. Tales autem fuere Anna & Joachim qui Beatiſſimam genuerunt Virginem Mariam, ob cujus divinum partum nõ homines duntaxat, aliæque quæ in terris ſunt creaturæ, verum ipſimet quoque Angeli omneſque Cælo-

rum ſpiritus beati obligatiſſimos ſe eſſe cognoſcunt Audite Sanctum Joannem Damaſcenum Oratione 1 de Nativitate B. Virginis de illis loquentem: *O par beatum Joachim & Anna, vobis omnis creatura obſtricta eſt* q. d. Vos omnium mortalium fælicisſimi fructum produxiſtis, ſeu pepetiſtis filiam per quam omnes mundi creaturæ ſenſibiles & ſenſus expertes, rationales & irrationales, terrenæ & cæleſtes, mundanæ denique & divinæ pariter vobis obſtringuntur. O beatos vos atque fælices, qui ab omni quam Deus plaſmavit creatura glorificamini: *Vobis omnis Creatura obſtricta eſt.*

12. Chriſtum, ut arbores, ex earum cognoſceremus fructibus, præcepiſſe novumque Matth 7. v. 20 *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos.* Unde cum S. Anna & S. Joachim duæ ſint arbores, è quibus Beatæ Virginis fructus; è qua unigenitus Dei filius æternæ vitæ naſcitur fructus, eſt oriundus hinc ſi quales fuerint arbores cognoſcere volumus, ad eum quem produxere fructum attendamus. Hanc regulam idem S. Doctor ad Joachimum & Annam cognoſcendos aſſignat, dum eoſdem ibidem hunc in modum alloquitur: Joachim & Anna profecto ex ventris veſtri fructu agnoſcimini; ex fructibus eorum cognoſcetis, eos Atque ideo cum fructus à beatis hiſce arboribus productus, adeo fuerit glorioſus, ut glorioſior eſſe non posſit, ſequitur evidenter, quod ſicut Deo nihil eſſe glorioſius poteſt, ita quoque poſt Deum nec vir nec mulier, nec Angelus, nec aliorum beatorum ſpirituum ullus Dei Genitrice glorioſior eſſe potuerit Sancta igitur Anna adeo glorioſa extitit, ut non ſolum poſt ſanctisſimam filiam, nulla ipſa glorioſior reperiatur, ſed ne quidem aliquem ſibi in gloria habere æqualem posſit; & conſequenter cum non niſi unica Dei mater exiſtat, etiam non niſi unica Deiparæ mater eſſe potuit. Sancta igitur & glorioſisſima Anna in gloria ſua ſola fuit; ſine ullo fuit ſimilis gloriæ exemplo, æqualem, aut ſimilem ſive parem ſibi nunquam novit.

13. Beatam Virginem ſanctæ Annæ matri ſuæ ſimilem prorſus fuiſſe, ratione idipſum firmiter perſuadente exiſtimo: *Qui enim ex ipſis oriuntur,* inquit lib. 8 Moral. ad Nicomachum capite 11 Ariſtoteles de patribus & matribus loquens: *ſunt quaſi alteri ipſi, dum ſeparati ſunt* Unde & B. Thomas à Villa Nova Conc. de Nativitate B. V dicere non dubitavit: *Parentes transfundunt in filios, non ſolum proprietates & paſſiones, ſ figuram, colorem, & formam.* Filium patri aut matri filiam disſimilem eſſe, monſtroſum eſt & naturæ prorſus repugnans *Ut regula eſt humanæ naturæ, ut omnis homo naſcatur duos oculos habens, & quinos digitos; aliquando tamen naſcitur aut ſex digitos habens, aut oculos omnino non habens: ſic homo extra regulam naturæ, raro procedit, ut disſimilis naſcatur filius parentibus.* inquit D. Chryſoſtomus hom. 45. in Matth. Cum igitur S. Anna Beatæ Virgini filiæ ſuæ ſimilis fuerit, eundem quoque cum illa vultum habere debebat, id eſt, omnino cæleſtem & divinum, adeoque glorioſum & eximium, ut ipſis Paradiſi Angelis ſtupori fuerit & admirationi. Tanto cum ſtupore & extaſi cæleſtes Angeli Beatæ ejus filiæ vultum intuebantur, ut dum illam in cælos elevari viderent, ob divini vultus ſui elegantiam intra ſemetipſos Cant. 6. v 8. admirabundi dixerint: *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens pulchra ut luna electa ut ſol, terribilis, ut caſtrorum acies ordinata!* Quibus verbis ut ſummam cæleſtis vultus ſui venuſtatem quam admirabantur, demonſtrarent, tribus pulcherrimis mundi rebus, auroræ ſcilicet, Lunæ, & ſoli illam asſimilare voluerunt.

14. Audite Angelum ad B. Birgittam de S. Anna in Revelat. D. Birgittæ ſerm. Angel. 10. hunc in modum loquentem: *Venerabilis Anna vere nuncupari poteſt omnipotentis Dei Gazophylacium, quia ipſius theſaurum, ſibi ſuper omnia amabilem in utero ſuo recondebat. O quam prope erat jugiter cor Dei huic theſauro!* Id quod ab Angelo merito dicitur, cum Chriſtus Matth. 6. v. 21 dicat: *Ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.* Unde cum Deus theſaurum ſuum in S. Annæ venerabili utero habuerit reconditum, ibi quoque ut cor ſuum haberet repoſitum, neceſſum erat, & una cum corde ſuos quoque in eundem oculos haberet defixos, communiter enim dicitur: *Ubi cor, ibi oculi.* Quam igitur cæleſtis hæc matrona pulchra eſſe debebat, utpote ab illis oculis, à divinis iſtis ſolibus, qui non ſolem duntaxat, omneſque cæli ſtellas illuſtrant, verum omnes pariter Angelos, univerſamque Paradiſi civitatem glorificant continuo fixeque conſiderata. Quam ſpecioſa eſſe debebat, quæ cor, id eſt, amorem Dei per quem ſanctisſima ejus filia admirabiliter pulchra evaſerat, firmiter ſibi aſtrin-

aſtringebat. Quod B. Virgo tanta fuerit formæ elegantia prædita, ipſamet Cant. 1. v. 3. teſte: *Nigra ſum, ſed formoſa*, Dei amori attribuendum eſt: *Illam pulchram fecit per dilectionem*, inquit Gregorius Nyſſenus hom. 2. in Cant.

15. Quandoquidem Hebræarum matrum fœlicitas & gloria in multorum filiorum filiarumque generatione repoſita fuerit. *Fœminæ putabant ſe fœliciores, cum pariebant multos filios*, inquit Abulenſis, merito dubitare quis poſſet qua ratione S. Anna, quæ non niſi unicam duntaxat peperit filiam adeo glorioſa cenſeri potuit? Verum ſciendum eſt Dei matrem pretioſam quandam fuiſſe margaritam, ideoque aliter non potuiſſe fieri quia unigenita eſſet matris ſuæ: Conchylium unicam duntaxat margaritam producit, quæ proinde unio a latinis nuncupatur: Veruntamen tametſi S. Anna non niſi unicam, mundo filiam produxerit, hæc tamen filia centenis & millenis infinitiſque aliis filiis & filiabus longe prævaluit. S. Bernardus apud D. Bonaventuram in ſpeculo S. Annam ob hanc quam peperit filiam, beatificans, dicit: *Fœlix ſylva quæ producit hujus floris virgam*, id eſt, quæ Beatam Virginem producit, quæ veluti virga Paradiſi ſuaviſſimum florem Chriſtum Dominum noſtrum fœliciſſimo partu edidit. Quod ſi S. Anna filiam quandam peperiſſet, quæ non niſi uni ſoli æquivaluiſſet, ſylvæ nomen ei inconcinnè valdè impropriéque impoſitum fuiſſet. Sylva enim, ut ſylva ſit, multas producat virgas, multaſque arbores neceſſum eſt. Sicut enim Civitas quæ unicum tantum in ſe hominem complectitur Civitas dici nequit, ita neque ſylva quæ unicam tantum in ſe continet virgam, ſylva dici meretur. In tantum itaque Anna ſylva dicitur, in quantum unam virgam ſeu unam arborem produxit, quæ innumeris virginis, innumeriſque arboribus æquivalere cenſetur. *Fœlix ſylva, quæ produxit hujus floris virgam.*

16. S. Damaſcenus ubi ſupra Beatam Virginem vineam quandam è ventre S. Annæ enatam & pullulantem fuiſſe affirmat: *Vinea uberrima ex Anna pullulavit, atque unam ſanctiſſimam protulit, nectar mortalibus ſuadentem in vitam æternam.* Circa quem locum dubitare merito quis poterit, & dicere, quomodo B. Virgo vinea eſſe potuit, cum ſit vitis? *Ego quaſi vitis fructificavi ſuavitatem odoris*, inquit ipſamet in Eccleſiaſtico. Vineam autem non una ſed multæ & variæ vites efficiunt. Verum quidem eſt, Beatam Virginem, ipſamet teſte, vitem quandam fuiſſe, hæc autem vitis talis tantaque fuit, ut millies millenis æquiparari viribus potuerit, atque ideo a S. Damaſceno non vitis ſed vinea dicitur. S. Anna Cicaræ arbori perſimilis fuit, quæ licet, teſte Simone Majolo Dier. Canic. Colloq. 21. Unicum duntaxat fructum producat, hic tamen fructus millenis aliis æquivalet, utpote qui intrinſecus trecentos complectitur alios, quorum ſinguli totidem alios continent ad noſtrum melonum quantitatem.

17. Ex quo beatiſſima Virgo famoſum illum de tribu Juda Leonem ſemel peperit, de quo Angeli in Apocalypſi cap. 5. v. 5. cantantes dicebant: *Vicit Leo de tribu Juda*, ipſam leænam fuiſſe nec non & ſanctam Annam quæ Leænam illam mundo produxit dicere oportet; nam ut Philoſophi communiter dicunt: *Simile generat ſibi ſimile*

*Nec leporem canis Æmathius, timidamq; columbam*
*Natus hyperborea falco ſub axe creat.*

inquit Marullus. Cum igitur S. Anna unicam duntaxat leænam ediderit, quidnam reſpondere illis poterit, qui illam utpote parum fœcundam fuiſſe temere notare non dubitant? Idipſum nimirum quod leæna vulpi olim in Apologo reſpondiſſe fertur. Vulpeculæ enim die quadam ob ſuam fœcunditatem elatæ Leænæ dicereque non erubeſcenti, quod licet ipſi utpote ſupremi cunctarum beſtiarum Regis compari, cedere cogeretur quoad dignitatem, non tamen illi quoad fœcunditatem cedat, utpote quæ non niſi ſemel in tota vita pariens, unicum tantum enitatur Leonem, Leæna reſpondit: *At Leonem*; quaſi dixiſſet, verum quidem eſt quod ego unica duntaxat vice unicam tantum prolem progenerem, hæc tamen proles mea leo eſt, adeoque ut noſtri magna, fortis & generoſa, ut merito mille cenſeatur vulpibus æquivalere. B. Virgo nobilis Leæna fuit, à generoſa Leæna producta, atque ideo millies millenis, infinitiſque aliarum fæminarum filiis & filiabus æquivalet.

18. Obſervandū eſt quod Anna Samuelis Prophetæ, mater eo tempore quo de ſe ipſa loquens 1. Reg. 2. v. 5. dicebat: *Sterilis peperit plurimos*, nondum pluries quam ſemel duntaxat & quidem nō niſi unicum pepererit filium, id eſt, Samuelem. Hæc enim verba dixit quando juxta votum à ſe emiſſum unigenitum ſuum Samuelem ſcilicet

Deo

Deo in templo obtulit. *Quando iſta dixit,* inquit Abulenſis ubi ſupra, *erat in ſilo offerens filium ſuum Samuelem Domino, & tunc nullum alium pepererat.* Quomodo igitur tunc quæ non niſi unicum tantum filium adhuc pepererat, ſe plurimos peperiſſe poterat dicere? Plurimos ſe partu edidiſſe dixit, eo quod ſanctum quendam magnumque Dei ſervum pepererat, qui aliorum hominum millibus poterat æquiparari *Dei ſervum,* inquit Chryſoſtomus hom. 27. ad Hebr. *myriadum inſtar eſſe.* Quod ſi igitur unicus Dei ſervus vel homo ſanctus tot aliorum hominum millibus æquiparatur quanti æſtimanda erat auguſtiſſima ſervorum Dei Domina, ſanctorum ſereniſſima Regina, hominumque & Angelorum Imperatrix potentiſſima, S. Annæ partu in mundum edita? Merito igitur S. Anna præ cunctis aliis mulieribus fæcunda dicitur, & ob hanc tantam ejus fæcunditatem ſuper omnes alias matres fælix & glorioſa.

19. Ratio ob quam S Anna tanto tempore ſterilis permanſerit, totque annis donec beatam pareret Virginem Mariam, exſpectarit, hæc eſt, quia cum fœtus enitendus, excellentiſſimus futurus erat atque ſtupendus, opus illi longiſſimo tempore erat; magna enim multo indigent tempore donec perficiantur. Sic quia Elephantes animal quoddam vaſtiſſimæ & ſtupendæ molis enituntur, multis annis opus habent donec illud tandem partu edant. Unde Proverbium naſcitur; *Citius Elephanti pariunt,* à latinis ad longam quandam moram ſignificandam uſurpatum. Cum igitur S. Anna admirabilem magnæ Dei matris partum in lucem ſeu ut melius dicam ad inferendam mundo lucem editura eſſet, ad eundem ritè producendum multis utique annis opus habebat

*Anna tuum decuit tanta exſpectatio partum*
*Haud facile eſt matri matrem habere Dei.*

ita S. Annam Beiſſelius in Roſario S. Annæ apud Ludolphum de vita Chriſti in fine alloquitur. Et ſicut magnitudo partus, matris magnitudinem claré demonſtrat: *Nam partus ſequitur ventrem,* ita quoque magnitudo B. Virginis matris ſuæ S. Annæ magnitudinem efficaciter declarat, magnitudinem inquam ſpiritualem, non corporalem magnitudinem ſcilicet dignitatis, fælicitatis, & gloriæ ſuæ.

20. Beatam Virginem in ſuo virginali clauſtro, Deum, quem cæli quantumvis ſpatioſi ſint & immenſi, capere non valent, claudere potuiſſe novimus, dicente ei Eccleſia: *Quia quem cæli capere non poterant, tuo gremio contuliſti.* Scimus etiam S. Annam in caſto utero ſuo Beatiſſimam Virginem recluſiſſe, quæ capit eum quem cæli non capiunt, dicente ei eodemmet Beiſſelio ubi ſupra

*Anna feres Gratiam cuius quem non capit orbis*
*Ipſe libens ſubeant viſcera caſta Deus.*

Qualis igitur inprimis & quanta eſſe magnitudo debet B. Virginis eum quem omnes cæli capere non poſſunt, capientis? Qualis deinde & quanta eſſe debuit S Annæ magnitudo capientis & claudentis eam quæ utero ſuo claudere eum potuit, quem cæli capere nequeunt? Quod ſi manus illa ad miraculum uſque magna cenſetur, quæ id, quod ingens aliquod vaſtumque templum recipere nequit, facilè complectitur; quantæ capacitatis eſſe debet manum illam ambiens & contegens chyrotheca? Rara prorſus, nova atque ſtupenda dignitatis & honoris magnitudo quæ ſanctiſſima Anna emicuit. Poſt divinam namque filiam ſuam, cui ſoli credit, nulla eſt reperibilis magnitudo quæ ſuæ ſit æqualis.

22. Nequaquam abs re aut præter rationem erit, ſi S Annam per Elephantis ſymbolum expreſſam eſſe intelligamus. Quando enim Eccleſiæ Deus dicit Cant. 7. v. 4 *Collum tuum ſicut turris eburnea,* per collum Beatam Virginem intelligit. Ipſa namque verum eſt Eccleſiæ collum; quia ſicut membra corporis capiti non niſi per collum conjungi poſſunt, ita nec nos cum Deo conjungi aut pacificari poſſumus, niſi ipſa & potentiſſimâ ejus interceſſione mediante. *Collum quod caput membris ſive corpori coniungit B. Virgo eſt,* inquit Hugo Cardinalis in cap 7. Canticorum. Præterea ſicut collum altior eſt pars corporis, poſt caput, ita altius & eminentius Eccleſiæ membrum eſt poſt Deum ſua ſanctiſſima mater. Adhæc ſicuti collum præterquam quod quoad ſe ad omnem partem inclinari, moveri, & flecti poteſt, ipſum quoque caput ſecum inſuper inflectit & inclinat: ita pientiſſima Virgo Maria adeo eſt erga nos compatiens atque flexibilis, adeo pia, clemens & benigna, noſtriſque precibus

bus prono adeo corde inclinatur, ut ipſum quoque Deum ad concedendum id quod ipſa mediante quærimus facillimè inflectat & inclinet. Quia vero collum hoc eburneum eſt: ſicut turris eburnea, ebur autem ab Elephante naſcitur dicendum utique eſt, S. Annam quæ nobiliſſimum ebur illud produxit, Elephantem eſſe, id eſt, creaturam magnam atque ſtupendam, dignam quam omnes homines videant & obſtupeſcant. Richardus à S. Laurentio lib. 10. de laudibus B. Mariæ, Elephantem eſſe inquit animal *ſpectabilis & miræ magnitudinis.* Et S. Baſilius Magnus Congr. 9. Die 6. *vaſtæ molis hoc animal, & omnium terreſtrium maximum ad ſpectantium ſtuporem admirationemque natum.* Verum enim vero omnis hæc magnitudo univerſa dignitas & gloria qua S. Anna præfulget, ebori beatiſſimæ filiæ ſuæ debetur. *Bene per ebur ſignificatur Maria*, inquit idemmet Richardus à S. Laur. Ubi ſupra, *quia fortitudo Elephantis & nobilitas conſiſtit in oſſibus.*

23. Porro quia hucuſque S. Annam ob cæleſtem fælicitiſſimi uteri ſui partum glorioſam vidimus & magnam, nunc eandem ob idem motivum beatam conſideremus. S. Epiphanius de laudibus B. Mariæ B. Virginem laudare inſtituens, ipſam cælum appellat: *Dico enim illam eſſe cælum.* veriſſimum profectò cælum fuit, quia homines divino partu ſuo ad inſtar cæli cujuſdam beatificavit. Ipſa vix etiamnum nata, ecce totus mundus quaſi cœpiſſet eſſe beatus, antiquo planctu relicto, univerſalia feſtivitatis & lætitiæ ſigna prodidit. Unde Eccleſia eidem quoque dicit. *Nativitas tua Dei Genitrix virgo gaudium annuntiavit univerſo mundo.* In Breviario etiam Gallicano S. Annæ dicitur: *Tuus quidem partus mundum gaudio implevit & jubilo.* Unde perſpicuè inferre & dicere poſſumus, nos cælum & beatitudinem noſtram à S. Anna accepiſſe, ipſaque mediante nos eſſe beatos; ac tandem concludere; Quod ſi nos per receptam à B. Anna beatitudinem beati ſumus, quam ergo beata eſſe debet, quæ illam nobis beatitudinem contulit? *Beatius eſt magis dare quam accipere*, dicebat Chriſtus Dominus noſter, Act. 20. v. 35.

24. S. Joannes, uti ſæpè diximus, ſe beatiſſimam virginem in cælo, veſtitam ſole, luna calceatam, & ex ſtellis contextâ coronâ redimitam vidiſſe refert, hancque viſionem velut ingens & ſingulare miraculum proponit Apocal. 12. v. 1. *Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta ſole, luna ſub pedibus ejus & in capite ejus corona ſtellarum duodecim.* Et revera magnum quoddam miraculum vidit. Cælum namque in terra, & beatiſſimam Dei matrem in cælo, illuſtriſſimis cæli luminaribus decoratam conſpexiſſe ingens profectò fuit miraculum. Verum dic mihi in quanam terræ parte cælum & glorioſiſſimam virginem in illo conſpexit? in venerabili S. Annæ utero. Quouſque enim B. Virgo in ſuæ matris utero erat, in cælo erat veſtita ſole & lunæ calceis induta. Audite quid S. Annæ Beiſſelius ubi ſupra dicat:

*Anna geris ſobolem cujus Phœbi aurea veſtit*
*Flamma caput, niveos candida luna pedes.*

Tunc igitur cælum S. Annæ utero inerat, poteratque eidem dici, quod dictum olim Herculi fuerat ab Ovidio

*Quod te laturum eſt cælum prius ipſa tuliſti.*

Quaſi diceretur, cum alii homines ad hoc ut beati evadant in cælum aſcendant, cælum è contra ut ipſam beatam efficeret in ipſam deſcendit. Quam igitur glorioſa & beata eſſe debuit, quando ob cæleſtem partum ſuum cælum in utero ſuo portavit.

25. Non credo quod per *ſancta ſanctorum* alia perſona majori cum proprietate intelligi queat quam beatiſſima ſemper Virgo Maria. Sicut enim nulli alteri ſancta ſanctorum ingredi concedebatur, præterquam ſummo ſacerdoti, ita, inquit Richard. à S. Laurentio lib. 10. de laud. B. Mariæ, *Maria ſummum ſacerdotum, qui dicitur ſanctus ſanctorum, ſolum in ſe ſuſcepit.* Ad ſancta ſanctorum per duas portas aditus erat, quæ SS. Joachimum & Annam clarè ſignificabant, per quos B. Virgo ingreſſa eſt mundum. Quia vero duæ hæ portæ ex olivarum lignis fabricatæ fuerunt. *In ingreſſu oraculi fecit oſtiola de lignis olivarum*, inquit ſacer textus 3. Reg. 6. v. 31. ideo B. Virgo S. Annæ filia, meritò fructus olivæ eſt appellata: *Hæc eſt fructus olivæ, id eſt, S. Anna*, ſcribit Petrus Leidenſis Carthuſianus lib. 3. de Bonit. divina. Verè Dei Genitricis progenitores olivæ fuerunt, id eſt, verè proprieque miſericordes: ob ſummam namque pietatem & miſericordiam ſuam facultates ſuas omnes in tres partes diviſerant, quarum unâ templi miniſtri ſuccurrebant, alterâ vero fovebant pauperes, & peregrinos: ſuis vero neceſſitatibus applicabant quod

reliquum erat. Sancta igitur Anna vera oliva fuit, adeoque vera, ut inde nomen ſuum *Anna* ſortita fuerit, quod *miſericors* interpretatur, cujus oliva ſymbolum. Quod ſi igitur ii qui in egenos miſericordiam exercent: ob unum panem vel denarium pauperibus erogatum ipſiuſmet veritatis ore beati appellantur, Matth. 5. v. 7. *Beati miſericordes* quam igitur S. Anna beata erit, quæ Deo matrem, à qua ſibi lac eſt propinatum, donavit, nobiſque theſaurum, per quem ab æterna paupertate ſemper liberi eſſemus, contulit?

26 Ingens profectò fœminarum privilegium fuit, quod Deus Evam in terreſtri Paradiſo loco nimirum delitioſo & beato, extra vero Paradiſum in campis Damaſcenis Adamum creaverit, de quo mulieres merito gloriari, ſeque viris libere præferre poſſunt, ſicut homo Romæ natus in deſerto nato homini merito præfertur. Verum enimvero quod ſi Evæ quæ paulò pòſt peccatrix, & perpetua futura erat totius humani generis ruina in delicioſo loco, peculiari meruit privilegio creari, majus utique matri Dei privilegium debuit indulgeri, quæ præterquàm nunquam in vita ſua peccaverit, inſuper etiam æternæ hominum ſalutis cauſa fuit. Unde cum Eva in terreſtri Paradiſo creata fuerit, ipſa è contra in cælo generari & procreari debuit. In cælo equidem ut merebatur Beata Virgo genita fuit, quando in S. Annæ utero fuit concepta, quæ ob divinum partum ſuum cælo haud diſſimilis extitit. Quod ſi cælum, domus eſt Dei à SS. Trinitate inhabitata: ab eadem quoque ſanctiſſima Trinitate S. Anna tanquam domus Dei inhabitata fuit, *Domus Domini fuit B. Anna in qua B. Trinitas per gratiam habitavit* inquit Richardus à S. Laurentio lib. 9. de laud. B. Mariæ. Quam igitur S. Anna beata eſſe debuit, quæ cælum fuit, cum cælum beatitudine ſit refertiſſimum?

27. Etenim S. Mater Anna veriſſimum quoddam cælum fuit. Quid enim Deum per cælum intellexiſſe putas, cum ait: Iſaiæ 66. v. 1. *Cælum mihi ſedes?* Homines intellexit ſanctos & immaculatos, qui veluti ſi non homines, ſed Angeli fuiſſent, cælum hic in terris referebant. *Cælum mihi ſedes*, id eſt, inquit Hugo Cardinalis in c. 66. Iſaiæ, *in cæleſtibus viris, ſpiritualibus, & Angelicis habito.* Sicut Chriſtus quando Matth. 6. v. 10 dixit: *Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra*, per terram peccatores, per cælum ſanctos intellexit. *Sicut in cælo, id eſt, in ſanctis, & in terra, id eſt, in peccatoribus*, inquit idemmet Doctor in c. 6. Matth. Quia ergo mater Genitricis Dei adeo ſancta & perfecta fuit, ut teſte Damaſceno Orat. 1. de dormitione B. Mariæ: *Omnium virtutum genere floruit* (talis enim eſſe debebat, è cujus carne & ſanguine Dominus virtutum carnem ſuam & ſanguinem ſumere debebat) utique cælum quoddam & beatus quidam Paradiſus extitit. Et reapſe talis apparuit: nam ut in Breviario Gallicano dicitur: *Anna in terris converſatione, ſanctitate vitæ, morum honeſtate ſe exhibuit Paradiſum Dei.* Cælum igitur quoddam fuit S. Anna, & Paradiſus ſumma beatitudine cumulatiſſimus.

28. In Canticis c. 6. v. 9. Angeli de ſummo cælorum faſtigio B. Virginem Reginam ſuam intuentes ejuſdemque raras & admirabiles venuſtates admirantes, hunc in modum intra ſemetipſos introducuntur loquentes: *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi auroræ conſurgens?* In quonam obſecro terræ loco Angeli cæleſtes Dei matrem in hunc modum videre potuerunt? certè ex iis quæ nonnemo Angelorum S. Birgittæ dixit, & fortè unus ex illis, qui tunc Beatam virginem conſpexerunt clare ſatis colligitur, quod illam in ſanctiſſimæ Annæ matris ſuæ venerabili utero contemplati fuerint. Verba Angeli ſunt hæc ſequentia, quæ habentur in Revelat. D. Birgittæ ſerm. Angelico 1 *Clare enituit in Anna utero aurora conſurgens, quando in eo Maria corpuſculum vivificatum extitit, cujus ortum videre Angeli & homines tantopere deſiderabant.* Cauſa autem ob quam B. Virgo in matris ſuæ utero exiſtens, auroræ ſimilis apparuit, hæc fuit, quia nimirum innocentiæ originalis auro veſtita erat, aurora enim auro veſtitur, ideoque aurea dicitur, teſte Virgilio.

*Aurea fulgebat roſeis aurora capillis.*

Mira res! quando alii omnes tam viri quam mulieres in ventre matrum ſuarum adhuc reconditi, ſpoliati ſunt & veſtibus omnibus denudati, ipſa auro circumquaq; ſumptuoſiſſime veſtita erat. Auroræ quoq; ſimilis apparuit: quia rara venuſtate, admirandiſque ornamentis ſuis, quibus illam Deus tanta cum liberalitate & munificentia exornare nō eſt dedignatus, cæli volucres ad ipſam laudandam & glorificandam provocavit, haud ſecus ac aurora exſurgens cæli volucres ad laudes ſuas concelebrandas & decantandas provocare conſpicitur. Ideoq. *aurora* dicitur, id eſt, *avium hora*, vel quaſi *avium ora aperiens*, ut vult Richardus a S. Laurentio lib. 7. de laud. B. V.

illam

Illam quoque auroræ perſimilem apparuiſſe dicere poſſumus, quia ſicut aurora exurgens cælum deaurat, ita quoque mox ut B. Virgo in utero S. Annæ apparuit, eundem deauravit, & aureum reddidit. Quod ſi enim S. Hieronymo Epiſtola 43. ad Chromatium uterum fœminæ illius, quæ virtuoſiſſimos fuerat enixa filios, aureum appellare licuit: *Quia tales genuit, ejus vere venter aureus poteſt dici.* Utique majori cum libertate S. Annæ uterus aureus vocari meruit, utpote qui talem filiam mundo produxit, quæ ſanctitate ſua, non ſolum quemvis in hac terra ſanctum hominem, verum etiam omnes ſuperat in Paradiſo Angelos. Cum igitur aurora non niſi in cælo ſeſe conſpicuam præbeat, merito S. Anna cælum æſtimatur, & quaſi cælum beatitudine cumulatiſſima.

29. Merito Beatiſſima Virgo Maria, dum adhuc in matris utero eſſet, aurora appellata fuit ex hoc namque ſacro utero egrediens & naſcens, haud ſecus ac aurora quædam fuit à Paradiſiacis aviculis ſalutata; ab illis inquam muſicis, qui melodia ſua omnem ſuavitatem ſuperant, ſuoque jubilo replent Paradiſum. Verba illa Dei Job 38. v. 7. *Cum me laudarent aſtra matutina, & jubilarent omnes filii Dei*, ex mente Richardi à S. Laurentio ubi ſupra, de Virgine quoque Deipara intelligi poſſunt. *Poteſt dicere cum filio* inquit hic Doctor, *Cum me laudarent, &c.* Ejuſdem quoque opinionis eſt ſancta Mater Eccleſia, dum ita capit: *Egredimini & videte filiæ Syon Reginam veſtram, quam laudant aſtra matutina, & jubilant omnes filii Dei.* Porro Angeli aſtra dicuntur matutina, eo quod beatiſſimam Deiparam Virginem in ſacratiſſimi natalis ſui primo diluculo laudarint & deprædicarint. Pie namque credendum eſt, quod ſanctiſſima Anna divinam filiam ſuam pariente Angeli in terram deſcendentes, & prope ſanctiſſimam matronam pulcherrimam ordine diſtributi, divinum ejus partum dulciſſimis cantibus celebrarint atque laudarint. Unde

*Annæ tui fœtus natalem credere fas eſt,*
*Tecircum Angelicos concelebraſſe choros.*

dicit ei ubi ſupra Beiſſelius. Quod ſi enim in terrenæ alicujus Principis vel Reginæ partu humanos, cantibus tota regia adimpletur, cur in cæleſtis Reginæ natali Angelicis ſymphoniis non adſimpletur univerſa terra? Atque ideo cum S. Anna adhuc in terra exiſtens eos qui in Paradiſo perſonant, cantus audierit illam, quantum præſentis vitæ ſtatus ſufferre poteſt, beatam libere dicere poteris.

30. Omnino mihi perſuadeo, quod Angeli qui uti audiſtis, Beatiſſimæ Dei matris caput, ſub ſtellarum ſpecie circumdantes, coronabant: *In capite ejus corona ſtellarum* Apoc. 12. v. 1. ſignificare voluerint, ſe natalem beatiſſimæ Virginis per caput divinæ hujus infantulæ ſignificatum, ſua velle præſentia condecorare ac celebrare. Dicebat enim, ut quæ in fine vitæ ſuæ Angelis circumdanda erat, ab iiſdem quoque in capite, id eſt, in vitæ ſuæ principio cerneretur circumdata. Unde ſanctus Damaſcenus Orat. 1. de Nativit. B. Virginis, haud ſecus ac ſi illam dum in dulciſſimo matris ſuæ gremio lacte nutriretur, vidiſſet, eam hunc in modum alloquitur: *O ſanctiſſima filia quæ materni uberis lacte aleris, & ab Angelis undique cingeris!* Quis igitur S. Annam non dicet eſſe beatam, quæ dum cæleſtem in gremio ſuo Infantulam portat, undique numeroſo circumvallatur beatorum Angelorum exercitu? Sicut enim fieri nequit ut quis inter medios degat theſauros & dives non ſit, vel lautiſſimis accumbat epulis & ſatur non ſit, aut in delitiis verſetur nec tamen gaudeat, ſic quoque ut quis in medio ſit civium beatorum, & beatus non ſit non eſt poſſibile.

31. Famoſiſſimus Carmeli Vates Joannes Baptiſta Mantuanus in vita Tarquati Taſſi refert, quod dum hic Torquatus in aula Caroli IX Galliarum Regis degeret, ab eodem Rege interrogatus, quiſnam ſuo judicio eſſet beatior omnium in toto mundo, reſponderit: *Deus.* Cui cum Rex id clarum eſſe ſubjungeret, neque hac de re quidquam eſſe dubitandum, ideoque ulterius interrogaret, quiſnam poſt Deum beatior eſſet, reſponderit Torquatus: *Is qui Deo magis aſſimilatur.* Prudentiſſimum ſane ſapientiſſimumque reſponſum quia ut Gregorius Nyſſenus in Pſalm. inſcript. c. 1. inquit: *Definitio humanæ beatitudinis eſt, ſimilitudo cum divina: Omne illud quod ejus particeps eſt, beatum eſt.* Ex hac itaque Doctrina S. Annæ beatitudinem concludere debemus. Ipſa namque Deo adeo aſſimilatur, divinitatiſque adeo copioſe facta eſt particeps, ut veluti quædam in terris Dea viſa fuerit. Dicebat enim ut quæ Deum per filiam ſuam carnis ſuæ participem fecerat, Deus quoque illam ſuæ redderet divinitatis conſortem, ea namque eſt Dei immenſa liberalitas ut centum pro uno referat.

Ubi nos Cant. 6. v. 2. legimus: *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi.* Matthæus Cantacuzenus vertit: *Ego meo nepoti, & nepos meus mihi.* Id eſt, inquit hic Imperator: *Ego ei carnem prabuit & ipſe mihi divinitatem.* Quo in loco S. Anna propriiſſime loqui videtur, & dicere: ſicut ego nepoti meo filia mea mediante carnem dedi & humanitatem, ita ipſa ipſe per quendam eximiæ liberalitatis exceſſum me divinitatis ſuæ fecit eſſe participem adeo ut Dea potius, quam mulier vulgaris judicari poſſim. Quam igitur beata eſſe debuit, quæ Deo ſimilis, divinæque naturæ particeps facta fuit?

31. Quænam eſt cauſa quod Eccleſia tanta cum ſolennitate feſtum S. Annæ concelebret, eandemque inter novi Teſtamenti ſanctos recenſeat, cum tamen S. Anna ante Chriſti in hunc mundum adventum vixerit, ſicut Patriarchæ aliique Chriſti progenitores, ideo potius veteris Teſtamenti ſanctis ſit annumeranda? Reſpondeo quod licet S. Anna ante Chriſtum in hoc mundo, ſicuti & alii Chriſti proavi vixerit, quia tamen Chriſtum cognovit & vidit, quod aliis conceſſum fuiſſe minimè legitur, ideo ipſa inter novi Teſtamenti ſanctos reponitur, ſummiſque honoribus celebratur. De ipſa refertur quod octo poſt Chriſti Nativitatem menſibus vixerit, atque intra illud temporis ſpatium verbum incarnatum non ſolum viderit verum etiam tetigerit, amplexata & oſculata fuerit, & adorarit. Neque enim Eccleſia ſine cauſa in picturis ſuis, divinum inter ipſam & filiam ſuam infantem adpingere conſuevit. *Filium Dei ex filia ſua incarnatum agnoſcere, amplecti, atque adorare meruit*, inquit Dorlandus Carthuſianus de B. Anna; Unde & Eccleſia olim jam ejus recoluit memoriam, quia ad novum Teſtamentum pertinere viſa eſt, quia jam præſentem agnovit Chriſtum Redemptorem. Cum igitur S. Anna Paradiſi Regem viderit amplexata & oſculata fuerit, & adorarit, meritò beata cenſeri debebit. Quod ſi enim à Chriſto beati dicuntur, qui Chriſtum tantum ſunt viſuri (*Beati oculi qui vident, quæ vos videtis*, inquit Chriſtus diſcipulis ſuis, de ſemetipſo loquens Luc. 10. v. 23.) S. Anna pluſquam beata dici meruit, utpote quæ Chriſtum Dominum noſtrum non ſolum vidit, verum etiam in gremio ſuo fovit, inter brachia ſtrinxit, multa ipſi oſcula ſuaviſſime impreſſit, atque ex divino ejus ore nectar illud quo Paradiſi cives beantur & glorificantur ſibi attraxit.

33. Canticorum 8. v. 5. ingens quoddam explicatur prodigium, & inſolitus quidam ſtupor Angelorum ex mulieris cujuſdam aſpectu natus, quæ delitiis affluens è deſerto aſcendebat, illi quem viſceroſiſſime diligebat, confidenter innixa. Unde dicunt: *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto delitiis affluens innixa ſupra dilectum ſuum.* quaſi dicerent. Quænam eſt iſta, quæ tametſi in mundi hujus deſerto degat, ubi lachrymæ, labores, ærumnæ, & omnia poſſibilia mala abundant ipſa tamen dilecto ſuo innixa gaudiis & delitiis affluit & abundat? Mulier hæc S. Anna erat, nam ubi vulgata legit: *Innixa ſupra dilectum ſuum,* Theodoricus apud Geiſlerium in Cant. Legit *Innixa ſuper Nepotem ſuum.* Cum enim S. Anna vera fuerit matris Chriſti mater, Chriſtus utique nepos ejus fuit. Unde credo quod quando Angeli illam divino & dilecto nepotulo ſuo viderunt innixam, illam viderint Chriſtum in gremio ſuo foventem, & ſicut matres & nutrices ſæpè facere ſolent, faciem ſuam vultui Chriſti ſtrictiſſime affigentem, ut hac ratione divinis frui oſculis poſſit oris illius quod ſpirat Paradiſum. Et hinc natus eſt in Angelis ingens ille ſtupor & extaſis, quia illam per hæc oſcula tantis viderant affluere delitiis & gaudiis, quaſi non in hujus terræ deſerto, inter homines mundi hujus, ſed in Paradiſo inter æternæ gloriæ beatos poſita fuiſſet.

34. Qui fit quod Adam, dum Deus ad formandam Evam unam ex coſtis corporis ejus decerperet (*Tulit unam de coſtis ejus*, inquit Moyſes Gen. 2. v. 21. *& replevit carnem pro ea, &c.* nequaquam doluiſſe aut lamentatus fuiſſe legatur, cum tamen os aliquod adeo ingens, ſine acerbiſſimo corporis dolore ab ipſo excerpi non potuerit. Ratio ob quam Adam in hac coſtæ ablatione non doluit, hæc eſt, quia nimirum Deus mentem Adami tunc in Paradiſum inter Angelos aliaſque ſubſtantias glorificatas ſuſtulerat, eamque ineffabilibus beatæ illius civitatis delitiis frui fecerat. Unde cum animus ejus in tali loco à quo omnis dolor procul abeſt, omneſque delitiæ & gaudia affluunt degeret impoſſibile erat ut aliquem ſentire dolorem poſſet. Somnus ille quem Deus, uti divinus Chroniſta ibidem refert, Adamo accerſivit: *Immiſit Dominus Deus ſoporem in Adam*, fuit profunda quædam contemplatio, ſeu admirabilis quidam ad cæleſtem beatitudinem raptus & immiſſa extaſis. Nam ſi ſimplex quidam ſomnus fuiſſet, utique per

coſtæ

neſtæ abſtractionem evigilaſſet, acerboſque ſenſiſſet dolores. *Quomodo*, inquit Beda lib. de operibus ſex dierum, *immiſit Deus ſoporem in Adam, ut tantum ſoporem habuiſſet, ut coſtam de ſe abſtractam minime ſenſiſſet? Id intelligendum eſt, ut particeps eſſet curiæ Angelorum, intrans in ſanctuarium & intelligens in noviſſimis eorum.* Porro cum Petrus Galatinus lib. 7. de Arcanis cap. 8. in illa ſit opinione quod SS. Joachim & Anna eo tempore quo Beatiſſimam Virginem, ut ab Angelo intellexerant, procreaturi, conjugaliter conjuncti fuere, per altiſſimam quandam contemplationem, in qua in extaſin rapti erant, ab ordinario carnis fomite pro illo tempore fuerint purgati: *Fateor S. Ioachimum & S. Annam ſe conjugaliter copulaſſe, ob ardentem tamen devotionem, vehementemque contemplationem qua unanimiter in generatione beatiſſimæ Virginis intenti ambo tenebantur, fomes in illo actu penitus extinctus fuit.* Hinc neſcio num S. Annam illo tempore in Paradiſum elevatam fuiſſe, ibidemque cæleſtium delitiarum participem, ideoque beatam fuiſſe dicere debeam. Hoc ſaltem ſcio & indubitanter aſſero quod ſi Deus id in creatione Evæ quæ peccatrix & divini præcepti prævaricatrix futura erat, Adamo conceſſit, idipſum quoque S. Annæ concedere debuerit in generatione B. Virginis, quæ nequaquam peccatrix; verum ob admirabiles quæ in ipſa futuræ erant virtutes in filiam, ſponſam & matrem electa fuit.

35. Eccleſia Franciſcana in officio Conceptionis B. Virginis dicit, quod eo tempore quo Deus ſanctiſſimam matrem ſuam formavit, cæli tanta fuerint ſuavitate repleti, ut mel deorſum copioſe ſtillarint: *Melliflui facti ſunt cæli, dum fabricata eſt mater tanti Dei.* Quinam obſecro fuerunt cæli iſti, qui tunc tantæ meruerunt ſuavitatis eſſe participes. Fuere SS. Joachim & Anna. *Ioachim dicitur cælum*, inquit S. Vincentius ſerm. 2. de Nativit. B. Virginis. Porro S. Annam cælum etiam fuiſſe, ſuperius vidimus, ideoque nova probatione non indiget. De hac dulcedine qua hi cæli in cæleſtis filiæ ſuæ generatione resplenduerant, Deus per os Amos Prophetæ ſub montium ſymbolo loquitur c. 9. v. 13. dicens: *Ecce dies veniunt dicit Dominus & ſtillabunt montes dulcedinem.* Per hos montes autem S. Joannes Damaſcenus ſanctiſſimos Joachimum & Annam intelligit, dicens: *Ioachim & Anna tanquam ſpirituales montes, dulcedinem ſtillarunt.* Lætitia enim & ſpiritualis gaudium quo S. Anna in hora fœliciſſimæ conceptionis cæleſtis filiæ ſuæ perſuaſa fuit, adeo fuit immenſum & ingens, ut humanitus explicari nequaquam poſſit. *Cum anima mea ſanctificaretur, & corpori jungeretur*, inquit B. Virgo ad S. Brigittam in Revelat. D. Birgittæ lib. 1. c. 9. *tanta matri meæ advenit lætitia, ut impoſſibile eſſet dictu.* Cum igitur dulcedo & lætitia, quam Deus S. Annæ in illa hora præſtitit ineffabilis, & humanæ linguæ ad explicandum impoſſibilis fuerit, utique cæleſtis eſſe debuit, & quædam æternæ beatitudinis prælibatio. Sola namque cæli dulcedo humanitus explicari nequit. *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt eum*, inquit Apoſtolus 1. ad Cor. 2. v. 9. Sancta igitur Anna in illa hora beata fuit, cum enim illius facta ſit dulcedinis particeps, qua beati perfruuntur in cælis, quis illam beatam fuiſſe negabit?

36. Nec dubitandum nobis eſt, quin S. Anna in filiæ ſuæ Nativitate, eandem prorſus cordis lætitiam atque dulcedinem perſenſerit, quam ſenſerat in ejuſdem Conceptione. Glorioſiſſimus namque virginis natalis copioſiſſimus quidam ſpiritualium delitiarum fons fuit, qui per fælicisſimæ matris ſuæ uterum tranſiens, totumque mundum irrigans, ad cælos uſque pertigit, ibidemque Angelos, alioſque Paradiſi glorioſos ſpiritus ineffabiliter lætificavit. Unde in Breviario Gallicano dicitur: *Hodie nata eſt B. Maria, lætantur Archangeli & exultant, omnes Sancti, & congaudet omnis mundus.* Et quia, ut Richardus a S. Laurentio lib. 9. de laudibus B. V. de B. Virgine lætiſſimoq; ejus natali loquens inquit: *Fons terram irrigat, à qua oritur, & inde tranſit ad aliam irrigandam*, ideo neceſſum eſt ut priuſquam fons iſte terram & cælum irrigavit, matrem quam pertranſivit, enundaverit prius, & conſequenter cum tantam fons ille lætitiam ei attulerit, ut ipſos quoque lætificare potuerit beatos, ipſam utique certo quodam modo beatificavit.

37. Concludamus igitur & dicamus quod quicquid magnum, quicquid glorioſum, quicquid mirabile & ſtupendum in S. Anna fuit, id totum à glorioſiſſima ejus filia originem ducere, illi poſt Deum totum debet tanquam ſummæ gloriæ ſummæ ſuæ principali cauſæ. Notaſtiſne aliquando quod Eccleſia quæ Beatam Virginem gratiæ filiam nominare debebat, illam appellet gratiæ matrem? *Maria Mater gratiæ* inquit in Hymno quodam. Quodſi B. Virgo gratiæ filia fuit, quomo-

quomodo gratiæ mater eſſe potuit. S. Anna quæ gratia interpretatur, ipſam genuit, hæc ipſam pariens propria ejus mater fuit. *Gratia, nam hoc ſonat Anna vocabulum, Dominam parit, id enim Mariæ nomine ſignificatur*, inquit Magnus Damaſcenus lib 4. Orthod. fidei cap 15. Nunquid igitur B Virgo S. Annæ matris ſuæ filia & mater ſimul eſſe potuit, ut nunc filia, mox mater dici poſſit? Tametſi B. Virgo filia ſit S. Annæ, mater tamen ejuſdem matris ſuæ dicitur, *Mater gratiæ*, ut per innuatur, quod quiſquid boni S. Anna unquam poſſedit, id totum ab ejus glorioſiſſima filia originem duxerit. Sicut enim quicquid habent filiæ, id totum matribus ſuis debent, quæ eas pepererunt, ita quoque quicquid S. Anna unquam à Deo accepit, ſanctiſſimæ ſuæ filiæ debet in acceptis referre: quaſi in hoc ſenſu mater non eſſet mater, licet vere mater ſit, ſed filia, & filio non eſſet filia, ſed matris mater. *Maria mater gratiæ.*

38. O quanto gratiarum cumulo S. Anna ex eo quod gratiarum pepererit matrem, à Deo donata fuit! Quam Deus tot gratiis cumulavit, ut quidam videatur eſſe gratiarum abyſſus. *Abyſſus erat in corde Annæ*, inquit S. Vincentius ſerm. 2. de Nativit B. V. Tot facta eſt gratiarum particeps, ut cum illas intra animæ ſuæ margines continere & coërcere non poſſit illas quotidie foris effundat, illiſque qui ejus ſe precibus & ſuffragiis commendant, liberaliſſime & tanta cum abundantia communicet, ut qui illas in ſe experti ſunt, quorum ego ingratiſſimus & indigniſſimus peccator unus ſum, illam gratiarum matrem libere appellare poſſint. Neque hoc alicui mirum eſſe videatur, quia cum illa mater ſit Genitricis Dei & avia Jeſu Chriſti, neceſſum eſt, ut quicquid ipſa in cælis fieri deſiderat, id quoque velit cum filia nepos. Unde ei Beiſſelius dicit:

*Anna abs te nequeunt mortalia pectora fruſtra*
*Poſcere quidquid voles, nata Deusq; volet.*

PANE-

# PANEGYRICVS XXXIII.

## De S. DOMINICO glorioſiſſimo Sacri Prædicatorum Ordinis Patriarcha.

## THEMA.

Collocavit ante Paradiſum voluptatis Cherubim. Gen. 3. verſ. 24.

## ARGVMENTVM.

*Qui S. Patriarcham Dominicum videre meruerunt, dicere poſſunt ſe verum quendam carne mortali amictum vidiſſe Cherubinum.*

1. PEr quartum animal quod S. Propheta Ezechiel ſe juxta fluvium Chobar vidiſſe ſcribit, id eſt, per bovem, evangelicus prædicator intelligi debet. *Prædicatores ſancti boum nomine deſignantur* inquit S Gregorius Papa. Idem ab Apoſtolo ſub eodem ſymbolo intelligitur, quando 1. ad Cor 9 v 9. inquit: *Non alligabis os bovi trituranti.* Pulchrum ſanæ valdeque proportionatum ſymbolum. Bos quidam domitorum & manſuetorum animalium Rex eſt: Sic prædicator quaſi Rex quidam ſenſuales motus ſuos & eorum quorum ſalutem procurat, regit & domat. Bos inter omnia animalia homini eſt utiliſſimus: ſic quique prædicator utiliſſimus eſt homini, dum illum ab inferno, in quem ob culpas ſuas miſere præcipitandus erat, ereptum ad æternam beatitudinem perducit. Bos vomerem continuò ducit ut terra fructificare & germinare poſſit: Sic & prædicator linguæ ſuæ vomerem indefeſſe movet, ut terreni homines æternæ vitæ fructus germinare & producere poſſunt. Sane ad dignè pro meritis collaudandum S. Patriarcham Dominicum, magnum illum Prædicatorem, & Prædicatorum Patriarcham, aptiori & elegantiori uti ſymbolo nequaquam poſſem. Ipſe namque veluti generoſiſſimus bos quidam doctiſſimæ linguæ ſuæ vomerem per terram tot annis duxit, ipſamque fæcundatam incorruptibilibus fructibus implevit. Ipſe adeo mundo utilis fuit, ut die quadam ſanctitatis & doctrinæ ſuæ virtute mundum, ne in æternum rueret præcipitium ſuſtinere ſit viſus. Ipſe corporis ſui Rex factus, illud quotidie domabat, flagellabat, atque ſacrificabat pro eorum, quos ſpiritualiter regebat ſalute. Porrò

quia

quia ſymbolum illud nonnemini humile nimis videri poſſet, quam ut per illud ſanctus aliquis adeo famoſus & magnus, qualis fuit S. Dominicus, digne per hoc celebrari laudibus poſſit, ideo ſciendum eſt, quod bos ille a S. Ezechiel ca. 1. viſus & cap 10. reviſus, in Cherubim fuerit tranſmutatus *Forma vituli mutata fuit in Cherubin*, inquit Nicolaus Lyranus. Quis eſt qui ignorat S. Dominicum, qui ob raras virtutes ſuas cæleſtem ſapientiam, Pœnitentiam continuam, & ardentiſſimum animarum zelum admirabilis quidam bos fuit, adeo fuiſſe ab omni humano commercio ſpoliatum & nudum, ut Cherubim quidam fuiſſe viſus fuerit. Et forte Cherubim ille quem Deus in Paradiſo terreſtri ad delitioſi loci illius cuſtodiam collocavit, de quo Moyſes, Gen. 3. v. 24. dicit: *Collocavit ante Paradiſum voluptatis Cherubim*. Etenim ob hanc forte cauſam Dominicus appellatus fuit, quod nomen ſecundum interpretationem ſancti Antonii Archiepiſcopi Florentini 3. p. Hiſt. tit. 22. cap. 1. §. 1. interpretatur, *Domini cuſtos, id eſt, vineæ Domini cuſtos*, id eſt, Eccleſiæ, per terreſtrem Paradiſum ſignificatæ. Sane Dominicus quo tempore vixit tanta cum proprietate Cherubim mundo repræſentavit, ut ii qui eum videre meruere, teſtari potuerint, ſe non hominem ſed Cherubim quendam humana carne veſtitum conſpexiſſe, id quod ex iis quæ ad majorem hujus S. Patriarchæ gloriam dicturi ſumus evidentius apparebit.

2. Theodoricus vitæ ſanctiſſimi Patriarchæ ſcriptor egregius refert illum in utriuſque hominis vultu adeo fuiſſe ſpecioſum & pulchrum, ut omnes ad ſe conſpiciendum & admirandum homines invitarit, omniumque ad ſe amandum corda irretiverit. Ita enim loquitur lib. 4. cap. 8. apud Surium 5. Auguſti. *In ejus ſane utroq; homine tantus inerat decor & puritas, ut omnium in ſe & aſpectum & affectum provocaret. Erat ſtatura mediocri, corpore gracili, pulchra facie & rubicunda, &c.* Ne ipſum quidem Zeuxem, aut Apellem, aut alium quemvis famoſum peritumque pictorem tabulam aliquam adeo ſpectabilem, elegantem, & pulchram pingere aut perficere ulla ratione potuiſſe credo, ac S. Dominicus fuit. Imo ne ipſamet quidem Natura artium omnium artificumque Magiſtra ſimilis operis perfectionem aſſequi unquam potuit, utpote quod ſapientiſſimi illius pictoris opera abſolutum fuit, *qui celos colore pingit igneo. Corporis hujus membra*, inquit idemmet author, *finxerat omnipotens conditor*. Deus ipſemet artifex fuit qui illum formavit, & pictor qui illum venuſtavit & pinxit, Dei autem miraculoſa opera aſſequi nemo poteſt. Hoc igitur ſuppoſito hæreo dubius an S. Dominicus appellandus ſit homo, ſcio enim naturam tantam operibus ſuis perfectionem aut pulchritudinem dare nequaquam poſſe, quin eadem per aliquam illi impreſſam maculam deturpet. *Natura bonum ut plurimum, quæ hominibus, largitur, immiſcet mala*, inquit Diodorus Siculus, lib. 4. cap 4. Neque in operibus ſuis adeo eſt ſtudioſa, ut illa limare & perficere, ultimamque illis manum adhibere norit. *Nihil in ſimplici genere natura omni ex parte perfectum expolit, tanquam cæteris non habitura quod largiatur, ſi uni omnia conceſſerit*, inquit Cicero lib. 2. de inventionibus. Unde illum non hominem ſed Cherubinum appellare debeo. Homo aliquis depictus tantoque cum ornatu, decore, atque elegantia formatus, ut nulla in eo quantumvis parva & levis macula appareat, non homo ſed Cherubim eſt æſtimandus, Cherubim enim latine, *immaculata pictura* interpretatur.

3. Noſtiſne rationem dare cur cæleſtes illi ſpiritus in libro Jobi ſtellæ appellentur: *Cum me laudarent aſtra matutina*, dicitur Job 38. v. 7. & c. 25. v. 1. *Stella non ſunt mundæ in conſpectu ejus.* Ratio eſt, quia ob lumen & ſplendorem qui de ipſorum vultu vibratur & emicat, ſtellarum inſtar reſplendent. Et ob hanc rationem Sophronius Orat 6. de Angelorum Excellentia, illos *Lampades & illuminatores* appellat. B. Virgo S. Gabrielem Archangelum videns, non ſolum ob ejus inſolitam legationem turbata eſt & obſtupuit, verum etiam ob admirabilem qui de vultu ejus egrediebatur ſplendorem. *Turbata eſt in ſermone ejus*, inquit B. Thomas a Villa Nova Conc. de D. Michaele, *ſed non de ſermone tantum, ſed etiam de aſpectu, erat enim facie rutilans, veſte coruſcans.* Et cum Angelorum vultus ad inſtar reſplendentis ſtellæ deſcribitur, hominum facies è contra obſcuro alicui carboni ſimilis proponitur. *Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum* inquit de hominibus Jeremias Thren. 4. v. 9. Et jure merito ita dicitur, quia ſi corporalis hominum ſpecies & pulchritudo cum ſpirituali Angelorum comparetur, illa adeo eſt obſcura ut umbra hujus dici queat. *Corporalis pulchritudo ſpiritualis pulchritudinis umbra & tenuiſſima imago æſtimatur*, inquit Leo Hebræus Dial. 3 de amore. Unde quod ſi nos hominem aliquem viderimus, cujus vultus ſtellæ inſtar ſcintillaret & reſplenderet, quis illum æſti-

maturus hominem eſſet? Imo quia talis non hominis ſed cæleſtis potius ſpiritus faciem referret, eundem potius Angelum, Archangelum, Cherubinum aut Seraphinum quam hominem æſtimaturi eſſemus. *Per faciem quiſque cognoſcitur*, inquit S. Gregorius hom. 3. lib. 1. ſup. Ezechielem. Cum igitur S. Dominicus, uti idemmet refert Theodoricus, novum è vultu ſuo extraordinariumque vibrarit ſplendorem: *A fronte ejus & ſuperciliis quidam lucis radii micantes vibrabantur*, ex hoc utique ſigno illum non hominem, qualis revera erat, ſed unum è ſpiritibus cæleſtibus, Angelum nimirum vel Archangelum, aut Cherubinum æſtimare debebimus, prouti illum in hoc Panegyrico proponimus. *Per faciem quiſque cognoſcitur.*

4. Mel à quovis homine docto & erudito pro ſuavis, & gratioſi ſermonis hieroglyphico accipitur. unde Deus Cant. 4. v. 11. Sponſæ dicens: *Favus diſtillans labia tua, Sponſa mel & lac ſub lingua tua* q. d. Tua ô ſponſa labia dulciſſimæ cuidam phialæ ſimilia ſunt, ſub lingua tua abſconditum mel continuò diſtillantia dicere volebat, gratia & dulcedo quam in tuo ſermone perſentiſco non eſt minor dulcedine corporali quem experimur in melle. *Tanta eſt ſpiritualis dulcedo in verbis tuis, quanta corporalis eſt in melle* inquit Gloſſa in cap. 4 Cant. Unde quia Plato inter Philoſophos, Pindarus inter Poëtas, & Ambroſius inter ſanctos Doctores in ſermone futuri erant eloquentiſſimi, ſuaviſſimi, & gratioſiſſimi, ideo dum adhuc in cunis eſſent, in ipſorum ore mellificarunt apes. Hiſce itaque S. Dominicum quoque adjungere licet, in cujus ore, velut certum gratioſiſſimæ eloquentiæ futuræ præſagium, apes quoque viſæ ſunt in eo mellificantes: *Cum jaceret, aliquando in cunis examen apum circa os ejus volitans, linguam ejus divinæ ſapientiæ melle affluiturã indicabat*, inquit Theodoricus ubi ſupra lib. 1. cap. 1. Unde gratia & dulcedo ſermonis, dum S. Patriarcha loquebatur, tanta fuit ut nullus eſſet, qui illum non cupidiſſime avidiſſimeque audiret: *Diffundebatur gratia in labiis ſuis*, narrat idemmet Theodor. ibid. lib. 2. c. 3 *& audiebantur verba ejus cupidiſſime*. Ab infantia igitur & à primis cunabulis Dominicus verus demonſtratus eſt eſſe Cherubinus. Quod ſi enim infantem aliquem, adeò gratioſi ſermonis mel à labiis ſuis cerneretis ſtillantem, illum utique Cherubinum aliquem eſſe cenſeretis, in perſonato quodam gratioſo infantulo adumbratum. Nicolaus de Lyra in cap. 10. Ezechielis Cherubinum ex mente Hebræorum gratioſi cujuſdam infantis faciem referre ſcribit: *Cherub. eſt quaſi facies pueri gratioſi*.

5. Verum enimvero dicat fortè aliquis licet Dominicus eo tempore quo adeò gratioſus & dulcis puer erat Cherubinum aliquem repræſentare potuerit, neſcio tamen qua ratione poſtea, quando relicta pueritia factus eſt barbarus, Angelum, quem ſoli pueri referunt, repræſentare potuerit. Huic igitur reſpondeo S. Dominicum & quando parvus & quando magnus erat, & quando puer, & quando adultus, & dum imberbis & cum barbatus eſſet, ſemper verum quendam fuiſſe Cherubinum, utpote qui ad poſtremum uſque vitæ ſuæ diem, quando jam quadraginta & unum annos compleverat, puer ſemper permanſit. *Puer* enim idem ſignificat, quod *purus*, *Puer à puritate vocatus, quia purus eſt*, inquit S. Iſidorus, lib. 11. Ethymol. cap. 2. Cum igitur S. Dominicus in puritate ſua perpetuò perſeveraverat, adeò ut Deum mortaliter nunquam offenderit, ſemper utique puer permanſit. Unde Reginaldus hanc tantam ſancti Patris puritatem admiratus dicere non dubitavit: *Hic eſt, in quo Adam non peccavit*. q. d. licet Adamus omnes mundi homines peccato ſuo coinquinaverit, hunc tamen nequaquam vel minimum inquinaſſe videtur, utpote qui eandem ſemper vitæ puritatem conſervavit, in qua in florida pueritia ſua fuerat. Sanctus igitur hic Patriarcha ſemper puer, ſemper & perpetuo purus permanſit, & dum magnus & dum parvus eſſet, conſtans ſemper viſus eſt eſſe Cherubinus.

6. Ex quo David de Dei ſede loquens illam ex multis Cherubinis efformatam eſſe dicit, Pſal. 98. v. 1. *ſedet ſuper Cherubim*, cum Eccleſia eandem ſedem ex ſtellis formatam eſſe aſſerit. *Rex Regum ſtellato ſedes ſolio?* Num fortè ſuſpicabimur Eccleſiam diverſimodè ſentire ab eo quod quotidie addiſcit? Nequaquam id ſuſpicari licet, ſed potius dicendum eſt, unam eandemq; ſedem & à Davide & ab Eccleſia proponi. Et ſicut David altiſſimi ſedem è Cherubinis formatam eſſe dicit ita quia Cherubini ſub ſtellarum ſymbolo intelliguntur (*Angelos enim per ſtellas intelligi volunt*, ſcribit Pierius in Hieroglyphicis lib. 44. ideo Eccleſia eandẽ ſedem ex ſtellis efformatam eſſe aſſerit, per ſtellas Cherubinos intelligens. Unde perſuadere vobis debetis ſtellam illam quæ in S. Dominici fronte dũ baptizaretur, apparuit) nam ut

ut idem Theodoricus ibidem refert à Matrina ejus viſus fuit *ſtellam luculentam in fronte, ferens*) idem prorſus ſignificatum habuiſſe, haud ſecus ac ſi ſtella iſta hunc in modum locuta fuiſſet. Hic puer nequaquam homo æſtimabitur, tametſi revera talis ſit & futurus erit, ſed potius unus ex cæleſtibus ſpiritibus, & verus quidam Cherubinus. Unde ſtella illa in fronte hujus cæleſtis pueri conſtituta divina quædam Epigraphe erat, unde quilibet qui quidnam eſſet ſcire deſiderabat id ipſum facilè legere & magnitudinem ejus addiſcere poterat.

7. Stella iſthæc memorem me facit ſtellæ illius, quæ tres Magos Orientales è Perſide in Bethlehem uſque eſt comitata, ubi Chriſtum infantulum adoraturi erant. Hoc tamen in loco velim obſervetis, meum, quod ſtella iſta, poſtquam ad ſacrum præſepe pervenit, cæleſtis pueri capiti ſupereminuerit. *Antecedebat eos*, inquit S. Matth. cap. 2. v. 9. *uſque dum veniens ſtaret ſupra ubi erat puer.* Tametſi in eo loco B. Virgo mater ejus & S. Joſeph ejus nutritius, & fortaſſe nonnulli alii commorati fuerint, ſtella tamen illa nullius horum capiti, ſed ſolius Chriſti Jeſu vertici ſupereminuit: *ſupra ubi erat puer.* Quamobrem id factum eſſe creditis? Ad demonſtrandum puerum illum verum Dei filium eſſe Audite hac de re D. Chryſoſtomum hom. 7. in Matth. *Etenim ad locum perveniens, ſuper ipſum pueri ſtetit caput; oſtendens profectò Dei filium eſſe qui natus eſt.* Quod ſi ſtella ſuper Chriſti capite viſa ipſum Dei filium demonſtrabat, utique ſtella in S. Dominici fronte conſpicua ipſum quoque Dei filium eſſe indicare debebat. Cum hac tamen inter utrumq; differentia, quod cum illa Chriſtum naturalem Dei filium eſſe demonſtrarit; hæc Dominicum ſignificarit filium eſſe Dei adoptivum. Quis non videt quod eo ipſo quo ſtella hæc ipſum Dei declarat eſſe filium, ipſum quoque unum declaret eſſe cæleſtium ſpirituum, quaſi nō homo qualis revera erat & eſſe apparebat, ſed Angelus & Cherubinus quidā eſſe. Angeli enim Job 38. v. 7. à Deo filii Dei vocantur: *Cum me laudarent aſtra matutina, & jubilarent omnes filii Dei.*

8. S. Dominicus non ſolum puer & magnus exiſtens, verum etiam dum adhuc in utero matris ſuæ deliteſceret. Cherubinus quidam eſſe apparuit. Num aliquando Dominicanæ Religionis ſigillum conſideraſtis, quod catellum faculam ore ſuo ferentem repræſentat? Quidnam obſecro canis hic Lucifer ſignificat? Sanctum utique Patriarcham Dominicum, ſub hac namq; figura hic matri dum eum adhuc ſuo in utero ſerebat demonſtratus fuit: *vidit utero geſtare catulum, ardentem ore faculam ferentem*, refert Theodoricus. Per hoc namque ſymbolum Deus illi ſignificare voluit, eum in utero ſuo hominem claudi, qui ob raras quibus præditus erat virtutes, & talentum quod executurus erat, Cherubinus potius quam homo æſtimandus eſſet. Cum enim canis verum humanarum, gregum nimirum & hortorum cuſtodiæ ſit dedicatus Cherubinum illum ſignificare poterat, quem Deus ad horti deliciarum ſive Paradiſi cuſtodiam adhibuit Et quia Cherubin illi flammivomum manu ſua enſem ferebat: *Collocavit ante paradiſum voluptatis Cherubim & flammeum gladium atque verſatilem*, ut Moyſes Gen. 3. v. 24. inquit, ideo S. Dominicus non per ſolum canem, uti S. Bernardus matri ſuæ, demonſtratus fuit, ſed ut ad vivum, utajunt, valdèque propriè exhiberetur, indicatus eſt per catulum ardentem ore faculam ferentem. Porrò perſpicuè deinceps viſum eſt qualiter tanquam verus quidam Cherubinus per faculam zeli divini quam ore prædicando præferebat Eccleſiæ Paradiſum, ne hæretica pravitatis pedibus contaminaretur, aut prophanaretur, defenderit & cuſtodierit. Et quia hac in re ſe magnum valdè & admirabilem probavit, ideo S. mater Eccleſia ob meritorum ſuorum reſpectum filios ſuos in idemmet officium ſubſtituit Quid enim hæreticæ pravitatis inquiſitores aliud ſunt, quam totidem Cherubini, qui enſem manu ſua vibrantes, ſanctam Dei Eccleſiam generosè cuſtodiunt, ne ad eandem hæreſeos vipera aliquatenus ſubingredi poſſit. Inquiſitores, ob officii quod in Eccleſia Dei exercent, ſublimitatem ſunt veluti cæleſtes quidam ſpiritus: niſi enim tales eſſent Inquiſitores minimè nominarentur, nec haberent nomen ſubſtantiis cæleſtibus attributum Inter alia namque nomina quibus Sophronius Archiepiſcopus Conſtantinopol. cæleſtes ſpiritus notat, primarium eſt, quo illos vocat *Inquiſitores*, uti videre eſt in orat 6. de excellentiis Angelorum Tom. 2. Biblioth. SS. PP.

9. Qui ſacræ Scripturæ ſtudio vacant, eamque aſſiduè legunt, in ea utique invenient Deum Cherubinis adeò delectari, ut nullam juxta ſe & in domo ſua aliam creaturam velle videatur. Ad paradiſi fores, quas magno zelo cuſtodit, adhi-

buit:

bait Cherubinum. Moyſi quoque præcepit, circa aream, in qua commoratus erat, duos Cherubinos ſtatueret. Innumeros etiam in templo Cherubinos depingi voluit. Iter ad locum aliquem facturus, Cherubinis equorum loco inſidebat. Sedem aliam quam ex Cherubinis formatam ſedem non uſurpavit. Quænam autem cauſa eſt quod Deus Cherubinis tantopere delectetur? Quia videlicet ſunt velociſſimi, inquit Hieronymus Oleaſter in cap 26 Exodi. *Videtur Dominus Cherubinorum figuris, quæ ſunt maxima velocitatis, delectari. Ut oſtendat nobis quantum delectetur in iis, qui ſumma diligentia faciunt verbum ejus.* Atque ideo dum S Dominicum adeo in Dei ſervitio ſollicitum atque velocem conſidero, verè hæreo an hominem illum an verò Angelum ſeu Cherubinum quendam dicere debeam. Ex quo Theodoricus lib. 1. c 4. de modo quo S. Dominicus vitæ perfectionem & ſanctitatem ſibi acquiſivit, loquens, dicit ipſum adeo velociter tantaque cum ſollicitudine factum eſſe perfectum & ſanctum, ut unumquemque in ſui rapuerit admirationem: *Mira celeritate de virtute in virtutem progreſſus eſt, mirantur omnes tam ſubitam perfectionem.* Quomodo igitur illum appellare hominem poſſum, qui tanta cum ſollicitudine & velocitate factus eſt ſanctus atque perfectus. Homo repentè ſanctus fieri nequit. *Nemo repentè fit ſummus*, inquit S Gregorius Cherubinus igitur vocari debet, qui adeò velociter pro Dei gloria volavit, tantoque cum ſtupore religioſæ perfectionis culmen appræhendit

10 Cum S Bonaventura in civitate Aſſiſienſi de S Franciſco ſermonem habiturus, ſeptimum Apocalypſeos caput ſibi ob oculos ſtatuiſſet, in quo S. Joannes v. 2 ſe alium quendam Angelum vidiſſe refert ſigno Dei notatum aſcendentem ab ortu ſolis. *Vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei vivi*, cupidus ſciendi quiſnam ſanctus per Angelum illum ſignificaretur, genibus flexis Deum ut ſibi Sacramentum iſtud aperire & manifeſtare dignaretur rogavit; Et ecce vox de cælo lapſa ad eum dixit, per Angelum illum propriè ſignificari S. Franciſcum: *Frater Bonaventura, figura illa liber aliter dicta eſt de B. Franciſco,* ut refert Barthol. Piſanus 2. part. Conform. lib 3. fructu 3. part 2 Hoc igitur ſuppoſito attendendum benè eſt Apoſtolum non dicere ſe Angelum aliquem, ſed alterum Angelum vidiſſe: *Vidi alterum Angelum*, quaſi ante hunc viſum adhuc alium quendam vidiſſet, ita ut hic eſſet ſecundus. Quemnam autem putatis fuiſſe Angelum qui ante S Franciſcum fuerat viſus? S. Bernardin. part 2. ſerm. 60 in princ. opinatur Angelum hunc fuiſſe S. Dominicum, utpote qui anteceſſit S Franciſcum. En ipſiſſima ejus verba: *Vidi*, inquit *Alterum Angelum; præceſſerat enim ante eum Angelicus vir glorioſus Dominicus in Angelica vita pariter & doctrina* Cum igitur S. Dominicus Angelus quidam fuerit, quid mirum ſi illum dicamus fuiſſe Cherubinum: Eo ipſo enim quo præceſſit in Angelica Doctrina Cherubinus eſſe debuit, ad quem prout ex nomine liquet, quod *plenitudo ſcientiæ* interpretatur, ſcientia propriiſſimè, pertinet.

11. Ex quo Hiſtoria Lombardica nomen Dominicus (quod ut diximus idem quod *Cuſtos Domini* ſignificat) interpretans adjungit: id eſt, *gregis Domini*, manifeſtè innuitur admirabilis ardensque zelus quo S. Patriarcha pro animabus curæ ſuæ commiſſis flagrabat, ne aliqua ex illis in manus incideret lupi infernalis *Inerat enim pectori ejus mira quædam & pene incredibilis ſalutis omnium æmulatio*, inquit Theodoricus lib 1. cap 8. Cum igitur Dominicus adeò zeloſus fuerit Dominici gregis cuſtos, neceſſum eſt, ut Argus quidam fuerit, toto corpore oculis plenus, zelotypus enim merus eſt oculus, & zelotypiæ imago typica veſte aliqua oculis totaliter ſeminata & reſperſa amicta depingitur. Et ſanè merus oculus eſſe debebat, quando in unico temporis inſtanti omnes diſcipulos ſuos per totum mundum diſperſos conſpiciebat. *In momento temporis videbatur ei, quod filios ſuos per totum mundum diſperſos aſpiceret.* Hic igitur Dominicus oculis undique plenus, Cherubinus quidam potius, quam homo fuerit, neceſſum eſt. Cherubini enim, non vero homines pleni ſunt oculis. Sic enim Ezechiel cap. 1. v. 18. Cherubinorum Dei currum trahentium corpus deſcribens, ſe corpus illorum oculis undique plenum vidiſſe ſcribit: *Totum corpus oculis plenum in circuitu ipſorum quatuor.*

12 Fervor hujus S. Patriarchæ verbum Dei prædicantis, uti refertur, adeò erat ingens & admirabilis, ut verba ejus non verba, ſed flammæ, aut faculæ quædam eſſe viderentur, quæ corda auſcultantium auditorum mirè accendebant, compungebant, illuſtrabant Unde Theodoric. li. 4. c. 4. dicit: *ſermo ejus erat ignitus valdè, qui auditores*

*ditores mirè permoverет.* Porro dum in hujus mundi mari prædicabat, haud immeritò piſcis quidam cui lucerna nomen eſt, videri poterat, hic enim linguam igneam in ore ſuo ferens nocturno tempore, veluti lucerna quædam reſplendet: *ſubit in ſumma maria piſcis, ex argumento appellatus lucerna, linguaque eius ignea per os exorta tranquillus noctibus lucet*, inquit de hoc piſce Plinius lib. 9 c. 27. Erat enim Dominicus *lucerna lucens & ardens.* Joan. 5. v. 35. quia pro mundi ſalute interius tanto zelo ardebat, tantoſque foris de ſe ſplendores vibrabat, ut mundum illuſtraret. Idipſum facula illa innuere volebat, quam ipſe ſub catuli ſymbolo, uti diximus, in ore ſuo circumtulit. Idem quoque per ſtellam illam ſignificabatur, quæ in ejus fronte reſplendebat. Unde Eccleſia in ejus feſto hodie dicit: *Deus qui Eccleſiam tuam B. Dominici Confeſſoris tui illuminare dignatus es meritis & doctrinis* Vere igitur lucerna quædam erat: *Quaſi lucerna ſuper candelabrum poſita factus eſt omnibus vitæ ſpeculum, ſanctitatis exemplar*, inquit Theodoricus li. 1 c. 4. Qui igitur hoc modo inter homines lucebat, aliud quam Cherubin quidam eſſe non poterat. Cherubim namq; quia ex proprio officio humana corda illuſtrant eademq; ad Dei notitiam promovent, ſplendidiſſimi proponuntur: *Cherubinorum officium eſt promovere homines ad divinam cognitionem; ideo præ cæteris dicuntur lucere*, inquit Albertus Campenſis Theol. lib. 2. cap. 14.

13. Peſſima res eſt, cum homo aliquis mundo & ſenſualitati totaliter eſt deditus, talis enim quaſi in animal quoddam irrationale & beatitudinis incapax, transformatus eſſet, ſpem ſuam in hac tantum præſenti vita repoſitam habet. Eſtque veluti Sardanapalus, qui ſenſibus in prædam datus tantum vivit, ut eſca fiat ignis infernalis. Econtra vero res optima eſt, cum homo totaliter eſt in Deum abſorptus; hoc tamen, quamdiu in hac vita ſumus, obtineri perfectè nequit; neque enim ita in Deum intenti eſſe poſſumus, quin etiam ad corpus attendere debeamus. Nullus enim in hac vita eſſe poteſt, cui non ſit opus edere, & bibere, veſtiri, dormire, & ad alia corpori conſervando neceſſaria negotia attendere, cum nulli ſe indiſcretè tractare & occidere liceat. Id ſolis conceſſum eſt Paradiſi ſpiritibus, hi enim ſolum & totaliter ſunt Dei & in Deum intenti; hi utpote à ſarcina illa qua homines in terra ſunt onuſti, & ab omni alia ſimili obligatione immunes & liberi, ſunt in Deum totaliter abſorpti. Verum enimvero quid de S. Patriarcha Dominico, dicturi ſumus, quem corpus ſuum, dum viveret, tanta cum auſteritate & rigore tractaſſe legimus, quaſi non corpus proprium, ſed infeſtiſſimum & juratum ſuum tractaſſet inimicum. Tanta enim cum auſteritate & rigore illud quotidie affligebat, caſtigabat, diſciplinis cædebat, & crucifigebat, ut omnibus ſummæ eſſet admirationi. *Quotidie crucifigebat carnem & mortificabat membra ſua immodica auſteritate*, inquit Theodoricus lib. 1 cap. 8. Totus Dei erat, ideoque Dominici nomine digniſſimus, quod *Totus Domini* interpretatur. Dicendus igitur eſt non homo, ut cæteri homines, ſed Cherubim, cæleſtis, quidam ſpiritus, quædam a corpore ſeparata ſubſtantia, Deo inſeparabiliter unita.

14. Quænam eſt cauſa, quod cum Chriſtus Matth 7. v. 7. dixerit: *Petite & dabitur vobis*, Deus tamen nobis multa ab ipſo poſtulantibus, nihil eorum concedat? Cur cæleſtis Magiſter nos petere docet noſque de rebus petitis certo obtinendis ſecuros facit, ſi quod nos petimus non recipiamus? Quando Chriſtus nobis dixit: *Petite & accipietis*, nos ſapientes & loquendi peritos eſſe ſuppoſuit. Perſæpe quod petimus non obtinemus quia quo modo id à Deo petendum ſit, ignoramus. *Petitis, & non accipitis eo quod male petatis*, inquit S. Jacobus Apoſtolus cap. 4. v. 3. Vult Deus ut homo perfectè artem orandi ſciat, ut quod ſibi eſt neceſſarium, impetrare valeat. Ex hoc igitur colligere poteritis quam ſapiens fuerit S. Dominicus, utpote qui Deo nunquam rem aliquam in oratione propoſuit, quam ſimul etiam non impetrarit. *Confiteor hoc tibi*, dixit quodam cuidam familiari amico ſuo Bononiæ, *me nunquam quidquam in hac vita poſtulaviſſe à Domino, quod non pro voto impetrarim.* Ab hac Dominici ſapientia facilè cognoſcitur ipſum potius Cherubim aliquem quam hominem fuiſſe. Quod ſi homo ſapuiſſet, dignitatem illam, in qua eum Deus creaverat, conſervaſſet; quia verò ſtolidus factus eſt & ignorans, ideo & ſummum honorem amiſit, & velut brutum quoddam animal evaſit: *Homo cum in honore eſſet, non intellexit comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*, inquit Propheta Pſalm. 48. v. 13. Dominicus non eſt viſus homo, non fuit ignorans, optimè eruditus fuit tam in iis, quæ à Deo poſtulanda erant, quam in omnibus aliis negotiis ſuis, Cherubinus quidam fuit ſcientia

plenus,

plenus. *Cherubim plenitudo ſcientiæ* interpretatur.

15. Quidnam obſecro S. Paulum Apoſtolum fuiſſe exiſtimatis? Num forte hominem aliis hujus mundi hominibus ſimilem? Homo utique fuit, neque enim id negare poſſumus, verum adeo mutatus, atque ab aliis hominibus diverſus, ut non homo ſed Cherubim quidam æſtimatus fuerit. *Vis videre Cherubim*, inquit S. Bruno de laudibus Eccleſiæ cap. 4. *reſpice Paulum.* Tanta in Apoſtolo fuit ſcientiæ & ſapientiæ plenitudo, ut quendam in terris Cherubim repræſentarit. Verus quidam Cherub eſſe debebat, qui ut alibi ſuo loco diximus, in ſchola Paradiſi ubi ſpiritus Cherubici docentur, divinaque adimplentur ſcientia, tantam ſcientiam & ſapientiam hauſit. Quia igitur hic Cherubim S. Dominico in Eccleſia S. Petri Romæ oranti die quadam apparuit, eidemque librum quendam (per quem uti Archiepiſcopo Genuenſi Jacobo de Voragine ſerm. 2. de S Dominico, placet *intelligitur divinum ſcientia*) in manus porrigens dixit: *Vade, prædica, quia ad hoc miniſterium es electus*, videtur ſanctum hunc Patriarcham divina ſcientia adimpleviſſe, eumque in Cherubim quendam, qui uti diximus, *Plenitudo ſcientiæ* interpretatur, transformaſſe. Sicuti enim à Leone leo, ab homine alius homo procreatur, ſic Cherubicus Apoſtolus Dominicum veluti alium quendam Cherubim effecit.

16. Quandoquidem pœnitentia à Deo ad animam à peccati ſpurcitie emundandam, expurgandam, & ſanctificandam ſit ordinata, quidnam S. Dominicum permovit, ut qui adeo ſanctus, adeo mundus, adeoque ab omni humana imperfectione expurgatus erat (cujus etiam corpus tanta erat puritate præditum, ut aliarum animarum ſpurcities emundare poſſet: *Munditiei puritate caro ejus pollebat: cujus odor tam mirabiliter mentis ſordes purgabat*) rigoroſiſſimam tamen ad mortem uſque facere pœnitentiam ſemper jejunare, vigilare continuo, ſeque quotidie ſæpius cædere, & catena quadam ferrea cædere voluerit? Tametſi adeo eximie ſanctus & purus eſſet, ut alios quoque ſanctificarit & puritate imbuerit tantam tamen facere pœnitentiam voluit, ut Cherubim quidam fieret. Unde bene attendendum, quod cum Deus Exodi 25. v. 18. Moyſi præciperet, ut duos ex utraque parte oraculi Cherubim erigeret, hiſce eum verbis ſit allocutus: *Duos Cherubim aureos & productiles facies ex utraque parte oraculi*: Ubi notanda ſunt verba illa (*aureos & productiles*) ut enim ad vivum fierent illos ex auro & ad martelli ictum fieri voluit. Verum inquies, nunquid ſufficiebat illos ex auro fuſo ſine martello adhibito efformare? Reſpondeo Cherubinos fabricaturus, neceſſario illos ex auro, & per repetitos ſæpiſſime malleorum ictus facere debebat; neque enim Cherubini aliter fieri poſſunt quaſi dicere voluiſſet, ut homo in Cherubim transformetur, non ſolo opus eſt auro puritatis, verum etiam pænitentiæ martellus neceſſario requiritur. Unde qui ex una parte purus eſt & ſanctus, ex altera vero parte ſeſe affligit, caſtigat, macerat, Cherubim potius quam homo æſtimari debet. *Hac Angelica forma*, inquit Richardus de S. Victore in Allegor. *Tabernaculi fœderis jubetur eſſe ductilis & aurea: ut igitur ſit aurea, contemplatoris mens purgetur, ductile feriendo producitur. Cherubim noſtri ductiles eſſe jubentur.* Tametſi S. Dominicus ad inſtar auri mundus & ſanctus, atque ab omni humana immunditie expurgatus eſſet, ſe tamen catena ferrea cædebat, & aſperrimæ pœnitentiæ martello macerabat, probe ſciens, quod ad hoc in verus Cherubim evaderet, ſua innocentia minime ſufficiat, ſi eum deſtituat pœnitentiæ martellus *Cherubim noſtri ductiles eſſe jubentur.*

17. Nicolaus de Lyra in cap. 10 Ezechielis dicit, quod Ezechiel juxta fluvium Chobar vitulum quendam viderit, & poſtea alibi Cherubim videns Ezech. c. 10. v. 15. dixerit: *Ipſum eſt animal quod vidi juxta fluvium Chobar*, id ex nonnullorum opinione factum eſſe ob ſimilitudinem quæ eſt inter faciem vituli, & faciem Cherubini. *Dicunt aliqui, quod facies bovis ſive vituli, eſt multum ſimilis faciei Cherub.* Ratio enim ob quam Propheta prima vice, quando Cherubim vidit, ſe vitulum vidiſſe dixit, non eſt, quia revera vitulum viderit, vere namque Cherubim quendam conſpexerat; ſed quia cum facies Cherubica, vitulinæ ſpeciei perſimilis exiſtat, videndo Cherubim vitulum ſe vidiſſe arbitrabatur. Sciendum autem quod vitulus quia in antiqua lege divinis erat ſacrificiis dedicatus, Chriſti Martyrem ſignificet, qui veluti vitulus quidam Chriſto ſacrificatur. Cum autem vitulus iſte faciem Cherubico vultui ſimilem habere dicitur, per hoc innuitur, eum qui pro amore Chriſti ſanguinem ſuum fundit, & vitam prodigit, potius cæleſtis cujuſdam ſpiritus, quam hominis vultum habere. Attendatis velim

S. Prothomartyris Stephani faciem pro eo tempore, quo veluti vitulus quidam pro Chriſti honore ſacrificabatur, velim attendatis, videbitis enim, illum non hominis, ſed Angeli ſpeciem in vultu referre, ſicut ab iis qui juxta illum aſtabant palam viſus fuerat: *Intuentes in eum omnes, qui ſedebant in concilio, viderunt faciem ejus tanquam faciem Angeli*, inquit S. Lucas Act 6 v 15. Etenim licet S Dominicus Confeſſor & non Martyr fuerit, utpote qui pro Chriſti Jeſu honore & amore ſanguinem ſuum minime fudit; inter Martyres tamen annumerandus venit, dum enim in aliquo Martyrum deſiderio, non vero deſiderium Martyrio deeſt, vere is exiſtimandus eſt Martyr eſſe: *ſicut enim diſcipulus ille, quem diligebat Ieſus*, inquit Theodoricus lib. 1 cap. 8 *calicem Domini bibit, tametſi ſanguinem non fudit quod animo mortis ferendæ prompta voluntas non deeſſet: Ita Dominicus propter ardentiſſimum patiendi deſiderium palmam Martyrii non amiſit.* Dominicus itaque vitulus quidam myſticus fuit, in proprio deſiderio pro Chriſto ſacrificatus & occiſus, igitur Cherubim potius quam homo fuit.

18. Quis uberrimas lacrimas, & continua ſancti Patriarchæ ſuſpiria digne ſatis explicare poterit? *Audiebant eum ingemiſcentem ad Dominum, medullituſque ſuſpiria trahentem*, inquit Theodoricus lib 4 cap 3. Adeo uberes fundebat lacrimas, ut ex oculis ſuis duos feciſſe fontes videretur: *De oculis ſuis quaſi quendam fontem lacrimarum effecerat*, inquit Author Hiſtoriæ Lombardicæ Cur autem adeo ubertim plangebatur? Quia non jam amplius homo, ſed ex homine in Cherubinum transformari volebat. Quia enim lacrimæ purgant & lavant, quicquid in anima turpe eſt atque terrenum illamque pulchram efficiunt (*Sordida lavant, decorant fœda*, inquit de lacrimis Petrus Cellenſis de panibus cap. 12) ſuſpiria autem, quicquid divinis poteſt oculis diſplicere, corde extrahunt, ideo ipſe quicquid humani aut terreni habere poterat, amaris adeo lacrimis atque ſuſpiriis purificare conabatur & expurgare, ut vel ſic non jam deinceps homo aliquis, ſed unus videretur eſſe ex cæleſtibus ſpiritibus, ſeu verus Cherubinus. Hoc enim eſt artificium præſtantiſſimum, quo adhibito homo ſe in Cherubim valet transformare. *Optimus utique artificii modus, ſuſpiriis gemitibuſque inſiſtere, ſi vis producibile facere, Cherubimque formare*, inquit Richardus de S. Victore de contemp. par. 1. cap. 7.

19 Quotquot in Romana curia degunt & nutriuntur viri docti, adeo cenſentur excellentes, magni & profundi, ut ſi quis alius vir egregie doctus, atque ob literarum præſtantiam celebris in patria ſua atque famoſus Romam ingrediatur, is mox obſcuretur, & hactenus comparatam ſibi famam totaliter amittat. *Quemadmodum terræ flumina*, inquit Pius Pontifex hujus nominis 11. lib. 11. Comment. *quamvis ampla & profunda, nomen amittunt ingreſſa mare, ita & Doctores domi clari, & inter ſuos illuſtres Romanam adeuntes curiam, inter majora lumina nomen & lucem amittunt.* Quia igitur negare nemo poteſt S. Dominicum eo tempore quo in Hiſpania & Francia contra perfidos Hæreticos laboravit, magnam ſibi non tantum ſanctitatis, ſed etiam excellentis Doctrinæ famam comparaſſe, videamus nunc qualem ſibi Romanæ curiæ vaſtum mare ingreſſus, apud omnes opinionem conciliarit. Tanti ab omnibus æſtimatus fuit, talemque ſibi Doctrinæ famam apud omnes paſſim acquiſivit, ut non ſolum nequaquam ab aliis fuerit obſcuratus verum etiam veluti totius Romanæ curiæ doctiſſimus, in ſumma fuerit veneratione & reverentia habitus: ſummus namque Pontifex voluit, ut S. Pauli Apoſtoli Epiſtolas præſentibus omnibus Cardinalibus, aliiſque Romanæ curiæ Prælatis exponeret, ipſumque ſacri Palatii Magiſtrum elegit. Adeo profunda erat ſancti hujus Patriarchæ ſapientia, ut ſummorum fuerit Magiſtrorum Magiſter electus. Verus igitur Cherubim fuit, qui ob ſapientiæ plenitudinem interpretatur *Magiſter*.

20. Quidnam exiſtimatis gentiles ſignificare voluiſſe, quando Minervam (ſub cujus ſymbolo ſapientiam intelligebant) armatam & Gorgonæ imaginem in pectore ferentem depingebant? aliud profecto nihil, quam quod homo doctus & ſapiens adverſariis ſuis terribilis exiſtat. Gorgona enim terribilis & monſtroſa quædam imago erat. *Gorgona Minervæ addunt in pectore, quaſi terroris imaginem, ut vir ſapiens terrorem contra adverſarios geſtet in pectore*; inquit Fulgentius in Mythol. S. Patriarcha Dominicus Minerva quædam armata, & Gorgonæ imagine in pectore ſuo munita fuiſſe videtur. Hæreticis enim adverſariis ſuis armatus quidam Leo erat, qui eoſdem ſolo rugitu terrebat, & pellebat in fugam. *Præliabatur prælium, Domini cum lætitia, ſimilis factus leoni in operibus ſuis*, inquit Theodoricus lib. 1. c. 7. In omni vita ſua adverſus Catholicæ veritatis inimicos dimicans manibus ſuis arma ſemper tractabat; Nunc enim armis utebatur

ſapien-

ſapientiæ, nunc boni exempli, mox orationis, paulo poſt humilitatis & patientiæ, & ſic deinceps Ab infami illa gente deridebatur, vituperia patiebatur & convitia, omnemque incuriam admirabili cum patientia ſufferebat Num igitur hominem illum vocabitis qui pro majori Dei ſervitio, cum Dæmonio ejuſque miniſtris generosè ſemper decertans, armatus ſemper erat: Non ſane, ſed Cherubinum potius diceretis. Quia enim Cherubim armis ſuis cum ſuperbo Dæmone ſuiſque conjuratis decertavit, eumque devictum in Infernum præcipitem egit, ideo *Cherub* eſt appellatus, quod *pugnans* interpretatur.

21. Peregrinum fortaſſe, valdeque improprium videbitur, quod hominem Cherubico ſpiritui aſſimilare contendam, cum utriuſque ſtatus adeo ſit diverſus, atque a ſe invicem diſſitus. Cum enim Cherubim, utpote in cælo ubi ſumma beatitudo eſt, exiſtens, beatus ſit: homo econtra in terra, ubi ſumma eſt miſeria, degens eſt miſer Quidnam intereſt viatori alicui, cum comprehenſore; miſero cum beato; incolæ paradiſi, ubi nulla eſt ærumna nec planctus, nec ullum malum, cum habitatore terræ, ubi nil aliud videtur quam ærumnæ, miſeriæ, & ingens quoddam lacrimarum mare? Quidnam Cherubino cum Dominico commune eſt, ut adinvicem comparari poſſint? Veruntamen dico peregrinam forte & impropriam hanc comparationem futuram eſſe, ſi Dominicus homo eſſet, aliis mũdi hujus hominibus ſimilis; nunc vero eſt ab aliis diverſus. Cum enim alii homines corpore ſimul & anima in terra vivant; ipſe econtra licet corpore tenus in terra in aliorum hominum contubernio & ſocietate vixerit, anima tamen tenus in cælo in conſpectu & præſentia Dei, in Angelorum aliorumque beatorum ſpirituum ſocietate vivebat: *In corpore degens vir ſanctiſſimus, & inter peccatores verſans, cum Deo & Angelis animo degebat*, inquit Theodoricus lib. 4. c. 9 In terra erat, ac ſi in terra minime fuiſſet, ſolo duntaxat corpore in terra erat, reliqua ſui parte totus erat in cælo. Idipſum evidenter teſtabatur continua lætitia & vultus ſui jucunditas. *Vultu erat ſemper hilari & jucundo* dicit idemmet ſcriptor ubi ſupra cap 8. Quia enim in cælo erat, ubi omnes lætantur, nõ vero in terra, ubi omnes mœſti ſunt læto ſemper & jucundo vultu erat. Omitto hic dicere S. Dominicum unica ſaltem vice ad inſtar cujuslibet alteri⁹ beati & incolæ paradiſi dici potuiſſe beatum, tunc videlicet, quando ei apertum eſt cælum, ſuoſque Religioſos ſub Reginæ Angelorum pallio ſimul vidit collectos. In illa viſione, inquit S. Antoninus certum quendam citans authorem parte 3. Hiſt. Tit. 22. cap. 1. Scholaſticè dici potuit Dominicum Deum per propriam ſuam vidiſſe eſſentiam, haud ſecus ac illum vidit S. Paulus Apoſtolus, ac conſequenter fuiſſe beatum *In dicta viſione poteſt dici Scholaſtice non aſſertive, quod Dominicus viderit Deum per eſſentiam, ut Paulus in raptu*, inquit ſanctus ille Archiepiſcopus. Cum igitur ſanctus Patriarcha in hac vita beatus vel qu ſi beatus fuerit, haud immerito ipſum beato cuidam Cherubim ſimilem dixero.

22. Quia nonnulli authores Idiomatis Hebraici optime periti, exiſtimant, quod optime interpretetur *pictus*, id eſt, pictura, ſeu figura, aut effigies expreſſa alterius; merito quæri poteſt cujuſnam Cherub effigies aut pictura fuerit? Ad quod reſpondeo Cherub picturam & effigiem quandam eſſe Chriſti Filii Dei. Duo Cherubim, quos Moyſes ex divino præcepto ad utrumque arcæ latus collocavit, figura & effigies Chriſti erant *Geminus Cherubinus, geminam Chriſti naturam ſignificat*, inquit Georgius Venetus Cant. 1. 1 Tit. 4. c. 3 ſicut enim in Chriſto, ut Apoſtolus ad Coloſſ. 2. v. 3 inquit, *ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei*, ita quia Cherubim divina ſcientia plenus eſt, plenitudo aut multitudo ſcientiæ dicitur. Eſtq; vera Chriſti figura & effigies, quidamque Chriſtus ad vivum depictus. Cum igitur S Dominicus viva quædam fuerit Chriſti effigies, & Chriſtus quidam depictus, alius quam Cherubim eſſe non potuit. Quodſi enim Apoſtoli Chriſto adeo ſimiles fuerunt, ut ſicut alibi diximus, veluti totidem Chriſti, cur non homo talis, qui vitam Apoſtolicam non ſolum quoad ſe duxit ſed etiam inter alios introduxit, quædã Chriſti effigies dici poterit? Quodſi Virgines ob puritatem ſuam Chriſtum repræſentant, ideoq; ut dicitur Apocal. 14. v. 1 *Habent nomen ejus ſcriptum in frontibus ſuis* ut qui eas debito compellare nomine neſciret, frontem illarum aſpiciendo, ibique Chriſti nomen perſpicuè legens, ipſas Chriſtos appellare cogeretur, quaſi Chriſti figuras Chriſtum proprie repræſentantes. Certe cũ Dominicus ſemper Virgo permanſerit purus & incontaminatus, Chriſto utique ſimilis, & quædam Chriſti imago erit. Quodſi homo aliquis Crucifixus adeo per omnia Chriſto eſt ſimilis, ut Chriſtus in ipſo vivere videatur, prouti Apoſtolus tot modis Crucifixus de ſemetipſo dicebat..

bat, utique Dominicus qui corpus tot crucibus affixum per hunc modum trahebat, vera & viva quædam Chriſti pictura erit. Id quod adeo certum eſt & verum, ut ob id Chriſti quoque nomen meruerit, ita ut cum Chriſtus dicatur *Dominus*, ipſe nominetur *Dominicus*. *Quia Chriſto fuit ſimilis, à Domino Chriſto aptiſſime nominatus eſt Dominicus*. Verus quidam Cherubim fuit, vera quædam fuit Chriſti pictura & effigies, & Chriſtus quidam ad vivum depictus.

23. Quænam eſt ratio, quod Eccleſia antiquitus feſtum S. Dominici quinta die Auguſti celebrare conſueverit, in die nimirum quo feſtivitas B Virginis Mariæ concelebratur. Indecens enim fuiſſe videtur feſtivitatem illam jam dicto die celebrare, ideoq; decentius celebrata fuiſſet vel die antecedenti, uti hodie fieri aſſolet, aut vero die ſequenti; Pro feſto namque B. Virginis, illud ſapientis conſilium Proverb. 14 v. 1 obſervari debuiſſet, dicentis: *In gaudio ejus non miſcebitur extraneus*. S Antonius p 4 tit. 15 cap 24 §. 3 dicit id factum eſſe, ut per hoc innueretur B. Dominicum peculiarem fuiſſe B Virginis filium & alumnum, ideoque ejus tanquam filii, non vero extranei ſolemnitas, in benedictæ matris ſuæ feſtivitate celebrari nequaquam indecens aut indecorum erat. Verba S Doctoris præfati ſunt ſequentia: *Diſpenſative diſpoſuit divina ſapientia, ut in die B Mariæ Majoris agatur feſtum B. Dominici Patris noſtri, qui filius ſingularis adoptivus fuit ipſius; nam naturalis dictus eſt Dominus, adoptivus Dominicus*. Vere etenim S. Dominicus à B. Virgine amabatur & tractabatur ut filius, ſicut enim matres filiis ſuis de neceſſariis provident veſtimentis, imo ipſamet quoque B Virgo naturali & unigenito filio ſuo de veſte inconſutili, quæ miraculoſe deinceps cum divino Chriſti corpore creſcebat & augebatur proſpexit: ita quoque Dominico de veſte quam ipſe deinceps & fratres ordinis ſui in hoc mundo palam portaturi erant, proſpicere voluit. Veſtis enim alba & cappa ſeu chlamys nigra, qua Patres Dominicani veſtiuntur, S. Patriarchæ à B. Virgine fuit demonſtrata, illa in puritatis hæc vere in humilitatis ſymbolum. *Cui ob eximiam puritatem*, inquit idem Doctor ubi ſupra de Beatiſſima Dei Matre loquens, *habitum dedit album, ut nivem, deſuper tamen nigram cappam, deſignantem humilitatem; nec enim una ſine altera eſſe valet*. Admirabilis profecto fuit Cherubinus, dignus Cherubinorum Reginæ filius. Quodſi infœlix ille Cherubinus, cui Ezechielis 28. v. 14. dicitur: *Tu Cherub extenſus & protegens, &c.* hanc tam piam habuiſſe matrem, quæ hac illum chlamyde contexiſſet, utique hodie nequaquam Dæmon eſſet.

24. Inter alia quæ Deus Moyſi in monte Sina præcepit, obſervandum eſt, quod in Cherubinorum arcæ formatione expreſſe voluerit, ut iidem alis formarentur expanſis, quaſi actualiter in altum evolantes. Exod. 24. v. 20 *Expandentes alas*. Ut hac ratione locum ſuum non terram ſed cælum eſſe demonſtrarent. *Ut in alto ſedem habere ſignetur*, inquit Beda in Gloſſa cap. 20. Exod. ſicut ignis ut locum ſuum in alto poſitum eſſe innuat, in altum ſemper cernitur erectus & ſuſpenſus; Ita & hi Cherubini. Cur obſecro S Dominicum toties in aëre ſuſpenſum & cælum verſus elevatum viſum fuiſſe putatis? Certe non ob aliud, quam ut verus demonſtretur Cherubim eſſe, ejuſq; locum non in terra, ſed in cælo conſtitutum eſſe. *Ut in alto ſedem habere ſignetur*.

25 Cum S Dominicus, uti mox audiſtis, adoptivus fuerit Beatiſſimæ Virginis filius, oportebat, ut eandem in caſtitate imitaretur: *Filii Mariæ ſunt imitatores Mariæ in caſtitate*; inquit Richardus à S. Laurentio lib 2. de laud B Mariæ. Certe à nobili matre nequaquam degeneravit benedictus ejus filius Nam referente Theodorico lib. 5 cap 1. moriens chariſſimos ſuos diſcipulos hunc in modum eſt allocutus: *En uſque ad hanc horam, carne incorruptum me Dei miſericordia ſervavit, illibatamque mihi Virginitatis munditiam cuſtodivit*. Sicut etiam Deiparæ Virginis caſtitas adeo fuit admirabilis, ut alios quoque caſtitate imbueret: Ita quoque tanta fuit S. Dominici caſtitas, ut alios quoque caſtos mundoſq reddiderit. Cum enim laſcivus quidam libidinique admodum deditus ſtudioſus, caſtas ejus manus oſculatus fuiſſet, ex incomparabili è corpore ejus emanante odore mox caſtiſſimus evaſit *O quanta puritate caro ejus pollebat, cujus odor tam mirabiliter ſordes mentis purgabat*, inquit Author Hiſtoriæ Lombardicæ. Unde ſicuti Job c. 10 v 4 Deo dicebat: *Nunquid oculi carnei tibi ſunt*? ita quoq; Dominico dicere poſſunt: *Nunquid manus carneæ tibi ſunt*? Neque enim videris mihi ad inſtar aliorum hominum manus habere carneas, quæ à carne contrectatæ luxuria accenduntur (ſanctus enim leo experientia didicit, quanti ipſi oſculum manibus ſuis a muliere quadam impreſſum conſtiterit) ſed cæleſtium ſpirituum manus, quæ luxuriam refrigerant & extinguunt. Manus habes manibus Angeli illius

illius ſimiles, quæ S. Thomam Aquinatem digniſſimum filium tuam tangentes & cingentes perpetuam illi contulere virginitatem.

26. Adeò illuſtre & glorioſum eſt S. Dominici nomen, ut meo judicio majus eſſe minimè potuerit. Nomen iſtud ob ſui excellentiam, non imponebatur aliis, quam iis duntaxat, qui eodem Chriſti ſanguine nobilitati erant, quales erant fratres ejus cognati, & alii conſimiles ad parentelam ejus ſpectantes: *Qui de Domini ſtirpe erant, Dominicos appellabant*, inquit B. Thomas à Villa Nova Conc 2 de Nativit. B. V. Hoc idem nomen cœleſtibus quoque Spiritibus primi ordinis ſecundæ Hierarchiæ impoſitum fuit; nulla enim eſt inter Dominicum & Dominationem differentia, cum utrumque nomen ab eadem radice, id eſt, à *Domino* naſcatur. Dominicus igitur nomen habuit magnorum Angelorum, qui nimirum ſuper omnes alios Angelos obtinent dominium: *Dominationes dicuntur, eo quod cæteris Angelis dominantur*, inquit Albertus in Comp. Theol lib. 2. c. 14. Ipſi enim haud ſecus ac ſi unus illorum Angelorum fuiſſet, alii Angeli obſequebantur & inſerviebant. *Angelos ſanctos in ſui miniſterium habebat*, ut refert S Antoninus p. 3. Hiſtor. Tit 22. c. 1. § 3. Ac proinde Cherubinus eſſe debuit, qui ob ſapientiæ plenitudinem ſuper ſtellas, id eſt, ſuper Angelos per ſtellas ſignificatos Dominium habent: *Sapiens dominabitur aſtris*.

27. De quatuor illis Cherubinis qui in ſpecie quatuor animalium currum Dei ducebant, inquit Ezechiel cap 1. v. 9. *Non revertebantur cum incederent*. Idipſum prima facie non nemini impoſſibile videri poſſet, ſiquidem nonnunquam ambulando reverti cogimur. Poſito enim caſu, quod dum animalia illa ambulando obvium ſibi montem habuiſſent, aut templum verſus evado fores templi clauſas offendiſſent, quomodo ſuum in tali caſu iter proſequi potuiſſent, cum & mons & clauſæ fores omnem illis prohiberent tranſitum. Dico igitur quod in ejuſmodi caſu iter ſuum ſuiſſent proſecuti penetrando montem, & per clauſas ingrediendo portas, neque unquam per quodvis aliud occurrens impedimentum fuiſſent reverſi. Sunt enim Cherubini illi ſubſtantiæ ſpirituales, non corporales; Cherubini non habent corpus quantitativum, quale eſt noſtrum, quod cum habeat *partes poſt partes*, uti in ſcholis loquuntur, aliud penetrare corpus nequaquam poteſt: penetrant muros & montes, & per clauſas ingrediuntur portas: *Spiritus carnem & oſſa non habet*. Luc. 24. v. 39. Unde meritò hæreo an S. Patriarcham hominem an verò Cherubinum dicere debeam, cum de illo legam, quod vice quadam in unam ex Eccleſiis ſuis clauſis foribus fuerit ingreſſus. *Dominicus*, inquit S. Antonius Florentinus Archiepiſcopus, *adhuc mortaliter vivens, quod mirabilius eſt, in Eccleſiam clauſam nocte ingreſſus eſt*. Ex quo miraculo liquido ipſum Cherubinum potius quam hominem fuiſſe apparet. Cum enim homines ob corporis impedimentum, locum illum ingredi nequeant, cujus clauſi ſunt aditus, ipſe tamen ad ſimilem locum, quaſi non homo, ſed Cherubinus ſine corpore eſſet, liberrime, & ſine impedimento intravit.

28 Tandem verus quidam Cherubinus eſſe apparuit ob tam eximios quibus illum Deus dignatus eſt condecorare favores Quiſnam enim favor unquam Dominico fuit denegatus, qui aliis ſervis ſuis à Deo unquam legitur fuiſſe conceſſus. Ipſe namque veluti Magnus Patrum Prædicatorum Pater, Patriarcha fuit. Propheta etiam fuit, quia multa prævidit & manifeſtavit occulta: Quia vitam in terris egit & introduxit Apoſtolicam, Apoſtolus dici meruit; Quia ardentiſſimè ſe pro Chriſti nomine ſacrificare deſideravit, Martyr extitit. Doctor etiam & Confeſſor fuit, quia in mundo docuit & prædicavit: Quia vitam ſemper duxit incontaminatam & caſtam. Virgo fuit, denique cæleſtis quædam Pandora fuit *omnium rerum genere dotata*, venit Exiodus. Admirabilis quædam variarum formarum imago fuit, quam Deus pictor ille cæleſtis tot tantiſque coloribus ad majorem gloriam ſuam ſtudioſiſſimè efformavit, atque coram totius mundi oculis veluti eximium divinæ omnipotentiæ ſuæ miraculum expoſuit. Tandem Cherubinus quidam fuit, qui, ut Joannes Lorinus in Pſalm. 17. v. 12 ait: interpretatur: *Picturatum multarum rerum formis*.

(***)

# PANEGYRICVS XXXIV.

## DE SANCTO LAVRENTIO invictiſſimo Chriſti Martyre.

## THEMA.

Beatus vir qui ſuffert tentationem. Iacobi. 1. v. 12.

## ARGVMENTVM.

*Eodem prorſus tempore, quo invictiſsimus Chriſti Martyr Laurentius torquebatur pro Chriſto, non in terra, ſed in cœlo, non cruciatus ſed beatus eſſe videbatur.*

1. LÆtitia & gaudium, quod verus aliquis Dei amicus, dum pro Chriſto patitur & moritur, in corde ſuo perſentiſcit, adeò eſt ingens & incredibile, ut quaſi non in terra eſſet & pateretur, ſed in cælo degens frueretur beatitudine, exultans & jubilans inſolita edat lætitiæ ſigna. Talis ſemper Apoſtolus in ærumnis ſuis fuit *Superabundo gaudio in tribulationibus meis*, dicebat 2. ad Corinth. 7. v. 4. quaſi eo tempore quo ærumnabatur, cateniſque onuſtus, ſqualido tenebatur in carcere, non in terra inter hujus mundi homines, ſed in Paradiſo inter Angelos, aliosque Dei electos deguiſſet. *B. Paulus*, inquit D. Chryſoſt. Hom. 25 ad populum: *tentationum imbres per ſingulos dies videns irruentes, tanquam in medio gaudens paradiſo lætabatur & exultabat.* Unde cum de hac veritate certiſſimus eſſet S. Jacobus Apoſtolus cap 1. v 12. dicere non dubitavit: *Beatus vir qui ſuffert tentationem* quaſi dicere voluiſſet. Homo ſanctus tormentis pro Chriſto ſubjectus haud ſecus ac ſi in cælis eſſet, fœlix reputatur atque beatus. Unde merito paradoxum iſtud formare & dicere poterimus: Eo tempore quo verus aliquis Dei amicus in terra affligitur & cruciatur, non in terra, ſed in cælo degit, non cruciatur, ſed beatificatur, ob abundans quo repletur gaudium. Unde idem quoque de intrepido Chriſti Martyre S. Laurentio viſceroſiſſimo Jeſu Chriſti amatore judicare poſſumus, videlicet illum dum pro Chriſto patiebatur & torrebatur, potius in cælo inter beatos Angelos beatum fuiſſe, quam miſerum aut miſerabilem inter homines in terra. Rationes autem, quæ nos ad tale judicium efformandum invitant, ſunt hæ ſequentes.

2. Ex quo glorioſiſſimus hic Martyr, ex matre quadam, cui nomen erat *Patientia*, muliere Hiſpana ex territorio Oſca Regni Aragoniæ oriunda natus fuiſſe dicitur, meritò cauſam ob quam Deus Athletam ſuum de muliere tali nomine inſignita naſci voluerit, induſtrie inquirimus; neque enim mulier iſta ſine profundo myſterio tali nomine appellata fuit. Id verò, quantum

tum capere poſſum, accidere potuit, ut per hoc admirabilis illa innueretur *patientia*, quæ S Laurentius in acerbiſſimis, quæ tum pro fidei Chriſti defenſione, tum ad ſalutem propriam promovendam paſſurus erat, tormentis præfulgere debebat. Adeò enim magna & ſtupenda ejus patientia fuit, ut non à muliere aliqua, ſed ab ipſamet natus patientia, cenſeri potuiſſet. Nunquid enim ille verus patientiæ cenſendus eſt filius, ab ipſamet patientiæ virtute genitus, qui in horrendorum tormentorum inferno conſtitutus illa tanto cum deſiderio & gaudio, tantaque cum animi generoſitate & jubilo ſuſtinuit, quaſi ſplendido & lauto accubuiſſet convivio? Unde hiſce Tyrannum verbis, ut ſcribitur, eſt allocutus: *Infœlix has ego epulas ſemper optavi.* Cum igitur S Laurentius acerbiſſima paſſus, tantam nihilominus in paſſione ſua oſtenderit patientiam, merito in cælo potius, quam in terra ubi corpore tenus erat, cenſendus eſt deguiſſe. Quod ſi enim homo aliquis conſueta tantum & vulgari patientia præditus, uno pede in paradiſo conſtitutus eſſe cenſetur, unde Beatus Ægidius S Franciſci ſocius, ut refert Bartholomæus Piſanus lib. 1 Conformit. fructu 8. p. 2 c. 7. dicere ſolebat: *Qui patienter ſuſtinet tribulationes propter Deum, tenet jam pedem in alio mundo*, certè oportet ut is qui ſumma aliqua & incredibili patientia refulget, utrumque pedem in altero mundo collocatum habeat, ſitque in cælo potius inter compræhenſores, quam inter viatores in terra. Unde etiam S Laurentius eo tempore quo in horrenda torrebatur craticula, quaſi non in terra, ſed in cælò fuiſſet, utrumque pedem in beata patria habuiſſet repoſitum dulciſſimo Domino ſuo gratias egit, quod illum gloriæ ſuæ januas ſubingredi dignum feciſſet, dicebatque: *Gratias tibi ago Domine IESV Chriſte, quia januas tuas ingredi merui.*

3. Unde obſecro factum eſt, quod Laurentius dum in luculentiſſimo igne, carnem & oſſa, omneſque alias corporis ſui partes depaſcente & devorante arderet, nihilominus dixerit ſe ab igne illo non ardorem aut dolores, ſed ſolatium potius ſentire & refrigerium; Ita enim, ut Surius in vita ejus refert, carnifices ſuos eſt allocutus. *O veſtram inſaniam infelices, non cognoſcitis veſtros ardores mihi non ardorem afferre, ſed refrigerium?* Nimirum generoſitas iſta à patientia, quacum Martyrium ſuum longanimiter ſuſtinebat ortum ſuum habuit, hæc enim animam ejus intercæleſtis beatitudinis ineffabiles delicias ſuſtulerat, quarum guſtu martyrium ſuum adeò temperabatur & dulcebat, ut incendium refrigerii loco acceperit. Porrò ratio ob quam homo *patiens* à Latinis dicatur *longanimis*, eſt, quia *animam* habet *longam & magnam*: *longanimis idcirco dicitur*, inquit Chryſoſt. Hom. 33. in Epiſt. ad Corinh. *quia magnum & ingentem animum habet.* Adeò magna & longa eſt patientis anima, quando pro Chriſto & bonis æternis comparandis affligitur & cruciatur, ut à terra in qua corpore tenus moratur, extendatur & pertingat ad cælum, ibidemque æternis ſibi promiſſis delitiis perfruens, adeò dolores ſuos imminuit, temperat, & dulceſcere facit, ut eoſdem haud ſecus ac conſolationes ſingulares recipiat & guſtet. *Plenæ erant ferventis olei ſartagines, & ad frigida ſanctorum corpora terrore incredibili perſonabant: & tamen inter hæc omnia in Paradiſum animo deambulantes, non ſentiebant quod patiebantur*, inquit Theophilus Alexandrinus de Martyribus Machabæis lib. Paſch. 3. Unde non ſolùm nullos in martyriis ſuis patiebantur dolores, verum inſuper conſolationibus eximiis abundabant. Sic quia S. Prothomartyr Stephanus ad ineffabilem æternarum delitiarum guſtum ſuſtulerat (hoc enim fine ut iis perfrui poſſet, apertum ei cælum fuit) jacti in eum lapides ex ſaccaro & melle mira arte videbantur compoſiti; Unde Eccleſia de illo canit: *Lapides torrentis illi dulces fuerunt.* Quia etiam invictus Chriſti Martyr Laurentius, animam ſuam acerbiſſimæ paſſionis ſuæ tempore per patientiam ſuam in Paradiſum uſque extulerat, hinc per eam, qua ibi perfruebatur, dulcedinem, ei ignes & craticulæ aliaque acerbiſſima ſua tormenta adeò dulceſcebant, ut ardorem refrigerium æſtimaret. Unde Sanctus Auguſtinus in ſoliloquiis cap 22. de hac cæleſti dulcedine cum Deo loquens dicere non dubitavit: *Tua dulcedo craticulam Beato Laurentio dulcem fecit.* Laurentius igitur pro Chriſto patiens & moriens non in terra, ſed in cælo erat. Niſi enim in cælo fuiſſet, craticula ei adeò dulciter neutiquam ſapuiſſet, neque incendium refrigerium æſtimaſſet. Illi namque ſoli in Martyriis dulcem guſtum experiuntur, qui corpore in terra conſtituti, animam in cælum ſublevant, ibidem æternis gaudiis perfruuntur; hi ſoli nec tormenta ſentiunt nec pœnas.

4. *Laurentius* hoc nomine appellatur, quia in magno ſanctæ Eccleſiæ viridario, veluti ingens quædam jucundiſſimaque laurus conſpicuus apparet. *Laurentius dicitur à Lauro*, dicitur in Hiſtoria Lombardica. Vera quædam & viva Laurus fuit Laurentius. Laurus nequit percuti aut lædi à fulmine: neque Laurentius lædi aut offendi potuit à Decio fulminante. Laurus Apollini, id eſt, ſoli conſecrata erat: Laurentius ſummo ſoli, Deo. Laurus peculiare eſt domuum ornamentum; *ſola domos exornat*, inquit de Lauro Ruellius lib. 1. cap. 92. Laurentius Romanam urbem ſacro ſuo ſanguine adeò ornavit, ut à Ruperto lib 5. de operibus ſpirit. & lib. 6. de fortitudine cap. 21. appelletur, *Decus Romani imperii.* Laurus ſenibus Scipionis loco deſervit, teſte Ruellio ubi ſupra dicente: *Uſus ad baculos & ſcipiones, quibus nutens caducaque ſenectus innititur.* Laurentius quoque ſcipio ſeu baculus fuit cui Sixtus Pontifex ſummus in ſua ſenectute fuit innixus. Laurus denique omni tempore viridis, frondoſa & pulchra eſſe cernitur, tam in hyeme inter varias aëris injurias & turbulentias, quam in dulci & benigno veris tempore. Vera quoque Laurus Laurentius fuit, verus fœlixque patientiæ partus. *Ego*, inquit patientia (ſic enim Guilielmus Pariſienſis de moribus cap 11. illam loquentem introducit) *ſum in arboribus Laurus, propter injurias temporum aut aeris, virorem non amittens.* Cum enim invictus hic Chriſti miles crudeliſſimo ſubjectus eſſet Romani Tyranni furori, qui veluti duriſſima ſævaque hyems horrendas illi minabatur inauditorum tormentorum procellas, haud ſecus ac vera quædam Laurus, ac ſi tempus vixiſſet proſperitatis & beatitudinis, ibique degeret, quo nullæ pertingere poſſunt miſeriæ aut aliud quodvis, quod in terra regnat in locum habet, malum lætus ſemper permanſit & jucundus.

5. Venerabilem Rupertum Abbatem Tuitienſem ubi ſupra legentes, invenietis, quod is S. Laurentium ad vivum deſcribens, illum dicat fuiſſe ſtatura procerum, aſpectuque venerabilem: Econtra verò S. Auguſtinus ſerm. 32 de ſanctis, eundem Martyrem adeò parvum & exilem proponit, ut minimo ſinapis grano illum ſimilem fuiſſe dicat: *Laurentius mirandus aſpectu, reverendus habitu, igneus atque rubicundus, ſtatura procerus fuit*, inquit, Abbas Rupertus: *Sanctum Martyrem Laurentium grano ſinapis poſſumus comparare, qui conſtitutus in corpore erat humilis, ignotus, atque vilis.* inquit ubi ſupra S. Auguſtinus. Quod ſi Rupertus illum procerum & magnum fuiſſe deſcribat, quomodo P. Auguſtin ipſum adeò parvum fuiſſe dicit? Si parvus erat, quomodo magnus eſſe poterat? Et ſi magnus, qua ratione poterat eſſe parvus? Num fortè uno eodemque tempore & magnus & parvus ſimul erat? Quod ſi nodi iſtius difficultatem ſolvere velimus, dicendum nobis eſt ſanctum hunc Martyrem eodem prorſus tempore & magnum fuiſſe & parvum. Magnum quidem, quia reipſa corporali mole talis erat: parvum autem dicimus non quod revera parvus fuerit, ſed quia parvus apparebat. Quia enim in terris vivens, non in terra ſed in cælo erat, ideo iis qui de terra illum ſuſpiciebant, parvus eſſe apparuit. Sic enim licet ſol terra novies major ſit, dum tamen illum hic è terra ſuſpicimus, adeò illum parvum eſſe arbitramur, ut modicam quandam vix adæquet ex argento formatam paropſidem.

6. Decio tyranno, Chriſti generoſo athletæ, niſi Diis ſuis ſacrificaret ocyus, dira ſævaq; tormenta & mala per integram ei noctem inferenda comminanti, invictus hic Martyr generoſè reſpondit: *Mea nox obſcurum non habet, ſed omnia in luce clareſcunt*, quaſi dicere voluiſſet: Quid nox aut quid obſcurum, aut tenebræ ſint prorſus ignoro, utpote qui perpetuo ſemper die perfruor, cuique clara & luminoſa eſt omnis hora. Verum enimverò dicere hic aliquis merito poſſet: Quomodo hæc & ſimilia verba ſalva veritate dicere poterat cum experientia conſtet, quod diei nox, tenebræ luci, clarum obſcuro perpetuo & infallibiliter ſuccedat? utique quando hæc verba dixit, non in terra, ſed in cælo deguiſſe dicendus eſt. Quod ſi enim in terra fuiſſet commoratus, hunc in modum locutus minimè fuiſſet. Etenim tametſi Laurentius tunc corpore in terra conſtitutus eſſet, anima tamen in cælo eſſe debebat, ubi ſereniſſimus ſemper meruſque dies eſt & nunquam nox ſuccedit. S. Vincent. ſer 2 in Dom. 18. poſt Trinit. dicit, quod ſi Beatos unico tantū die in cælo eſſe diceret, nihil ſe verius aut certius aſſerere poſſe, ſiquidem ſol ibi in occaſum nunquam vergit, abſconditur nunquam, neque diei nox unquam ſuccedit, ac proinde cælum unicum duntaxat diem habet, ſed diem æternum, nec unquam finiendum: *Duratio æternitatis*, inquit S. Doctor, *non eſt niſi unus dies, quia ibi ſol non abſconditur.* Et ideo poſſet poni iſta concluſio mirabilis, ſed vera, quod nullus ſanctus poſſet ſtare in Paradiſo, niſi una die, quia non eſt, nec erit ibi niſi una dies.

dies. *Melior eſt dies una in atriis tuis ſuper millia,* ait Propheta.

7. Priuſquam divinus Athleta noſter pro ſancta Chriſti fide dimicaturus in arenam deſcenderet, pauperibus egeniſque Chriſtianis theſauros quos Philippus Imperator Eccleſiæ reliquerat, & Sixto Pontifici Summo commiſerat theſauros diſtribuere voluit, per horum manus in cælum, ubi majori cum ſecuritate conſervari poterant, reponendos. Probe Chriſtum Matth. ſexto verſ. 20. dixiſſe noverat: *Theſaurizate vobis theſauros in cælo, ubi neque ærugo neque tinea demolitur; & ubi fures non effodiunt, nec furantur.* Sapiens profecto prudenſque conſilium iſtud fuit, niſi enim opulentos ingenteſque theſauros illos pauperum manibus in cælos tranſtuliſſet, haud dubie deprædatus illos fuiſſet dirus & avarus Decius latro. Quodſi igitur Laurentius, quo tempore tormentis ſubjectus diraque patiens moriebatur, theſauros ſuos in cælo repoſitos habebat, licet corpus haberet conſtitutum in terra, à carnificibus cinctum, diriſque pœnis excruciatum, anima tamen in cælo, ubi theſaurus ejus erat, ab Angelis inter cæleſtis gloriæ delitias, circumdata eſſe debebat: Cum Chriſtus Matth. 6. verſ. 21. dixerit: *Ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum.*

8. Quia Chriſtus Matth. 5 v. 10. dicens: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam*, de iis fuerit hominibus locutus, qui ſunt in terra, à nemine dubitatur. Impoſſibile enim eſt, ut verba illa de ſanctis in cælo exiſtentibus intelligantur, cum perſecutiones & ærumnæ non in cælo, ſed in terra reperiantur. Verum inquies quodſi illi de iis, qui in terra ſunt, ſermo erat, cur igitur beatos illos, & quod plus eſt eodem tempore quo miſeri ærumniſque & doloribus pleni ſunt beatos appellat. Cum enim beati in cælis duntaxat exiſtant (ſolum namque Cælum, ubi veræ & perfectæ ſunt delitiæ, quæ beare hominem poſſunt, locus eſt beatorum) cur illos qui extra Cælum degunt & in ærumnis verſantur, beatis annumerat? Quomodo homo aliquis tormentis alligatus, atque ex omni corporis parte ſanguinem fundens, toſtus item & uſtus ac dolens beatus eſſe poterit, cum talis non minus à cælo; quam à beatitudine miſeria, procul abeſſe videatur. Veruntamen dicendum omnino eſt, hominem talem, licet foris extra cœlum in terra habitet, licet diris tormentis ſubjaceat, atque ex omni corporis parte quaſi ex fonte ſanguinem ſudet, vere tamen æſtimandum eſſe beatum; conſolationes enim quas Deus ſervis ſuis, pro ſuo honore & obſequio patientibus & afflictis, ſubminiſtrat, tales ſunt & tantæ, ut in medio dolorum quos patiuntur, cælum quoddam ſtatuiſſe videatur, ſintque dum patiuntur, in cælo beati, non vero, ut alii exiſtimant in terra miſeri. *Regnum quoddam eſt cæleſte in mediis ſpinis, in mediis ſputis, in mediis contumeliis*, inquit Paulus de Palatio in cap. 27 Matth. Quid igitur miramur ſi S. Laurentius Martyr eodem tempore quo diris tormentis affligitur, in ipſomet Cæli gaudio commoretur, ſi in ipſis quoque tormentis cælum inveniat.

9. Quidnam gladius ille ſignificat, quem Cherubim ad Paradiſi fores collocatus, accenſum & flammeum manibus tenet? *Collocavit ante Paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem*, inquit Moyſes Geneſ 3. verſ. 24. Tribulationes, ærumnas, martyria, aliaque mala ſignificat, quæ ſancti Chriſtiani pro amore Domini ſui patienter ſuſtinent; *Flammeus gladius atque verſatilis tribulatio eſt*, inquit S. Bernardinus parte 2 ſerm 66. Art. 1. c. 2. In Paradiſum enim non niſi per hanc portam, & ignem iſtum ingredi minime poſſumus. Unde Pſal. 65. v. 12. Paradiſi cælites dicunt: *Tranſivimus per ignem & aquam.* Quiſquis ſibi ſe & in hoc & in altero mundo gaudere poſſe perſuadet, omnino decipitur, quia nondum portam Paradiſi igneam eſſe debere intelligit; Ignem enim dum vivimus, ſuſtinere debere intelligit; Ignem enim dum vivimus, ſuſtinere debemus, ut iſtud ingredi poſſimus. Unde eo ipſo quo S. Laurentius Martyr, igni ſuper ardenti craticula ſuper poſitus urebatur, jam in ipſa Paradiſi porta conſtitutus erat. Idque verum eſſe, vel ex eo videri poteſt, quod eodemmet tempore quo patiebatur, ſe cœli quoque januas ingredi meruiſſe gaudens, gratias agebat: *Gratias tibi ago Domine, quia januas tuas ingredi merui.* Eodem itaque tempore, quo ærumnas, cruciatus & mortem patiebatur, in Paradiſo erat, horumque ineffabilium bonorum ſpectaculo confortatus, quicquid adverſus illum Infernus illiuſque miniſtri moliebantur patienter ferebat.

10. Porro Decius admirabilem fortiſſimi Laurentii conſtantiam & patientiam conſiderans, eandemque diabolico artificio attribuens, eidem ut Surius refert, dixit: *Scio illudere te tormenta arte magica, ſed mihi non illudes.* Veruntamen S. Martyr, non ſua tantum tormenta, ſed & ipſummet tyrannum generoſa fortitudine deriſit,

riſit, quando Tyranno dixit: *Ecce miſer aſſaſti unam partem, verſa aliam & manduca.* Hiſce enim verbis ludificabat Imperatorem. *Hæc ludibundus dixerat*, inquit Prudentius: ubinam gentium, dicite B. Laurentium, dum hæc diceret, fuiſſe creditis? Num in terra fortaſſe? Certe non ita terra, ſed in cælo præſens aderat: Quiſquis enim Imperatorem aliquem deridet, aut potentiſſimo alicui mundi Monachæ in ejus præſentia ludibrium facit, is non ut alii homines, ejus in terra dominio ſubjectus eſſe debet, ſed in cælo ab ejus poteſtate liber & ſolutus. Si enim in terra eſſet id ſane impune non faceret; neque enim leo aliquis facile ab illis qui ejus offenſam formidant, irritari cernitur. In cælis itaque fuerit, neceſſum eſt; ſolus namque ille qui animam ſuam in cælis ſublimatam habet, divinamque tantum omnipotentiam videt & timet, humanam ridere poteſtatem audet, ille ſolus tyrannorum barbariem, immanitatem, atque tormenta ludibrio habet. *Qui habitat in cælis irridebit eos*, inquit David Pſalm 2. v 4.

11. Paulò ſuperius Laurentii nomen à *Lauro* derivari diximus, quaſi Laurus quædam, dum viveret, fuerit. Ab hoc igitur ſymbolo magnum & viſceroſum invicti Martyris erga Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum amorem concludere debemus Sicut enim Laurus eſt adeo calida, ut igne plena eſſe dicatur: unde *Plena ignis arbos* à Ruellio ubi ſupra dicitur. Ita quoque Laurentius, veluti Laurus quædam myſtica divino igne plenus erat; Cujus divini ignis evidentiſſimum ſignum fuit, quod cum tanta animi fortitudine, tantoque cum deſiderio & patientia ſuam pro Chriſto dilecto ſuo vitam prodegerit: *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*, inquit Chriſtus Joan 15. v. 13. Ejuſdem quoque divini ignis vehementia à modico illo effectu conjicitur, quem in ipſo accenſi potuere carbones operari: Materialis enim ignis ipſum in tantum extrinſecus offendere minimè poterat, in quantum à divino igne impediebatur, qui interius ardebat. *Intus exiſtens prohibet extraneum*, inquit Philoſophorum princeps Ariſtoteles. Tametſi S. Laurentius, ut S. Auguſtinus ſer. 32 de ſanctis inquit, extrinſecus in corpore immani fuerit igne toſtus & concrematus, quia tamen intus in anima ejus incomparabiliter major ignis ardebat, ignis materialis cum amoris igne contendens; nequaquam reportare palmam potuit, verum inſuper ignis ille Decii ad inſta nivis aut glaciei alicujus, Martyri frigidus eſſe videbatur. *Ardebat itaque extrinſecus B. Laurentius Martyr Tyranni ſævientis incendiis: ſed major illum intrinſecus Chriſti amoris flamma torrebat: & quamvis Rex impius ligna ſubjiceret, incendiaque majore ſupponeret, frigidum eſt illi omne quod patitur.* Cum igitur S. Laurentius tanto amoris igne erga Chriſtum exarſerit, utique ejus anima paſſionis & Martyrii ſui tempore, in cælo, ubi Chriſtus quem amabat, erat, deguit, quam in terra ubi erat corpus quod informabat. *Anima magis eſt ubi amat*, inquit Divinus ille Areopagita Dionyſius.

12. Mira profecto res eſt, quod cum Laurentius, homo eſſet, & conſequenter ut alii homines mortem formidare deberet, & quidem adeo crudelem & horrendam, qualis illa, quam impiiſſimus Imperator ei comminabatur, ipſe tamen non ſolum nullo prorſus fuerit mortis timore correptus, verum inſuper mortem deriſerit, & ludibrio generoſe expoſuerit. Quomodo enim ridere illud potuit, quod ob terroris quem ſecum adfert vehemētiam *terribilium terribiliſſimum* dicitur? Num forte mortis illius dolores à ſe minime perſentiſcendos eſſe perſuadebat? utique perſuadere ſibi idipſum potuit. Sed quodnam erat perſuaſionis hujus motivum ſeu fundamentum? illud quia ſciebat, quod cum animam ſuam ob ardentem erga Chriſtum amorem, in cælo, ubi dulci fruebatur dilecti Chriſti præſentia & aſpectu, haberet repoſitam, nullum percepturus eſſet per irrogata ſibi qualiſcunque crudeliſſimæ mortis tormenta, doloris ſenſum. Poſtquam Tobias junior ex prolixo quod cum S. Raphaële Archangelo fæliciter confecerat, itinere, ſanus & incolumis rediiſſet, tantam ob filii ſui reditum Anna mater ejus lætitiam concepit, ut illam capere neutiquam valens, Tobiæ filio dixerit Tobiæ 11. v. 8 ſecundum Tranſlationem ſeptuaginta: *videte fili ex nunc moriar.* Verum quomodo hæc mulier mori optabat, cum mortis dolores adeo ſint amari & horrendi, ut etiam qui mori coguntur, imminentem ſibi mortem adeo exhorreſcant? Et reſpondet Ambroſius in Pſal. 118. lect. 11. *Anna dicebat ad filium; video te fili, amodo libentius moriar; mortis videlicet dolorem exoptati conſpectus ſuavitate non ſentiens.* Optima hæc mater perſuaſum ſibi habebat futurum, ut quoadusque deſiderata dilecti filii ſui frueretur præſentia, nullos eſſet perceptura mortis dolores. Simili modo licet

licet Laurentius una ex parte corpus ejus poteſtati impiiſſimi Tyranni, crudeliumque carnificum crudeliſſimam illi mortem minitantium eſſet expoſitum, quia tamen ex parte altera anima ejus in conſpectu *Chriſti Ieſu* unicè ab eo dilecti in cælo conſiſtebat, mortis dolores nequicquam formidabat; & merito; quæ enim ex clara ſummi boni viſione conſequuntur dilitiæ, efficiunt ut parum vel nihil ſentiatur quicquid inferuus minatum intentant. *Mortis dolorem exoptati conſpectus ſuavitatem non ſentiens.*

13. Tametſi Laurentius in crudeli extenſus equuleo, horrendæque craticulæ ut lento igne torreretur, eſſet adſtrictus, nullius tamen angebatur doloris formidine, eo quod in cælum ſubvectus aſpectu frueretur vultus illius, qui vi iis quoque qui æterno igne cremantur, revelaretur, beare illos poſſet. Quodſi Eudoxo nihil curæ fuit, tametſi fulmine Phaëtontis inſtar conflagraret, dummodo in cælum ſuſtolli, ſolemque è propinquo aſpicere poſſet. *Optabat*, inquit de illo Plutarchus contra Colet *Modo adſtitiſſet ad ſolem, ipſius ſideris deprehendiſſet figuram, molem, ſpeciem, ut fulmine inſtar Phaetontis conflagraret* Majori certe cum patientia & æquanimitate S Laurentius ignem ſuum ſuſtinere debebat, utpote qui eodemmet tempore quo ardebat & torrebatur, infinitam dilecti ſui pulchritudinem conſiderabat, in cujus comparatione, ſolis pulchritudo deformitas, & ejuſque lumen caligo eſt obſcuriſſima. Credo utique fortiſſimum Chriſti Martyrem, dum corpore arderet, mente vero in cælum elevatus, ſummum bonum, quo brevi fruiturus erat, contemplabatur illud ſub Aquilæ in cælum ad ſolem conſpiciendum evolantis Emblemate ſubjectum ſymbolum, ſeu Epigraphen dicere potuiſſe: *Nil moror ſi ardeant plumæ, dummodo oculi fruantur ſolis lumine.*

14 Cuinam glorioſum hunc Chriſti Martyrem in equuleo crudeliſſimè extenſum, plumbatis cæſum, duabus ad latera poſitis faculis uſtulatum denique craticulæ ſuperpoſitum, innumeriſque vulneribus ſanguinem undique ſtillantibus toto corpore plenum, comparabimus? Aptius certe nulli quam cælo comparari poterit, ipſe namque veluti cælum quoddam myſticum tot erat ornatus ſtellis, quot cernebatur vulneribus ſaucius. Sancti illi qui eoſdem livores, eademque Chriſti vulnera corporibus ſuis impreſſa habent, veri quidam cæli ſunt *Cæli ſunt qui habent cælaturam Chriſti*, inquit Hugo Cardinalis in Pſ. 137. Præterea cælum erat, quia Chriſtum ſecum habebat, hic enim, quia extra cælum eſſe nequit, omnem locum in quo pedem figit, cælum efficit. *Cum ipſo ſum in tribulatione*, inquit Chriſtus ex Pſal. 90. v 15. ut in ærumnis poſitos de ſua reddat præſentia ſecuros, ipſoſque proinde cælos eſſe myſticos declaret. *Omne gaudium*, inquit Bernardus in pſal 90. ſerm. 16. *Exiſtimemus, cum in varias tribulationes inciderimus non modo quia poſt multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei, ſed quoniam juxta eſt, Dominus iis, qui tribulato ſunt corde.* Quaſi dicere voluiſſet, quotieſcunque vos in ærumnis & afflictionibus poſitos eſſe conſpicitis, vos in cælum quoddam transformatos eſſe cogitare debetis, ubi ſolum & non alibi omnis lætitia affluit & gaudium, quia vobiſcum præſens eſt Deus. Unde anima S. Laurentii in craticula acerbiſſimis cruciatibus expoſiti non erat in corpore uti ſunt noſtræ dum corpus informant, ſed in cælo aderat, ubi ſpirituales delitiæ, ineffabileſque conſolationes abundant.

15. Audite quid S Petrus Chryſologus ſerm. 135. de S. Laurentii craticula dicat: *Tunc obl ta eſt torrendo, aut veritus aſſando martyri nobilis illa Laurentii craticula: ſed ille craticulam ſupplicii locum quietis putabat.* Et obſervate quod dicat S Laurentium craticulam ſupplicii locum reputaſſe quietis *Locum quietis putabat* Locus quietis idem eſt, quod Paradiſus. Quia enim in hoc mundo quies nullibi reperitur, utpote in quo ubivis & continuo labor occurrit & afflictio, nullus eſt in eo locus quietis, ſed hunc in cælo duntaxat ſperare debemus, ideo locus quietis alius non eſt, quam cæleſtis Paradiſus. Unde nos quoque cælum requiem vocamus dum enim Deum ut fidelium defunctorum animabus cælum largiri dignetur, rogamus loco cæli requiem nominamus. *Requiem æternam dona eis Domine*, ubi per requiem cælum intelligimus. Cum igitur S. Lauren. horrendam craticulam locum eſſe quietis arbitrabatur, utique illam exiſtimavit Paradiſum, ſibique in illa extenſo viſum eſt ſe eſſe in Paradiſo. Tantas in ærumnando & patiendo pro Chriſto habebat delitias, ut tormenta verum cenſeret eſſe Paradiſum. *Omne deſertum quantumcunq; aridum & ſterile, Paradiſus voluptatis eſt mihi, & hortus delitiarum*, dicebat apud Guilielmum Pariſienſem li. de moribus c. 11 non nemo, qui tormenta & mortem pro Chriſto patienter ſuſtinebat & amplectebatur. Adhæc cum Laurentius Tyranno omnis generis tormenta ſibi ob oculos ad majorem terro-

terrorem incutiendum proponenti dixit; ut Surius refert: *Hæc enim tibi tormenta ſunt, nobis vero gloria*, ſignificare aperte voluit, tormenta à ſe non veluti ſupplicia ſed veluti gloriam, beatitudinem & Paradiſum æſtimari, quaſi ſuper ardenti craticula poſitus non aſſaretur, ſed in Paradiſum collocatus & beatificatus eſſe videretur.

16. Num forte attenta aliquando mente conſideraſtis quanta cum fortitudine & animi generoſitate S Laurentius rabiei crudeliſſimi Imperatoris reſtiterit? Nimirum adeo animum ſuum in fide Chriſti obfirmaverat, pedeſque ſuos adeo firmiter fixerat, ut Tyrannus ipſum nec promiſſis, nec minis, nec tormentis, nec doloribus, nec per ipſiſſimam mortem, à firmi propoſiti ſui centro dimoveri poſſe videns, pertinacem vocaverit ut Surius refert, dixeritque: *Pone jam pertinaciam*. Dicite mihi obſecro quoniam S. Martyr pedes ſuos collocaverat, ut adeo firmus eſſet & ſtabilis? utique in loco firmo, forti, & ſtabili, ſive ſupra firmiſſimam quandam immobilemque petram Sic enim quia vir ille Matt. 7. v. 25 domum ſuam ſupra firmam quandam petram exſtruxerat, adeo illam firmam reddiderat, ſtabilem, ac ſolidam, ut nec per ventorum furiam, nec per imbrium, pluviarumque vehementiam, nec per ullum fluminum impetum dejici potuerit aut proſterni: *Deſcendit pluvia & venerunt flumina & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim ſupra firmam petram*, inquit Salvator noſter. Cum igitur S. quoque Laurentius eadem fuerit ſoliditate ac firmitate roboratus, illum in cælo potius quam in terra fuiſſe dicere debemus. Cum enim terra locus ſit inſtabilis, fallax, & lubricus, impoſſibile eſt, ut pedes noſtri in ea ita ſtabiliantur aut firmentur, quia à vento promisſionum concuſſi, aut ab humanarum perſecutionum fluminibus alliſi proſternantur & præcipitentur: in cælo duntaxat, quod ſolidum eſt ac immobile, ſtabiliri poſſumus. Quiſquis affectus ſui pedes ſemel ſurſum extenderit, à bono ſuo propoſito, ne per ipſorummet infernalium ventorum furiam dimoveri ulla ratione poterit. *In petra ſecurus*, inquit S. Bernardus ſerm 61. in Cant *in petra firmiter ſto, ſecurus ab hoſte, & fortis à caſu, & hoc quoniam exaltatus à terra. Anceps enim eſt & caducum terrenum omne; converſatio noſtra in cælis ſit, & nec cadere, nec dejici formidamus In cælis petra, in illa ſecuritas & firmitas eſt.*

17. Cum hominis alicujus opera indigentes, neſcimus utrum in domo ſua præſens adſit, quonam ſolemus uti medio, ut eum domi eſſe vel inde abeſſe intelligamus? Domum ejus adeuntes ad fores pulſamus; quodſi pulſanti reſponderit, mox illum domi eſſe intelligimus, ſi vero nemo reſpondeat illum abeſſe confeſtim dicimus. Quodſi idem quoq; experimentum S. Laurentio adhibere volumus, facile intelligemus numanima ipſius ipſo in terra patiente, in domo corporis ſui præſens fuerit, aut procul ab eo abſens, in cælo nimirum. Decius qui S Martyris opera, tū ob ingentes quos habebat theſauros tum ob fidem quam profitebatur, ut videlicet illis eum ſpoliaret, ab hac vero eum diverteret valde indigebat, poſtquam domum martyris, id eſt nobilisſimæ animæ ſuæ corpus, duris fuſtibus mox plumbatis, dein facibus accenſis, demum vivis carbonibus, denique diro equulei ariete, atque craticula repetitis ictibus fortiter pulſaſſet, non ſolum nullum ab eo reſponſum accepit, ſed ne leviter quidem lamentantem eum vidit:

*Non murmur reſonat, non querimonia,*
*Sed corde tacito mens bene conſcia*
*Conſervat patientiam.*

Id quod evidentisſimum ſignum fuit, ſancti hujus athletæ generoſisſimam animam non in corpore ejus, ſed in remotisſima procul regione, id eſt, in cælo fuiſſe: in quem locum elevata, haud ſecus ac ſi truculentam illam corporis ſui carnificinam minime ſenſiſſet, avari & impiisſimi Imperatoris intentioni ac deſiderio nunquam reſpondit.

18. Tametſi S Martyr in igne poſitus, & per diram carnis ſuæ aſſationem ex omni corporis ſui parte in unum vulnus redactus, pretioſum effuderit ſanguinem, nihilominus tamen haud ſecus ac ſi lauto alicui accubuiſſet convivio lætus prorſus erat atque jucundus. An non enim illum ſuperius audiſtis Tyranno dicentem: *Has ego epulas ſemper optavi*? ubi quæſo tunc Laurentii anima erat? Num forte in corpore, in terra, in tormentis ſuper ardenti craticula, in carnificum ſuorum conſpectu, ubi corpus ejus ab igne aſtum dira patiebatur? Sane ſi in terra eo tempore fuiſſet, de malo utique carnis ſuæ dolens corpori compaſſa fuiſſet, illudque ex omni parte tot doloribus obſeptum videns ſaltem aliqua demonſtraſſet mœſtitiæ ſigna. Dum igitur non fuit in corpore, in cælo ipſam fuiſſe neceſſum eſt, in loco videlicet ſecuro, quo nullus unquam dolor pertingit,

tingit, neque præter lætitiam aliud dominatur: *Stat Martyr tripudians,* inquit Bernardus ubi ſupra, *toto licet lacero corpore, non modo fortiter, ſed alacriter ſacrum è carne ſua circumſpicit ebullire cruorem. Ubi ergo tunc anima Martyris? Nempe in tuto.*

19. Decius quidem ſibi futurum eſſe perſuadebat, ut ſanctus Athleta poſt ſuperatum ſine cibo & potu multorum dierum ſqualidum carcerem, depoſito animi vigore debilitaretur, atque in propoſitas ſibi petitiones ultro deſcenderet; extradendo tandem theſauros hactenus à ſe, uti opinabatur abſconditos & quem hactenus intrepide confeſſus fuerat, Chriſtum negando: *Poſtquam multis diebus fuit in carcere ſine cibo & potu*, inquit S. Vincentius ſer. de S. Laurentio, *cogitavit Decius quod fuit debilitatus.* Verum deceptũ ſe deprehendit, ſiquidem poſt diuturnum carcerem fortior inde & robuſtior, animoſior item & audacior egrediebatur, quam in illum ingreſſus fuerat. Verum enimvero qua ratione fieri potuit, ut tot diebus ſine cibo & potu non tantum vivus, ſed & robuſtior & vegetior ſubſiſteret? Reſpondet S. Doctor id factum eſſe, quia iis diebus quibus in carcere delituerat, anima tenus in cælo ſublimatus fuerat. perque jucundas cæli vias, ineffabiles contemplabatur Paradiſi delitias, ſeque admirabili iſthoc ſpectaculo confortabat. Verba Vincentii ſunt, quæ ſequuntur: *Dum in tenebroſo & fœtido carcere corpus detinebatur, anima contemplabatur tranſiens per choros Angelorum, & ſic contemplabatur, neque cibo ullo aut potu indigebat.* Quodſi enim Deus alicui è nobis concederet, ut in Paradiſum ſublevari, & corporalem ad minus magnæ illius divinæ domus pulchritudinem intueri liceret, tantum inde eſſemus concepturi cordis gaudium, ut nulla nobis futura eſſet de cibo aut potu cogitatio: *ſi per impoſſibile homo poſſet per feneſtram immittere caput & reſpicere Paradiſi pulchritudinem etiam corporalem, tanta eſt ejus pulchritudo, quod etiamſi non videret Deum vel Sanctos nollet comedere vel bibere,* inquit idem S. Vincentius ſerm. 2. in Dom. 2. poſt Trinit. Quomodo igitur S. Laurentius in ſqualido carcere clauſus edere potuiſſet, aut bibere, quando anima ſua non in carcere, ſed in Paradiſo conſtituta erat, iiſque fruebatur delitiis, quæ longe integrius & abundantius, quam quodvis opiparum aut lautum edulium ſatiant, confortantur & conſolantur? Supereſt nunc, ut qui hactenus Laurentium in Paradiſo vidimus, illum nunc beatum contemplemur.

20. Quæro igitur inprimis quidnam Sponſus Cant. 2. v. 1. per floris & campi ſymbolum ſignificare voluerit, quando dixit: *Ego flos campi?* Per campum illos ſignificare voluit, qui veluti in campo aliquo inter homines armatos conſtituti, pro ſuo amore, ſanctaque ejus fide, ſuarumq; animarum ſalute generoſe patiendo & moriendo confligunt: Per florem autem ſemetipſum intellexit. Ut nobis ſimul innueret, quod quiſquis illum habere deſiderat in Chriſtiani certaminis campum vel arenam deſcendere debeat. Dicit enim *flos Campi, quaſi diceret,* inquit Hugo Cardinalis in cap. 2. Cant. *Qui me habere deſiderat, campum certaminis non fugiat.* Obſervandum eſt autem, quod Chriſtus ſe hic apud hoſce ſuos generoſos milites florem appellet: *Ego flos campi*, id eſt, pulcher, venuſtus, odoriferus & ſplendidus, qui ſolo ſuo aſpectu, recreat, conſolatur, & beatificat. Quando igitur deinceps audivimus Sixtum Summum Pontificem S. Laurentio in adeo difficilis certaminis campo conſtituto dicentem: *Majora tibi debentur pro Chriſti fide certamina*, firmiter nobis perſuadere debemus, illum hunc paradiſi florem ſecum perenniter tenuiſſe, qui pulchritudinis ſuæ aſpectu illum recreaverit, lætumque ac beatum fecerit, ſingularique conſolatione demulſerit, adeo ut patiens non pateretur, ſed veluti unus è paradiſi civibus hoc omnigena pulchritudine prædito flore ob oculos poſito jubilans exultaret.

21. Credo omnino, quod ſi eo tempore quo Laurentius in manu Decii truculentæque ejus rabiei conſtitutus obſcuro & fætido claudebatur carcere, ac demum ſuper candenti craticula coquebatur & cremabatur, nonnemo curioſius interrogaſſet, quiſnam eſſet in hoc mundo omnium hominum infæliciſſimus, huic communi omnium calculo reſponſum fuiſſet, S. Laurentium hunc hominem eſſe. Verum turpi haud dubie fuiſſent errore decepti ſiquidem Laurentius eo tempore ipſomet fuerit Imperatore, qui hominum cenſebatur fortunatiſſimus fælicior. *Valde falluntur homines*, inquit Ariſtoteles lib. 1. Mor. c. 2. *qui tale ſibi efformant iudicium.* Nonnunquam homo aliquis, qui ob graves quibus ſuccumbit, miſerias, à fælicitate remotiſſimus videbitur, miſer qualis eſſe judicatur, minime erit, ſed omnium fœliciſſimus. Pro cuius confirmatione dictum illud Anaxagoræ mire ſervit, qui à nonnemine, quiſnam omnium fœliciſſimus eſſet, interrogatus, reſpondit, inter fœliciſſimos recenſendos

icendos eſſe non eos quos tu fælices exiſtimas, ſed potius quos reputas omnium infortunatiores. *Nemo ex iis quos exiſtimas, ſed qui à fœlicitate alieniſſimus tibi videtur.* Sanctus igitur Laurentius fœliciſſimus, omniumque beatiſſimus cenſendus erat, quando in horrendo craticulæ ſupplicio conſtitutus patiebatur & occumbebat pro Chriſto, omniumque cenſebatur hominum infeliciſſimus, utpote qui eo tempore opus quoddam perficiebat valde heroicum & juſtum, cujuſque anima in cælum ſublimata ſummo gaudebat & perfruebatur bono. *Fælices, beatique habentur,* inquit idemmet Philoſophus Ariſtoteles ubi ſupra, *qui juſtis, honeſtiſque actionibus tranquille incumbentes, divinæ contemplatione participant.*

22. Prudentius refert, quod dum omnia tormenta præſto eſſent, omneſque carnifices, quicquid Tyrannus contra Laurentium decreverat, executuri aderant, jamque ſuis ad nudam uſque carnem exueretur veſtimentis, generoſi Martyris vultus, adeo fuerit lucidus & ſplendidus, qualis fuit facies Moyſes, quando poſt habitam multorum dierum cum Deo converſationem, de monte deſcendebat.

*Illi os decore ſplenduit*
*Fulgorque circumfuſus eſt*
*Talem revertens legifer*
*De monte vultum attulit.*

Unde neque rabidus Tyranni furor, nec tormentorum præſentia, nec carnificum immanis crudelitas, nec terrificus adeo horrendæ mortis aſpectus ſacroſanctum ſanctiſſimi hujus athletæ vultum pallidum lividum aut obſcurũ reddere potuerunt, uti alias in ſimili occaſione aliis ſolet hominibus accidere, imo novus exinde ſplendor, novuſque pulchritudinis decor ei videbatur accedere. Num igitur S. Laurentium ejuſmodi miſeriis, & doloribus licet oppreſſum, miſerum cenſebitis? Certe Plotinus de Beatitud. c. 8. talem hominem non miſerum, ſed beatum eſſe affirmat dicens: *Neque miſerabilis erit poſitus in doloribus, ſed ipſum ſuum lumen in pene:ralibus, velut facula quadam in Pharo fulgebit aſſiduè, etiam dum extrinſecus venti perflant, turbine procelliq; frementes.*

23 Neque negligenda eſt generoſa Martyris reſponſio, quam Decio illi dicenti: *Putaſne theſauris tuis, & pecunia te à tormentis redemptum iri?* ſubjunxit dicens: *Ego Chriſti famulus ſecurus ſum de theſauris cæleſtibus,* quaſi dixiſſet: Terrenos & caducos theſauros tuos nihil facio, utpote qui de cœleſtibus & æternis ſecurus gaudeo. Cum igitur ſe de cæleſti gloria per theſauros cæleſtes ſignificata ſecurum eſſe dixerit, utique perſpicue ſatis beatum ſe eſſe declaravit. Nemo enim qui non eſt beatus, de beatorum gloria perfruenda poteſt eſſe ſecurus. Adeo namque cum beatitudine conjuncta eſt beatitudinis ſecuritas, ut poſt illam ab homine ablatam, homo beatus eſſe amplius non poſſit. *Impoſſibile eſt aliquem eſſe beatum, niſi ſecurus ſit,* inquit cum S. Auguſtino D. Bernardinus tom. 3 de Beatitud. ſerm 5 Art. 3. c. 1. Credo omnino quod hoc nomen Laurentius, tam in tormentis quam extra illa invictiſſimo huic Martyri optimè reſponderit *Laurentius* enim ut vult Author Hiſtoriæ Lombardicæ, idem ſignificat, quod *Lauream tenens.* Nam in ipſo etjam tormento, de gloriæ Corona paſſioni ſuæ præparata & à Deo promiſſa ſecurus erat, atque ut ita dicam prius beatus, quam beatificatus. Vere enim beatus erat, qui de ſua erat beatitudine ſecurus, beatus inquam erat, qui paulo poſt beatis erat annumerandus. *Proxime accingendus, habetur pro accincto,* dicunt Juriſtæ apud Tiraquellum de leg. Conn. *Fructus de proximo colligengendi habentur pro collectis,* ajunt iidem. *Id quod prope eſt, nihil diſtare videtur,* inquit Ariſtoteles.

24. Audiſtis paulo ſuperius glorioſum Martyrem, dum horrendum certamen ſuum eſſet aggreſſurus, mirum è vultu ſuo vibraſſe fulgorem. Quia vero Prudentius inſuper addit, ipſum eundem præ ſe vultum tuliſſe, quem ſanctus referebat Prothomartyr Stephanus, quando diriſſimæ Saxorum pluviæ, mortique crudeliſſimæ erat adjudicatus.

*Talem ille prætulit*
*Oriſcoruſci gloriam,*
*Stephanus per imbrem ſaxeum*
*Cœlos apertos intuens.*

Conſequenter S. Laurentium vultum habuiſſe Angelicum dicere debemus. Stephanus enim coram tribunali conſtitutus, faciem exhibuit Angelicam: Act. 6 v. 15 *Viderunt faciem ejus, tanquam faciem Angeli.* Laurentius igitur quidam Angelus & conſequenter beatus fuit. Tantas namque pro Chriſto patiens & moriens in corde ſuo ſenſit delitias, ut tormentum ſummæ beatitudinis loco haberet, eſſetque beatus. *Tanta dilectione,* inquit S. Bernardinus Tom. 1 ſerm 30. Art. 3. ca. 3. *fertur in tales perſecutiones, ut eas in hac vita eligat* pro-

*pro ſumma beatitudine B Laurentius expertus eſt, cui carbones præſtabant refrigerium.* Atque ideo haud ſecus, ac ſi inter Angelos beatos moraretur, faciem exhibuit Angeli alicujus beati.

25. Quidnam obſecro Propheta per faciem Dei intelligebat quando Pſal 43 v.24 conquerebatur dicens: *Quare faciem tuam avertis?* Beatitudinem innuere volebat, hæc enim pro facie Dei communiter accipitur. Hujus faciei aſpectu conſolari, lætificari & beari deſiderabat, prouti alibi dicebat: Pſal. 15 v.11. *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* Verum dicat aliquis, quomodo id verum eſſe poteſt cum doctiſſimus Petrus Berchorius in ſuo Dictionario morali. V. Avertere dicat, Davidem per faciem Dei ærumnas intellexiſſe, ex amore Dei toleratas? vult enim hic Doctor Davidem eo tempore cupidum fuiſſe perſecutiones aliaſque ærumnas pro amore Dei patiendi, ideoque coram divina Majeſtate fuiſſe conqueſtum, quaſi nullam de ipſo per tribulationes exercendo haberet memoriam, uti alias verorum amicorum ſuorum per ærumnarum corporalium immiſſionem meminiſſe conſuevit. Unde per faciem Dei quamcunque tribulationem & Martyrium pro Dei obſequio & amore à ſervis ſuis toleratum intelligens dicit: *Facies enim Domini eſt ejus correptio, tribulatio, & à temporalibus retractio. Faciem ergo avertit Deus ab homine, quando ſibi ſubtrahit correptionem, infirmitatem & adverſitatem. Prudens ergo Propheta, & Dei judicia cognoſcens dicit: Quare faciem tuam avertis?* Atque ideo ſi ita eſt quod per faciem Dei intelligatur tribulatio, quomodo per eandem Dei faciem beatitudo intelligi poterit à tribulatione & ærumna adeò procul remota, quantum à fœlicitate diſtat miſeria? etenim hæc duo, miſeria nimirum & beatitudo noſtro quidem ſenſu diverſa eſſe videntur & contraria, ſanctorum tamen opinione una & ipſiſſima res ſunt. Sanctis enim in hac vita degentibus tantundem pro Deo pati placet, quantum Deum videre eodemque frui lubet; ideoq; in ærumnis conſtituti, haud ſecus ac ſi beatifica divinæ faciei viſione in Paradiſo fruerentur, gaudeant & jubilant. *Beatus Paulus*, inquit D. Chryſoſt hom. 2 ad populum, *tentationem imbres per ſingulos dies videns irruentes, tanquam in medio gaudens paradiſo lætabatur & exultabat.* Cum igitur nos invictiſſimum Chriſti martyrem Laurentium, in medio tormentorum ſuorum lætum videamus atque jucundum, credendum nobis eſt firmiter, ipſum in iis quæ pro Dei amore tolerabat tormentis & paſſionibus, tantum habuiſſe gaudium & lætitiam, ac ſi in cælo conſtitutus ineffabilibus fruitus fuiſſet ex beatifica vultus divini viſione enatis deliciis.

26. Porro diſcurſus hic meus mundanis hominibus admodum videbitur paradoxus, utpote qui perſuadere ſibi minimè poſſunt, hominem aliquem ab aliis hominibus nequaquam diverſum dum acerbiſſimis exercetur doloribus, non ſolum haud quicquam dolere aut contriſtari, verum inſuper lætum eſſe, ſeque reputare beatum. Talibus itaque conſiderandum eſt, diverſiſſimos eſſe hominum ſtomachos & cibos. Unus namque idemque cibus quem hic ſtomachus abominatur, alter deſiderat Sic namque ſtomachus viri ſenis & decrepiti utpote languidus & debilis, cibum aliquem abhorret, qui crudus eſt, cum tamen ſtomachus juvenis alicujus fortis & generoſi cibos crudos magna cum aviditate appetat. Cum itaque hominum mundanorum utpote ſenum & inveteratorum ſtomachi inveterati ſint & languidi: ſanctorum verò ſtomachi utpote hominum novorum, novi ſint atque à divina gratia renovati, mirum non eſt quod iiſdem rebus duris, crudis atque moleſtis quas illi ſingulari cum faſtidio, nauſea, horrore & dolore manducant, hi cum ſpeciali guſtu & delectatione nutriri videantur. *Novus homo*, inquit Paulus de Palatio in cap. 5. Matth. *nova creatura, ſicut eſſe novum habet, ita novum habet ſtomachum, novum habet guſtum, qui maximè in tribulatione lætatur.* Mirum itaque non eſt ſi S. Laurentium tormenta ſua tanto cum guſtu; delectatione, & jubilo excipientem videamus, cum homo novus ſit, novoque ſtomacho gaudeat. Quod ſi Epicurus licet ſtomachum haberet adeò confectum & languidum, ut humanam beatitudinem in ſenſualibus collocare delectationibus non dubitarit, ideoq; ut Diogenes Laërtius in Epicuro refert, dixerit: *Nihil equidem habeo quod bonum intelligam, ſi ſaporum voluptates, & quæ ex ventre conflant, & quæ auribus percipiuntur, quæque ex forma venuſtate blandiuntur, oculis aufferam, tandem de veritate melius edoctus auditus eſt dicere: Iucundum eſt virtuoſo torreri in tauro Phalaridis.* Et alias dum ex horribili quodam morbo afflictus moreretur, dixerit: *Fœliciſſimum hunc diem & beatiſſimum ago*, ut Seneca à Joan Gerſone ſer. in feſto omnium SS. citatus, refert. Cur Laurentius homo novus & ſanctus pro Chriſti amore in craticula crudeliter toſtus, nō judicaretur ab omnib⁹ felix & beatus?

27. Quidnam obſecro Laurentius prætendebat,

bat, quando à Decio aut ejus miniſtris in craticula ex uno latere in aliud verſari petebat dicens: *Ecce miſer aſſaſti unam partem, verſa aliam*, ut refert in ejus vita Surius? Corpus ſuum in igne verſari rogabat, ut hac ratione torreri poſſet in omni corporis parte; Imo ſi ita commode facere potuiſſet, ſeſe ipſum abſque ulla Tyranni juſſu adhibita opera in omnem partem vertiſſet, ad inſtar aviculæ cujuſdam quæ Crochilus, aut ut quidam volunt Regulus nominatur. De hac namque ſcribitur, quod deplumata & in feru ad ignem expoſita ultro citroque ſemetipſam verſet & ad ignem torreat: *Chrochylos ſi deplumata in feru figatur, ad ignem gyrat ſemetipſam, & hoc probatum eſt à nobis*, inquit Albertus lib. 23. de Animalibus Lit. C. Certe cum S. Laurentius vivus pro Chriſti amore torreretur ad ignem, tanto perfundebatur gaudio, ut pro delitiarum & gaudii ſui majori incremento in omni corporis ſui parte torreri, hocque fine in igne verſari & gyrari valde deſiderarit; Non igitur infœlix & miſer, ſed fælix potius & beatus cenſendus eſt, qui ex tormento tantum ſibi gaudium, & delitiarum voluptates elicere novit.

28. Quamnam ob cauſam Rupertum Abbatem lib. 8. de divinis officiis cap. 10. Chriſti Martyrem Laurentium piſcem appellaſſe putatis? *Beatus Laurentius*, inquit hic Doctor, *unus, & bene notus, de magnis illis piſcibus, piſcis magnus, idemque aſſus, cujus aſſatura ſuaviter in tota Chriſti fragrat Eccleſia.* Num forte quia Virgo ſemper permanſit, ideoque inſtar piſcis cujuſdam ſemper frigidus atque ab omni luxurioſo ardore immunis fuit. An vero quia ſicut piſcis extra aquas vivere nequit, ita quoque extra divinæ gratiæ aquas nunquam vitam duxerit. *Semper abſtinuit à vitiis & peccatis & vanitatibus mundi*, inquit S. Vincentius ubi ſupra. Vel ideo quod ſuper craticula extenſus piſcis inſtar mutus fuerit, de atroci quod patiebatur incendio nequaquam murmurans aut contradicens. Verum enimvero obſervandum quod Chriſti Martyrem non piſcem vulgarem & parvum, ſed piſcem magnum appellet: *De magnis illis piſcibus; Piſcis magnus*, ut hac ratione innueretur ipſum non eſſe piſcem de fonte, haud, aut flumine natum, cujuſmodi communiter parvi eſſe ſolent, ſed piſcem marinum, piſcem magnum, tum quia in quodam paſſionum & Martyriorum acerbiſſimorum mari magno nutritus erat, & patientiam quandam inſtar maris magnam & miraculoſam exhibuerat: tum denique quia ſicut piſces tametſi amariſſimis maris aquis ſint immerſi, ipſi tamen ex amaro dulcedelicientes, non ſolum amari ſunt, ſed ſuaviſſimi & delitioſiſſimi exiſtunt: *De amaritudine maris nihil tranſit in ſaporem piſcium, ſed magis in ea ex ea dulciſſimi ſunt & nutriuntur: ita ut cum in abyſſo amaritudinum ſint, quaſi non tangat eos amaritudo*, inquit Guilielmus Pariſienſis de moribus c. 2. Ita quoque Laurentius haud ſecus ac piſcis aliquis, amariſſimo martyriorum mari immerſus, non ſolum nullam de ſumma amaritudine acerbitatem, ſed incredibilem potius & admirabilem dulcedinē hauſit. Quaſi non hujus mundi undis immerſus fuiſſet, ſed aquis illis quæ ut Pſal. 148. v. 4. dicitur *ſuper cælos ſunt?* quæ ob inſolitam quam ſecum adferunt ſuavitatem, dulciſſimum quoddam lac aut mel, ſeu potius nectar & amброſia eſſe videtur, ideoque ſua bibentes dulcedine beatificant.

29. Neque intermittenda eſt verborum illorum conſideratio, quæ Rupertus Abbas in fine ſupradictæ ſententiæ ſubjungit, id eſt; *Cujus aſſatura ſuaviter in tota Chriſti fragrat Eccleſia.* Odor ille ſuaviſſimus quem piſcis hic in horrenda craticula toſtus exhalabat, univerſam ſuavitate ſua adimplevit Eccleſiam. Ponderandum autem hic eſt, quod non dicat aſſaturam hanc ſuavitate ſua impleviſſe mundum, ſed Eccleſiam, ut innueret, ſolos odore iſto Chriſtianos frui, non vero gentiles & Idolorum adoratores atque ideo odor iſte, inquit Prudentius, qui hilis velut faſtidioſus odor fœtebat, illis ſuaviſſimum nectar eſſe videbatur:

> *Quin ipſa odoris qualitas*
> *Adusta quam reddit cutis,*
> *Diverſa utroſque permovet*
> *His nidor illis nectar eſt.*

Quia ſoli duntaxat Chriſtiani, verum quem ſacrum Laurentii corpus exhalabat odorem ſentire & olfacere merebantur, ideo nectaris odorē percipiebat, talis namque revera odor ille erat, qui è Martyris corpore fragrabat. Unde cum nectar, ut Poetæ ajūt, cæleſtis ſit beatorum cibus, evidens eſt quod nectareum hunc de ſe odorem ſpargens Laurentius, craticulæ adfixus, eodem quo beati paſcuntur cibo, nutritus fuerit, fueritq; beatus, quippe cum cœleſte hoc edulium nulli præterquam ſolis beatis fuerit conceſſum.

30. Cur obſecro Chriſtus devotam & religioſam turbam illam, quæ in deſertum uſque tanto

cum

cum affectu ipſum inſecuta fuerat, hordeaceo voluit pane cibare? Quod ſi illis manna, quo cum patres eorum in Arabiæ deſerto nutriti fuerant, in cibum dare noluit, ad minus triticeo pane menſas ipſorum inſtruere potuiſſet. Videtur ſanè Chriſtus in hoc facto ſanctos ſe inſequentium ſibique inſervientium affectui parum admodum correſpondiſſe. Verum enimvero certum eſt, quod ſi Deus horum hominum menſas non ſolum triticeo pane, verum etiam manna pariter & nectare inſtruxiſſet, lautius tamen jucundiusq; convivium illis haudquaquam præparare potuiſſet, ab illo, quod eis pane illos hordeaceo cibando appoſuerat. Sciendum itaque eſt quod hordeum utpote aſperum, ſpinoſum, & palato difficile, ærumnarum præſentis vitæ expreſſum ſit ſymbolum. Unde ut Chriſtus nobis perſpicuè innueret, quod Deus ſanctis ſuis in hac præſenti vita aliam menſam non præparet, quam ex ærumnis, perſecutionibus, martyriis copioſè inſtructam, alio turbam hanc pane quam hordeaceo cibare noluit. Quia autem idem panis, quantumvis in exteriori cortice aſper, ſpinoſus, & difficilis ſit, interius tamen Angelorum beatorumque panem abſcondit, hinc ſuavior, dulcior, guſtuique gratior, & delectabilior illo panis dari nequivit: *ſub hoc hordeaceo pane*, inquit Paulus de Palatio in cap. 14. Matth. *Latet cibus ille cæleſtis, qui omnia bona excellentiſſimè vincit.* Porrò tantum eſt alicujus pro Chriſto patientis & morientis ſervi Dei gaudium & delectatio, ut ſibi dum patitur cæleſtibus Angelorum beatorumque menſis aſſidere, eodemque cum illis pane nutriri videatur. Unde nequaquam mirandum eſt, quod Angelorum panem craticulæ cortice tectum manducans Laurentius, ſibi viſus fuerit eſſe beatus, ideoque liberè ad Tyrannum, ut Surius in ejus vita refert, dixerit: *Has ego epulas ſemper optavi.*

31. Quando Chriſtus ſe grano frumenti, uti in hodierno Evangelio audiſtis, aſſimilavit: Joan. 12. v. 24. dicens: *Niſi granum frumenti mortuum fuerit, ipſum ſolum manet*; aliud ſanè per hanc Analogiam ſignificare noluit, quam ſe quoddam frumenti granum eſſe, quod inter Hebræorum manus emortuum, inter Chriſtianos eſſet multiplicandum: *Ipſe Ieſus erat granum mortificandum & multiplicandum, mortificandum infidelitate Iudæorum, multiplicandum fide populorum*; inquit S. Auguſtinus tract. 51. in Joan. Quia igitur mors & paſſio Domini à multis amicis ſuis conſectanda & imitanda erat, ideo in omnibus multiplicari debebat, adeò ut non jam deinceps unus Chriſtus, ſed tot eſſent Chriſti, quod pro ejus amore paſſi fuerant & occiſi. Porrò quiſnam adeò eſt ignarus & rudis, ut neſciat, quod ſanctus aliquis Martyr ob imitationem paſſionis & mortis Chriſti naturalis quidam ſit, & ad vivum repræſentans Chriſti imago? Audite Petrum Abbatem Cellenſem lib. de panibus cap. 4. ita loquentem: *Poteris imaginem & ſimilitudinem Dei in te repingere, ſi pro fide Chriſti poteris occumbere: tunc enim quaſi cera ſigillum imprimitur, cum morti Chriſti mors noſtra aſſimilatur. Benè reſignavit ſuam Deus imaginem in Martyre ſuo, qui jam illam primam & veram præ claritatione & præ exaltatione ſuper cæleſti non valemus videre immaginem juxta nos configuratam per paſſionem reſpicimus imaginis imaginem.* Quid igitur ex hoc mihi aliud ſupereſt dicere? quam quod Laurentius Chriſto per paſſiones & Martyrium adeò ſimilis, alter quidam videri Chriſtus, & conſequenter beatus judicari debebat. Sicut enim ſolus Deus beatus eſt, ita quoque illi duntaxat ſunt cenſendi beati, qui Deo aſſimilantur: *Si igitur*, inquit Gregorius Nyſſenus Orat. 1. de beatitudine, *divinum numen ſolum beatum eſt, beatitudinis communio hominibus per hoc contingit, ſi Deo aſſimilentur.* Sanctum igitur & invictiſſimũ Chriſti Martyrem invocemus, ut patientiæ donum, cujus ille tantam habere partem meruit, quoque nos ob continuas hujus miſeræ vitæ ærumnas tantoopere indigemus, nobis impetrare dignetur, ut per hoc quod patienter ſuſtinemus, ſummo illo bono, quo ipſe in hoc mundo perfrui cæpit, & etiamnum cum Angelis cæteriſque Dei electis perfectiſſimè fruitur, & in æternum fruetur, nos quoque perfrui mereamur.

# PANEGYRICVS XXXV.

## De Glorioſa Aſſumptione Beatiſſimæ ſemperque Virginis Dei Genetricis MARIÆ.

## THEMA.

Tu gloria Ieruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri, Iudith. 15. v. 10.

## ARGVMENTVM.

*Cælum nunquam adeo glorioſum, pulchrum, lætum, feſtivum & luminoſum apparuit, ſicuti poſtquam Beatiſsima ſemper Virgo MARIA in cælum ſublimata & collocata fuit.*

1. NUllus hominum jubilum, lætitiam, feſtivaq; gaudia illa perſuadere aut imaginari ſibi poterit, quæ in expectatiſſimo cæleſtis Reginæ in ſupremam cæli curiam ingreſſu, excitata fuère. Illius namque triumphi gaudia talia fuerunt ac tanta, ut iiſdem perfuſi Angeli obſtupefacti, Cant 8 v.5. dixerint: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto delitiis affluens? Gaudiorum affluentiam inter alia cælorum cives admirantur in Virgine*, inquit B. Thomas à Villa Nova Conc. 2. de Aſſumpt. B. Virginis. Neque hæc illorum admiratio præter rationem fuit, merito enim præ ſtupore rapiebantur in extaſin, quando in ſereniſſimam beatorum domum, ubi lætitia plena ſunt omnia, novũ quoddam à pura creatura adferri gaudium eandemque creaturam locum illum qui omni imaginabili decoratus pulchritudine erat, mire decorari, illudque palatium, ubi poſt ſummum ſolem tot luna reſplendent, incredibili ab eadem creatura profecto ornatu refulgerẽ videbant. Unde Sereniſſimæ Cælorum Reginæ ineffabilem cæli gloriam triumphaliter ingredienti cuncti cæleſtes ſpiritus una voce illud Judit 15. v.10 dicebant: *Tu gloria Ieruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri*, id eſt, tu gloria Dei, tu lætitia Angelorum, tu honorificentia fæliciſſimi Beatorum populi. *Gloria Ieruſalem*, inquit doctiſſimus ille Genuenſium Archiepiſcopus Jacobus de Voragine ſerm. 214. de ſanctis, *id eſt, ipſius Dei; lætitia Iſrael, id eſt, Angelorum, qui Deum facie ad faciem ſemper vident; honorificentia populi noſtri, id eſt, omnium ſanctorum & beatorum.* Quaſi vero nec Deus

Deus ita glorioſus, futurus fuiſſet, nec adeo læti Angeli, neque Sancti & Beati cælorum cives tanta futuri fuiſſent honorificentia clarificati, niſi auguſtisſima cælorum Regina in glorioſas cæli ſedes fuiſſet recepta. Et quidem reipſa ita eſt, nunquam enim cælum glorioſius, pulchrius, jucundius aut luminoſius apparuit, quam quando beatisſima Virgo Maria cælos ingreſſa fuit.

2. Quando Author Eccleſiaſtici in ſpiritu elevatus beatisſimam Virginem in cælos, id eſt, in glorioſum unigeniti filii ſui palatium aſſumptam vidit, eandem Eccleſiaſt. 26. v. 21. ſoli asſimilare voluit, dicens: *ſicut Sol oriens mundo in altiſſimis Dei: ſic mulieris bonæ ſpecies in ornamento domus ejus.* Quaſi dicere voluiſſet. Mox ut beatisſima Deipara ſeſe in Paradiſo inter illuſtrisſimos beatorum exercitus videndam exhibuit, haud ſecus ac ſol quidam inter ſtellas eſſe apparuit. Cur ſoli ſimilis viſa fuit? Solem ipſam appellavit, ut hoc nomine ſeu typo, raros ſuos declararet ſplendores & venuſtates, nec non pulchritudinem & ſplendorem quem in cælo communicabat beatis. Sol non tantum omnium eſt viſibilium pulcherrimus, verum inſuper ipſas quoque cæli ſtellas ſplendoris ſui radiis decorat & illuſtrat. Beatiſſima Virgo in cælis quaſi ſol inter ſtellas emicuit, mox enim ut glorioſiſſimam Dei domum beatos inter ſpiritus egreſſa fuit, veluti ſol quidam inter ſtellas ſubingredi viſus fuit. Neque enim ibidem mirabile duntaxat miraculoſæ pulchritudinis ſuæ in ipſiuſmet pulchritudinis regno nunquam viſæ ſpecimen edidit, verum inſuper ſummæ & ineffabilis gloriæ ſuæ luminibus cunctos cælorum beatos cives, magis decoros & illuſtriores reddidit. *Tantum enim differt gloria Virginis, à gloria aliorum beatorum*, inquit S. Bernardinus parte 1. ſerm. 61. art. 2. cap. 3. *quantum ſol à cæteris luminaribus cæli & quodammodo ſicut cætera luminaria irradiantur à ſole, ſic tota cæleſtis curia à glorioſa Virgine lætificatur & decoratur.*

3. Quamnam ob cauſam beatiſſimam Virginem Mariam appellatam fuiſſe exiſtimatis? Maria vocatur, quia ſol quidam eſt. *Maria* enim interpretatur *illuminatrix.* Quia enim ſolis officium eſt quicquid in cælo terrave continetur illuminare, Deipara autem eadem veluti ſol quidam myſticus illuminatura erat, merito *Maria*, id eſt, *Illuminatrix* fuit appellata. Porro terra fæliciſſimo illo tempore, quo magnum hunc ſolem ſuper facie ſua tulit, adeo magnificè illuminata fuit, ut de ea B. Bonaventura in ſpeculo Virg cap 3. cum S. Bernardo dicere non dubitarit: *O Maria tu virtutum tibi inditarum magnificis exemplis noctem veſtram illuminans; quis enim vias tuas inſecutus fuerit, non ambulabit in tenebris.* Neque jam cæli gloriam ingreſſa ſplendiſſimus ſol eſſe, Maria eſſe, illuminatrix eſſe deſiit, ſiquidem ſicuti in mundo exiſtens illuminabat ſuiſque radiis illuſtrabat viatores: ita compræhenſores Angelos, & beatos æternæ gloriæ cives illuſtravit & illuminavit exiſtens in cælis Ipſa in cælis reſidet, veluti ſol in mundo qui quaquaverſum ad omnes mundi plagas reſpiciens omnia illuſtrat & decorat. *Sic illuminans Maria in gloria ſua rutilans per omnia reſpicit, ut per omnes Angelos & ſanctos gloriæ ſuæ illuminationem extendat*, inquit ubi ſupra idemmet S. Doctor.

4. Cur obſecro Deus beatam Virginem in cælis exiſtentem S Joanni Apoſtolo Apocal. 12. v 1. veluti ſole amictam exhibere voluit? *Amicta ſole.* Ideo nimirum, ne aliquis crederet, quod ipſa quæ in terris vivens ſol quidam, omniumque illuminatrix fuerat, cæleſtium luminum regnum jam ingreſſa, interque tot & talia tantoque lumine prædita lumina conſtituta lumen ſuum primumque ſplendorem ab iiſdem mutuata fuiſſet. Quaſi eidem dicere voluiſſet: Maria mater mea non minus in terra inter homines vivens, quam in cælis inter Angelos degens ſol quidam fuit. Ipſa ſereniſſima ſua præſentia ita paradiſum ejuſque habitatores ornat & illuſtrat, ſicut mundum & eos qui in mundo erant illuſtravit & ornavit exiſtens in terris. Unde doctiſſimus Petrus Caniſius lib. 5. de Deipara cap. 4. quaſi eandem in cælo ſole vidiſſet amictam & cinctam, hiſce eam verbis alloquitur: *Ecce tua præſentia non ſolum orbis illuſtratur, ſed & cæleſtis patria nunc clarius rutilat virginea tua lampadis illuſtrata fulgore.* Quaſi diceret: Tu quantum mihi videre licet, non ſolum cum in terris viatrix viveres ſol quidam ſerenisſimus fuiſti, verum etiam nunc ſublimata in cælis, tam hodie Angelos & beatos illuminans, quam quondam homines illuminaſti viatores. Sol es, illuminatrix es, verèque Maria es in cælo & in terra.

5. Nemo inficiari poterit, quin beatisſima Virgo Maria nunc tanto majorem gloriam habeat in cælis quanto majorem habuit gratiam in terris.

terris. *Quantum gratiæ Maria in terris adepta eſt præ cæteris, tantum & in cælis obtinet gloriæ ſingularis*; inquit S. Bernardus ſerm. 1. de Aſſumpt. Unde cum in terris exiſtens omnium fuerit ſanctorum ſanctarumque pulcherrima; teſte S. Ildephonſo ſerm. 3. de Aſſumpt. dicente: *Tanto ſpecioſior præ cunctis & ſublimior, quanto gratia glorioſior effulſit*, conſequenter in cælis conſtituta eſſe debet omnium Angelorum & ſanctorum ſpecioſiſſima. Quæ in terris ſuper omnes mortales eſt ſublimata, in cælis quoque ſuper omnes immortales ſpiritus exaltari debuit. Adhæc quæ in terris Regina fuit omnium hominum in cælis eſſe debuit Regina omnium Angelorum. Denique quæ quamdiu hic in terris nobiſcum vixit, maximum fuit terræ hujus ornamentum, majorque gloria & decus hominum (unde *Præclarum Naturæ noſtræ ornamentum, gloriæ luti noſtri* à Chryſippo presbytero ſerm. 1. de laudibus B. Virginis appellata fuit) maximum quoque ornamentum, pretioſiſſimumque quo cæleſtis Beatorum patria exornatur & decoratur, debuit eſſe monile. Id quod veriſſimum eſſe S. Bonaventura in ſpec. virg. cap. 7. hiſce verbis teſtatur dicens: *Glorioſum gloriæ Mariæ privilegium eſt, quod quicquid poſt* Deum *pulchrius, quicquid dulcius, quicquid jucundius in gloria eſt, hoc Maria, hoc in Maria, hoc per Mariam eſt.*

6. Sciendum eſt, quod ſponſus, qualis mater Salvatoris noſtri eſt, explicare volens, Cant. 4. v. 15. ipſam fontem hortorum eſſe dixerit: *Fons hortorum*. Cur obſecro illam fontem, & quidem hortorum non vero horti fontem appellat: Fontem illam eſſe dicit, quia ſicut *Fons* à *fundendo* dicitur, quia videlicet aquas ſuas omnibus obviis tanta cum liberalitate & abundantia effundit & communicat: ita quoque ipſa quaſi fons quidam myſticus gratiæ & gloriæ ſuæ aquas univerſaliter omnibus impertitur. *Omnibus omnia facta eſt*, inquit Bernardus ſuper ſignum magnum. *Sapientibus & inſipientibus copioſiſſima charitate debitricem ſe fecit; omnibus miſericordiæ ſinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant univerſi.* Porro fons hortorum non verò horti dicitur, quia non ſolum militantis Eccleſiæ hortum in quo nata eſt, verum etiam hortum Eccleſiæ triumphantis per quem cum ad ſedendum ad unigeniti filii ſui dexteram ſeſe reciperet, inundando irrigavit. *Fons terram irrigat, à qua oritur, & inde tranſit ad aliam irrigandam*, inquit Richardus à S. Laurentio lib. 9. de Laudibus B. Mariæ. Venuſtatibus, gratiis, & delitiis & ſplendoribus ſuis, non terram duntaxat, quæ feliciſſimè ipſam produxit, verum etiam cælum ipſum beatificavit. *Cunctas illuſtrat Eccleſias*, inquit idemmet Richardus ibidem lib. 1. id eſt, militantem & triumphantem.

7. Quidnam obſecro Spiritus Sanctus B. Virgini dicere volebat, cum ei dixit Cant. 4. v. 13. *Emiſſiones tuæ Paradiſus*? quaſi diceret, quicquid tu circum te emittis, & exhalas, merus eſt paradiſus? Nihil aliud ſignificare volebat, quam quod cæleſtibus delitiis, æterniſque beatitudinis gaudiis adeò abundè & copioſè repleta fuerit, ut quocunque ſe verteret & gyraret, meros veroſque paradiſos formarit: omneſque corporis ſui motibus, aſpectu, verbis, aliiſque glorioſiſſimæ perſonæ ſuæ membris & actionibus lætificarit, & jucunditate ac delitiis adimplendo beatificarit: *Mariæ præſentia*, inquit S. Amedeus hom. 7. *gratam veris temperiem exhibebat, & quo ſe favens ſe verteret, paradiſus erat: Emiſſiones tuæ, ait ſponſus, paradiſus.* Unde quia gloria naturalis & gratioſa hujus vitæ dona non tollit, ſed perficit:

> *Gloria non tollit Naturam, perficit ipſam*
> *Plus ea dignificans, mundo quæ digna fuere:*

inquit Joannes Gerſon Joſeph in diſt. 11. in orat. dicere conſequenter oportet, beatiſſimam Virginem poſtquam in Paradiſum tranſlata fuit, tot formaſſe paradiſos, quod a digniſſima ejus perſona obtutus, motus, verba, aliæque ſimiles actiones dimanabant, totidemque paradiſis cæleſtem adimpleviſſe & ornaſſe paradiſum. *Quo favens ſe verteret, paradiſus erat.*

8. Opinio eſt S. Anſelmi lib. de Excellentia Virginis cap. 8. Angelos aliosque beatos cæleſtis gloriæ cives in glorioſiſſimo Deiparæ Virginis in cæleſtem ipſorum patriam ingreſſu, ſolito majori ornatu ſplendore, & venuſtate nituiſſe: *Certè crediderim, omnes illius beatæ patriæ cives, feſtiviori ſolito, ac ſublimiori nitore decoris ad adventum matris Domini ſui præparari, ac nova quadam & ineffabili jucunditate gratiæ pro tantæ rei exſpectatione conjubilare.* Ita namque Angelos illo die adornari decebat, quando tam auguſta Domina, adeo nobilis potenſque Regina, & ut me unico verbo expediam, Mater Domini ſui, tam ſolemni triumphalique pompa urbem ipſorum ingrediebatur. Scribit Mambrinus Roſeus, lib. 6. Hiſtoriæ mundi, quod dum ſereniſſima Poloniæ Regina, bona nomine Venetiarum Urbem ingrederetur, Sere-

Sereniſſima Venetorum Reſpublica, præterquam quod ipſam in Bucentauro (hoc nomine appellatur quædam Venetorum navis pulcherrima & pretioſiſſima, inſuper pro illa duntaxat vicem rigido quodam de non portandis à nobilibus veſtibus & monilibus pretioſis, erecto ſenatuſconſulto diſpenſaverit, publicam indulgendo libertatem ut pro ſolemniori magnæ illius Reginæ ingreſſu, omni meliori & pretioſiori modo quo id iis poſſibile foret, veſtire ſe poſſent. Similis quoque pompa, apparatus, & ſplendor in cælo viſus eſſe videtur in die quo cælum ingreſſa eſt ſereniſſima Angelorum Regina. Unde ſicut Urbs Venetiarum illa die ob Reginæ illius præſentiam ſeſe ſolito pulchriorem, illuſtriorem, longeque magis opulentam & lætam exhibuit. Ita quoque in die quo ſanctiſſima Dei Mater ingreſſa eſt Paradiſum, Paradiſus juxta noſtrum loquendi modum ſolito viſus eſt fuiſſe pulchrior feſtivior, delitioſior, & illuſtrior.

9. S. Damaſcenus de dormitione Deiparæ, de Aſſumptione Beatæ Virginis loquens, illum eo die in templo ſuper cæleſti præſentatam & oblatam eſſe dicit: *Hodie ſancta & ſola Virgo ſupermundano & cæleſti templo offertur.* Beata Virgo olim dum adhuc infantula eſſet in templo quidem Domini præſentata & oblata fuit, tunc autem nondum adeo pulchra, ornata, & illuſtris erat, utpote quæ divinum ſolem in ſacroſancto virginei corporis ſuo clauſtro nondum receperat, neque tantæ adhuc gratiæ & gloriæ particeps facta fuerat, quanta deinceps cernebatur ornata, poſtquam jam Dei mater effecta in cælo Empyreo præſentata fuit & oblata. Unde ſi templum Hieroſolymitanum ut præſentaretur ingrediens, tantam viſa eſt ſe cum adferre gratiam & gloriam, tantaque cauſavit gaudia & delicias, ut non Angeli duntaxat, verum etiam res inanimatæ, extraordinaria lætitiæ ſigna edentes tripudiarint: *Tunc Lampades luminis ingreſſum lætificabant, & omnia quæ in templo continebantur ad lætitiam movebantur, ipſis, ut puto, inanimatis cum Angelis lætantibus*, inquit S. Georgius Nicomedienſis Archiepiſcopus. Quomodo igitur in glorioſo Aſſumptionis ſuæ die illuſtrare Angelos, beatos lætificare, glorioſos beare ſpiritus, ipſamque civitatem Cryſtallinam, tametſi hæc illo die tanto lumine ornata, tantiſque plena delitiis eſſet illuminare debuit?

10. Doctrina & vitæ ſanctitate Venerabilis Pater Petrus Caniſius ubi ſupra lib. 12. exiſtimat, eo die quo Beatiſſima Virgo Maria in templo Hieroſolymitano præſentata fuit, Angelos novam in cælis perſenſiſſe inſolitamque lætitiam hactenus in Paradiſo nunquam guſtatam aut experientia comprobatam. *Procul dubio Angelis novum in cælo gaudium creabatur.* Glorioſiſſima cæli terræque Regina Maria venerabili & auguſta præſentia ſua quoddam tantæ lætitiæ & jubili formabat ſpectaculum, ut non ſolum res illuſtraret & lætificaret vicinas, verum etiam remotas atque diſtantes; neque enim templum ingrediens, ſolum templum, & quicquid in eo claudebatur, verum etiam Angelos ipſoſmet, licet adeo à templo remotos, quantum cæli diſtant à terra, lætificavit & illuſtravit. Quodſi in templo procul à cælo remota exiſtens cælum nihilominus illuſtravit, & gaudio ineffabili replevit, quomodo igitur cælum illuſtrare debuit, quando terram deſerens in cælo præſentata fuit? Quodſi roſa tantum è remoto loco exhalat odorem, quantum in proximo conſtituta exhalare debebit?

11. Inter cæteras rationes ob quas Deiparæ Virginis corpus è terra in cælum transferri debebat, una hæc eſt, quia nimirum indecens erat, ut terra illa quæ ambroſiam produxerat, in terra remaneret. *Non oportebat enim hoc divinum habitaculum*, inquit D. Damaſcenus ubi ſupra, *botri ambroſiæ terram inirrigabilem coerceri in ſinu terræ.* Verum dicat aliquis, cur non conveniebat hanc terram in terra relinqui? Quia nimirum terra hæc cum terra illa quæ ambroſiam produxerat, commune nihil habebat, cum ambroſia non ſit cibus hominum terræ habitatorum, ſed ſupernotum eſca ſit cæli civium. Ambroſia pariter & nectar, juxta Poëtarum figmenta cibus ſunt & potus Deorum; ideoque *Ambroſia* dicitur, quod in latino ſermone, *immortalis* interpretatur, quia cibus eſt immortalium, eorum nimirum, qui cum cælum incolant, mori non poſſunt. Hæc igitur glorioſa terra in cælum tranſportari & ſublimari debebat, ibidemque ſuaviſſimo & dulciſſimo cibo quem produxit, cæleſtes cives hactenus in cælo inexpertis adimplere delitiis.

12. Deipara Virgo Maria Eccleſiaſtici c. 24. v. 27. dicens: *Sicut Cedrus exaltata ſum in libano* admirabilem in glorioſis Paradiſi ſedibus exaltationem ſuam manifeſtare voluit, quaſi perſpicue magis dixiſſet. Ego eo modo quo unigenitus filius meus, in Beatorum gloria ſum ſublimata, ubi ipſe eſt ſuper omnes Angelos & ſanctos elevatus,

tus, ego ſimiliter ſupra omnes illos ſum in locum ſublimiſſimum uſque ſubvecta. Sicut enim per Cedrum filium ſuum intelligit, ita per montem Lybanum intelligit Paradisum. *Libanus mons qui interpretatur candidatio, deſignat ſtatum gloriæ, ubi eſt perfecta candidatio, ſeu albedo innocentiæ & puritatis in ſanctis, quos Ioannes vidit amictos ſtolis albis Cedrus altiſſima eſt Divina Majeſtas, quæ in libano gloriæ à ſanctis cernitur. In illo ergo libano, monte gloriæ, Virgo Maria exaltata eſt quaſi Cedrus, quæ eſt Ieſus, quia ſuper omnes Angelos & ſanctos eſt elevata*, inquit S. Antoninus Archiepiſc. Florent p. 4 tit 15. c. 44 Quia vero poſtea ſubjungit: v. 22. *Sicut vitis fructificavi ſuavitati odoris*; ideo liquet quod in cælis exiſtens non tantum per Cedri, verum etiam per vitis ſymbolum voluerint intelligi. Quia cum per Cedrum ſummam ſuam declaret celſitudinem, per vitem ſummam ſuam proponit lætitiam & jucunditatem, qua omnes in æterna gloria inebriat beatos & Angelos Sicut enim vitis ut Pierius lib 53. ex Philoſtrato dicit, lætitiam ſpirat & exhalat; *ſub vite conſidendum, quod ex ea ſpirare ſolet lætitia*. Ita ipſa in omnibus Paradiſi locis tantam de ſe ſpirat & exhalat jucunditatem, ut omnes inibi beatos ineffabiliter recreet & lætificet. Omnes cæli ordines, tam ſancti quam Angeli, Deiparam Virginem quaſi vitem quandam pro particulari habent lætitiæ & exultationis objecto *Quilibet cælicus ordo lætatur, quia in B. Virgine reperit aliquid gloriæ ſpeciale*, inquit S. Bernardinus tom. 3 de Aſſumptione art. 2. cap. 3

13 Regius Propheta David Beatiſſimam Virginem jam poſt hanc vitam in cælos exaltatam atque ad divini Filii ſui dexteram collocatam deſcribens, eandem veſte quadam aurea amictam proponit pſal. 44 v. 10. *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato.* Cur autem illam aurea proponit veſte amictam? Quia nimirum raro quodam lumine, tum ab anima beata, tum à beato ejus corpore reſplendente, totam illuſtrat & illuminat Paradiſi regiam Quia enim aurum lucis plenum eſt atque reſplendet, *aurum* ab *aura*, id eſt à ſplendore dicitur ut S. Iſidorus lib. 16 Ethymolog. cap 17. inquit, atque ideo beatiſſima Virgo Deipara in cæleſtis Paradiſi ſede auro veſtita deſcribitur: *In veſtitu deaurato*, quia talis eſt qui ab anima & corpore ejus per circuitum egreditur ſplendor, ut totum poſt Chriſtum filium ſuum cælum illuſtret. Qua de re S. Bernardinum tom. 1. ſerm. 61. art. 2. in principio loquentem audite: *Aſtitit, inquit, Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, id eſt, cum corpore glorioſo, ex cujus ſplendore poſt filium ſuum tota luceſcit civitas beatorum.* Beata itaque Virgo Maria ineffabilis gloriæ ſuæ auro cælum ſolis regiæ perſimile feciſſe videtur, quæ ob aurum quo admirabiliter exornata erat, mirificè reſplendet:

*Regia ſolis erat ſublimibus alta columnis,*
*Claro micante auro.* ——— ———

canit de ſereniſſima ſolis regia Ovidius lib. 2. Metamorph.

14 Tametſi verum ſit quod per cujuſcunque ſancti cælum ingredientis gloriam, aliorum creſcat & augeatur gloria beatorum, ad eum fere modum, quo lumen cameræ illius, ubi multa variaque lumina reſplendent, alio quodam ſubintroducto lumine creſcit & augetur: *Minor non invidet de gloria*, inquit S. Vincentius in Fer. 5 Pentecoſtes, *imo lætatur, quia de gloria alterius augmentatur gloria ſua; & quanto plures fuerint glorioſi, tanto magis augmentatur gloria.* Glorioſi itaque ſplendoris augmentum, quod optatiſſima Virginis in Paradiſo operabatur præſentia, extraordinarium fuit atque ſtupendum. Eo ipſo quo B Virgo ut S. Joannes Apocal. 12. v. 1. refert, in cælo in conſpectu Beatorum ſole veſtita, luna calceata, & ſtellis coronata apparuit: *Apparuit in cælo amicta ſole, luna ſub pedibus ejus, & in capite ejus corona ſtellarum duodecim*; veluti certiſſimum eſſe convincitur, ipſam non apparuiſſe in cælo veluti nova quædam candela aut facula, unde magnæ illius domus lumen augmentatum fuiſſet, ad eum modum, quo ordinariè anima aliqua ſancta cælos ingrediente, augeri ſolet, verum potius cælum tanto fuiſſe lumine illuſtratum & cumulatum, ac ſi in cælum aliud quoddam novum cælum cum omnibus luminaribus ſuis, ſole nimirum, luna, & ſtellis, introductum fuiſſet; adeo ut Beati ſimili ſplendore in cujuslibet alterius animæ ingreſſu perfrui minime potuiſſent.

15. Quis eſt qui ignorat Chriſtum Joan. 16. v. 24. dicentem: *Petite & accipietis, ut gaudium veſtrum plenum fiat*, ſignificare nobis voluiſſe, quod à Deo non res præſentis, ſed alterius vitæ petendæ & poſtulandæ ſint. Cum enim gaudium ex præſentis vitæ bonis enatum, non ſolum nequaquam plenum, ſed & gaudii nomine prorſus indignum: gaudium econtra è cæleſtibus rebus ortum, verum gaudium eſt, & gaudium plenum, & cumulatim refertum, adeoque plenum

et ex omnibus aliis ſimul accumulatis, ſimile gaudium exurgere nequaquam poſſit. Quodſi autem ſcire cupiatis, unde cæleſtis gaudii plenitudo ſuam trahat originem, dicam breviter illam poſt Deum à B. Virgine proficiſci. Quando enim ipſa Eccleſiaſtici 24. v. 16 dixit: *In plenitudine ſanctorum detentio mea*, id eſt, ego cæli perfruor gaudiis, atque delitiis, in quibus ſancti beantur & delitiantur pleniſſime: ſignificare utique voluit, gaudii illius plenitudinem ſuam à præſentia ſua originem dicere. Idem namque eſt dicere: *In plenitudine ſanctorum detentio mea, quod ego detineo ſanctos in plenitudine ſua*, inquit Hugo Cardinalis in cap. 24. Eccleſiaſtici, id eſt, propter me, propter meam præſentiam, ſeu ideo quia ego in cælis adſum, ſancti omnes & Angeli cælites pleniſſime & perfectiſſime læti ſunt atque beati. Ego poſt Deum cælum beatitudine, gloria & jubilo replevi & cumulavi. Idem quoque S. Ildephonſus ſerm. 2 de Aſſumpt. B. V. atteſtatur, dicens: *Hæc eſt feſtivitas hodierna præcipua & venerabilis nobis, ſed venerabilior in cælis eſt Angelis & ſanctis omnibus, quorum lætitia & gaudium procul dubio ex hujus adimpletur diei exultatione, quando B. Dei Genitrix clarior ſole refulſit in throno claritatis.* Quaſi cælum nunquam gaudio, aut alio quovis bono plenum fuiſſet, niſi à die quo Deiparam Virginem Mariam intra beata mœnia ſua recepit, ſeu quaſi ab illo tempore Sancti & Angeli in cælis plene & perfectiſſime lætari & gaudere cœpiſſent. *Quorum lætitia gaudium ex hujus adimpletur diei exultatione.*

16. De quanam muliere Eccleſiaſticum loqui putatis quando cap. 40. v. 17. dicit: *Gratia ſicut Paradiſus?* Quænam eſt mulier illa gratia appellata, quæ Paradiſo aſſimilari promeruit? Hæc utique eſt Beatiſſima Virgo Maria hæc enim æquè gratia ac Maria nuncupatur, utrumque enim nomen jure obtinet. Quando Gabriel Archangelus cum ipſa de Filii Dei incarnatione differebat, illam non Mariam appellavit, dicendo: *Ave Maria*, ſed gratiam; dixit enim: *Ave gratia*, probe noſcens ipſam utroque nomine æquali cum proprietate appellari poſſe. *Gratia eſt proprium nomen ejus*, inquit Richardus à S. Laurentio lib. 4. de Laud. B. V. ſicut Maria. Eſt igitur Beatiſſima Virgo Paradiſus. *Gratia ſicut Paradiſus.* Et merito ſane dicitur Paradiſus. *Hæc gratia*, inquit Doctor Seraphicus D. Bonaventura in ſpec. virg. cap. 3. *Videlicet glorioſiſſima Virgo Maria fuit ſicut Paradiſus.* Cum enim ipſa unigenitum Dei filium ſemel in ſacratiſſimo utero ſuo receperit, neceſſum eſt, ut fuerit Paradiſus; cum Deus extra Paradiſum cōmorari minime poſſit. Unde etiam S. Ephrem de laudibus B. V. ipſam. *Animatum palatium Regis Angelorum, & rationalem Paradiſum appellare non dubitavit.* Ex quo ſequitur, quod beata Virgine in die glorioſæ Aſſumptionis in Paradiſum ingrediente, Paradiſus ingreſſus ſit in Paradiſum, adeoque multiplicatus fuerit Paradiſus, ut cum prius unus duntaxat fuerit, nunc duo exiſtant. Sequitur præterea, quod cum Angeli ſuperiori tempore unico tantum Paradiſo fruiti & gaviſi fuerint, nunc gaudeant duobus; uno animato, altero inanimato; uno corporali, altero ſpirituali. Paradiſus igitur poſtquam in illum B. Virgo appulit, utpote duplicatus jam factus, lætior deinceps, glorioſior, jucundior, delitioſiorque quam alias unquam evaſit.

17. S. Ildephonſus ſerm. 6. de Aſſumpt. docet quod Chriſto ſine ſua ſanctiſſima Matre, quam diverſas ob cauſas in terra reliquerat, in cælos aſcendente, cælum graviter conqueſtum fuerit, quod ſimul cum Chriſti ſacratiſſima humanitate, Beatæ quoque Virginis præſentia in iiſdem ſecum ſedibus frui non licuerit, ideoque glorioſam Beatæ Virginis Aſſumptionem à Chriſto acceleratam fuiſſe. *Nec diu poſt hæc ſacratiſſima Virgo poſt Domini Aſcenſionem in terris potuit permanere, quam deſiderabant Angeli; cælum etenim ipſum de ejus Aſcenſione querebatur.* Et merito cælum Beatiſſimæ Deiparæ præſentia carens, ſuas Chriſto querimonias exponebat, graves enim habebat querelandi cauſas, adeo ut majores habere non potuiſſet. Eo ipſo enim quo cælum ſine Beata Virgine erat, ſine cælo, ſeque metipſo deſtitutum erat; Ipſeque Paradiſus erat ſine Paradiſo, & conſequenter ſine ſeipſo. Unde cum hac ratione ſuſtinere ſe diutius minime poſſet, Domino ſuo veluti ſemetipſo deſtitutus lamentabatur. Verum enimvero poſtquam Deo ſacratiſſimam Virginem in Paradiſum ſublimare complacuit, tunc & Paradiſus in Paradiſum intravit, Damaſceno teſte dicente: *Heden novi Adami Paradiſum ſuſcepit, & Paradiſus reſtitutus eſt Paradiſo.* Ad eum fere modum quo tempore Diocletiani, cum Roma à Nerone notabiliter diminuta & devaſtata, multiplicari denuo & creſcere cœpit, Romam Romæ iterum reſtitutam eſſe dicebatur

*Reddita Roma ſibi eſt*, inquit Martialis

Ita quoq; in die glorioſæ Aſſumpt. ſacratiſſimæ Dei Matris, Paradiſus redditus & multiplicatus

eſt Paradiſo, quaſi duplici jubilo, duplicata lætitia, duplici pulchritudine & beatitudine, ab ea fruebatur antea, deinceps fruiturus.

*Reddita Roma ſibi eſt.*

18. Quod ſi ſummum & ſublimem locum, quem Beatiſſima Virgo non ſolum ſupra ſanctos, verum etiam ſupra omnes Angelos, ipſoſque etiam Seraphinos in cælo habuit, conſiderantes, cauſam, cur Deus tantopere illam exaltare voluerit, inquiratis; in promptu cauſa eſt, nimirum factum id eſſe, tum, quod ſublimiſſimum poſt Deum in cælo locum meruerit, tum qui ſplendidiſſimæ cuidam lucernæ in cælo extiterit ſimilis. Sic enim à S. Ephrem ubi ſupra *lucerna micantiſſima* dicitur. Unde in ſublimiſſimum evehi locum debebat, ut hac ratione divino ſummæ ſuæ pulchritudinis lumine, univerſam illam auguſtiſſimam cælorum curiam illuſtraret. Quotieſcunque enim lucerna aliqua, ad omnia loca illuminanda accenditur, non in humili, ſed in alto loco collocatur. *Non accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modo, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo ſunt*, inquit Matth. 5. v. 15. Salvator noſter Paradiſum igitur B. Virgo illuſtrat, illuminat Beatorum patriam, quia eſt quædam cæli lucerna, haud ſecus ac ſi cæleſtium luminum regnum, lumine ſuo indigeat, ut luminoſum evadat. *Lucerna micantiſſima.*

19. Quando ſancti Angeli, aliæque Beatorum animæ Dei matrem per ſedes ſuas ad ſummum unigeniti ſui thronum aſcendere viderunt; verum quoddam ipſam eſſe cenſuerunt miraculum, ideoque præ ſtupore attoniri dixerunt Cant. 6. v. 9. *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra ut luna, electa ut ſol?* Benè illam miraculum quoddam eſſe judicarunt, quia quando in cælis eſt viſa, ingens quoddam in cælo viſa eſt eſſe ſignum: *Signum magnum apparuit in cælo*, inquit de Dei matre in cælis conſpicua S. Joannes Apoc. 12. v. 1. Beata igitur Dei mater non ſolum fuit ingens quoddam in terra miraculum (*ſtupendum* enim *miraculum* ab Epiphanio lib. de laudibus B. Mariæ appellatur) verum quod magis obſtupeſcendum eſt, quoddam etiam in cælo miraculum judicata fuit: Ibi miraculum eſſe reputata eſt, ubi quicquid eſt, miraculum eſt, quaſi ipſa in cælis præſente miracula cæli non eſſent miracula, ſed vulgaria & ſolita, ipſa vero ſola & unica miraculum eſſet. Verum quidnam putatis miraculum iſtud in conſpectu omnium cæleſtium civium, ipſa in magna illa cæleſti curia apparente, cauſaſſe exiſtimatis? Idipſum quod in terra in conſpectu mundanorum hominum miraculum aliquod cauſare conſuevit. Sicut enim aliquod in terra patratum miraculum, mundanorum hominum oculos ſibi adeò vehementer attrahit atque ſollicitat, ut iiſdem aliud nihil reſpicere permittat: Ita B. Virgine in cælis comparente, beatorum ſpirituum oculos adeò ſibi fortiter attraxit & ſtrinxit, ut poſt Deum aliud illis intueri non permiſerit. Quaſi omnes aliæ Paradiſi venuſtates nullius prorſus eſſent momenti reſpectu ejus, quo in ipſam intuentes, perfruebantur. *Stupendum miraculum.*

20. Conſiderandum inſuper eſt, quod Angeli miraculum iſtud obſtupeſcentes, ipſam auroræ comparent: Cant. 6 v. 9. *Sicut aurora conſurgens.* Cur obſecro Dei matrem auroræ ſimilem eſſe pronuntiant? Quia nimirum poſtquam in cælo viſa fuit, pulcherrima mox æſtimata eſt eſſe creatura, quæ in cælo unquam viſa fuit. Aurora paſſim & communiter ab omnibus inter omnia mundi pulchra, pulcherrima judicatur, atque ideo *Aurora* dicitur, quaſi *aurea hora*, uti Richardo ubi ſupra placet. Quotieſcunque ſcriptores prophani rem aliquam pulcherrimam ſignificare volunt, illam auream appellare conſueverunt, v. g. *Venus aurea, mala aurea, vellus aureum*, & ſic deinceps. Unde certus quidam ſapiens, uti Boterus in dictis memorabilibus refert, ut Philippo II. potentiſſimo Hiſpiniarum Regi, ſtatus ſui, quem mundus fæliciſſimum judicabat, infælicitatem innueret, dicere illi inter alia multa præſumpſit, ipſum ad lectum veſperi tardè concedendo, indeque circa meridiem ſurgendo, rei ſe pulcherrimæ, quæ in mundo eſt, id eſt, auroræ aſpectu privare Angeli & Sancti Beatam Virginem videntes, auroram viderunt: *Quaſi aurora conſurgens* quaſi in regno ſuo, quod utpote ſumma pulchritudine venuſtatum Sap. 5. v. 7. *Regnum decoris* dicitur nihil adeò pulchrum, ſpectabile & decorum unquam vidiſſent.

21. Et quia aurora nonniſi poſt noctem conſpicitur, ideoque tenebris ſplendenti vultu ſu diſcuſſis, diei ſerenitatem adfert, dicente Stati

*—— Iam nitidum terris aurora Deiſque*
*Purpureo vehit ore diem.*

hinc Beati B. Virginem auroræ aſſimilantes d
co

cere voluiſſe videntur: Priuſquam ipſa in hac viventium regione comparuiſſet continua in cælo nox fuit, quam ipſa pulchritudinis ſuæ lumine diſpellens; diem nobis attulit ſereniſſimum. Hoc tamen non ideo dicitur, quaſi in cælo nox unquam viſa vel notata fuerit; cum ſuperna illa civitas adeò ſit luminoſa, ut cum mundus hic unius dumtaxat ſolis fulgore gaudeat, ipſa continuò, id eſt, diu noctuque totidem ſoles habeat, quot intra beata mœnia ſua Angelos & Sanctos continet illam eximiè illuſtrantes, dicente Christo Matth. 13. v. 43. *Iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno Patris eorum*; præter admirabile lumen illud, quod à ſummo ſole ſolis corporei omniſque ſolis cæleſtis creatore recipit, qui ſi ita ipſi collibitum eſſet ad illuſtrandum infernum ſolis ſufficeret, ſed potius ut extraordinarium pulchritudinis ſuæ lumen innuat quo cum cælum miraculoſe illuſtravit. Adeò namque ingens ſplendor ille fuit, quem in beatam gloriæ civitatem attulit, ut eam tot alia diverſa lumina in æterna gloria fulgentia eo quo ipſa illam illuſtravit modo, illuſtrare nequaquam potuerint. Quaſi nullum unquam in cælo lumen viſum fuiſſet, aut continua fuiſſet nox in Paradiso, nec ullus unquam ibi effulſiſſet dies, niſi poſtquam ipſa in cælis apparens, eundem divini vultus ſui pulchritudine & ſpecioſitate fæliciter attuliſſet.

22. Adhæc, quia *aurora* ut vult Richardus, ita dicitur, quod avicularum ora aperiat: *Quaſi avium ora aperiens*. Vix enim apparet aurora, cum ecce continuò avium ora elapſa nocte recluſa & muta ſolvuntur ad cantum:

*Aurora lucis rutilat*
*Cælum laudibus intonat.*

inquit Eccleſia: hinc Beati cælorum ſpiritus, Beatam Virginem in cælo jam apparentem, auroræ aſſimilantes: *Quaſi aurora conſurgens* ſignificare voluiſſe videntur, ipſam per gratioſam jucundamque præſentiam ſuam Angelorum utpote Paradiſiacarum avium ora hactenus ad laudandum inprimis Deum, demum ad ejus decantandas laudes recluſa & muta, ſolviſſe & aperuiſſe. Id quod non ideo dicitur, quaſi ſignificare vellemus Angelos ante glorioſam Virginis Aſſumptionem in patria ſua ora habuiſſe clauſa, nec unquam ceciniſſe, (cum certum ſit ipſos à primo creationis ſuæ inſtanti ora habuiſſe aperta, Deumque ſemper & ſine fine laudaſſe) ſed ut admirabilia ſignificentur lætitiæ cantica & hymni, quos in ſolemni Glorioſæ Virginis in cælos ingreſſu præter ſolitum perſonabant. Cantica ſublimium illorum ſpirituum cæleſtium ſereniſſimam hanc tanta gratia & gloria ornatam Reginam videntium, adeò fuere ſolemnia & feſtiva, ut antea ora ſua nunquam aperuiſſe, ſed muta & perpetuo ſilentio involuta habuiſſe, nec unquam ceciniſſe videantur.

23. Præterea Deiparæ pulchritudinem lunæ comparant Cant 6. v 9. *Pulchra ut luna*; ut per hoc clare nobis innuant, in glorioſiſſimo Aſſumptæ Virginis die non minores in ipſa venuſtates & excellentias viſas eſſe quam ſive in cælo, ſive in terra videri unquam poſſint. Quia enim *Luna Eccleſiæ* ſymbolum eſt, militantis quidem quando eſt vacua: triumphantis autem cum plena eſt; ideo dum B. Virgo in conſpectu Angelorum pulchra apparet ut luna, æquè pulchra eſſe videtur, ac utraque jam dicta Eccleſia, quaſi omnia decora pulchritudines, elegantiæ & excellentiæ, quas Eccleſia univerſaliter tam in cælo quam in terra in tot habet ſubjectis diſperſa, in anima ſua, velut in unico duntaxat loco, aut in unico tantum objecto, collectæ ſint & unitæ. *Pulchra ut Luna*, inquit Richardus a Sancto Laurentio lib. 5. de laud B. Virginis, id eſt, *univerſalis Eccleſia: quia quicquid alii ſancti pulchritudinis habent in parte, habeat iſta in toto.* Quicquid ſive in cælo ſive in terra pulchritudinis aut venuſtatis aut excellentiæ in glorioſo illo Aſſumptionis die, in ſanctiſſima Virgine videre & admirari licebat. Quam pulchrum igitur cælum eſſe debebat, quando in glorioſis ſedibus ſuis collocatam habebat eam, in quam Deus omnem reperibilem pulchritudinem & ſpecioſitatem ſimul congregaverat?

24. Tandem illam quoque ſoli comparant Cant 6. v 9. *Electa ut ſol*, ob varias diverſaſque rationes tam eas quas ſupra aſſignavimus, quam haſce ſequentes. Primo quidem, quia ſicut mundus liber variis diſtinctiſque ſit luminibus plenus, nunquam tamen adeò eſt pulcher, quam ſplendeſcente ſole: ita etiam tametſi cælum tot lumina habeat, quot continet Angelos, animaſque beatas, nunquam tamen adeò pulchrum fuit, quam poſtquam Deiparam Virginem intra mœnia ſua recipit. Præterea ſicut ſol radiorum ſuorum virtute omnia ad ſe inferiora trahit & ſublevat; unde à latinis *Sol* dicitur, *quaſi ſurſum omnia levans*, ut dicit Richardus ubi ſupra: Ita Dei-

 para

para Virgo Maria, ſuper omnes Angelorum ſanctorumque exercitus exaltata, novæ miraculoſæ pulchritudinis ſuæ virtute omnium ad ſe Beatorum rapuit & attraxit corda. Unde a devotiſſimo mellifluoque Doctore Bernardo: *Raptrix cordium* appellatur. Denique ſicut ſol per ſplendoris ſui exceſſum ſtellas, aliaque minuta cæli lumina obſcurat; ita ſplendor ille gloriæ quem B. Virgo in magnificum illud gloriæ regnum attulit adeò fuit ingens & vehemens, ut omnia alia lumina ita obſcurarit, ut deinceps evanuiſſe aut diſparuiſſe videantur. *Virga Ieſſe veri prævia luminis*, inquit Petrus Damianus ſerm. de Aſſumpt. *in illa inacceſſibili luce perlucens, ſic utrorumque ſpirituum hebetat dignitatem, ut in comparatione Virginis nec poſſint, nec debeant apparere.*

25. Lumen gloriæ quo B. Virgo in Paradiſo decorata apparuit tantum fuit, ut cum aurea in magnifica illa cæleſtis gloriæ domo illuſtris eſſe videretur innocentia Abeli, Noëmi ſanctitas, Abrahæ fides, patientia Jacobi, Joſephi continentia, Moyſis manſuetudo, Fortitudo Joſue, Samuelis charitas, humilitas Davidis, Eliæ zelus, abſtinentia Danielis, totque aliæ virtutes, ob quas alii ſancti glorioſi erant & illuſtres, Beata Virgo tamen mox ut in cælum eſt ingreſſa, illas omnes obſcurarit, & diſparere aut evaneſcere fecerit. *In comparatione B. Mariæ præcedentes ſancti parvam claritatem habuerunt*, inquit Hugo d. S. Victore ſerm 35. *Quid enim fuit innocentia Abel, juſtitia Noe, fides Abrahæ, tolerantia Iacob, continentia Ioſeph, manſuetudo Moyſis, fortitudo Ioſue, charitas Samuelis, humilitas David, zelus Eliæ, abſtinentia Danielis in comparatione Mariæ?* Verus in cælo ſol Beata Virgo. Sol enim ſicut una ex parte ſtellas obſcurat, ita ex parte altera, lumen quo reſplendent illis communicans eaſdem decorat: ita etiam B. Virgo lucidiſſima in Paradiſi lumina ex una parte per ſuam præſentiam obſcuraſſe, ex altera vero eadem illuſtraſſe & decoraſſe videtur. *Tantum differt gloria Virginis à gloria aliorum beatorum*, inquit S. Bernardinus ſerm. 61. Art. 2. cap. 3. tom 1. *quantum Sol à cæteris luminaribus cæli: & quodammodo ſicut cætera luminaria decorantur à Sole ſic tota cæleſtis curia à gloria Virginis lætificatur & decoratur.*

26. Petrus Damianus ſerm 1. de Nativit. B. Virginis hiſce B. Virginem verbis alloquitur, dicens: *Summa gloria eſt poſt Deum te videre*, quaſi diceret: Quod ſi ego, ô Virgo ſacratiſſima interrogarer, quanam in re ſumma Paradiſi gloria conſiſtat, abſque erroris pronuntiandi ſcrupulo liberè dicerem, quod poſt claram Dei viſionem, in tui quoque viſione conſiſtat. Et ſanè quod ſi hæc ad rigidam ponderentur ſanæ Theologiæ trutinam, vix defendi poſſe videntur. Satis namque compertum eſt, quod ſumma Paradiſi gloria in clara Dei viſione conſiſtat, & ab illa ſolum dependeat, tametſi aliorum quæ in cælo ſunt nihil prorſus videatur. Quod ſi autem vera eſſet Damiani doctrina, manifeſtè ſequeretur, quod Beati videntes Deum, Beatam autem Virginem non videntes, futuri non eſſent completè beati; imò quod ante glorioſam Virginis Aſſumptionem, nemo fuerit completè & perfectè beatus, id quod catholicè affirmari minimè poteſt. Verùm enimverò quia hic Doctor idipſum hoc præcipuè fine dicere voluit, ut ſummam gloriam, qua Beati in Deiparæ viſione fruuntur, declararet, minimè credendum eſt ipſum malè & heterodoxè locutum eſſe. Gloria enim qua Beati ex B. Virginis aſpectu perfruuntur, tanta eſt, ut videri quodammodo poſſit, quod ſi illa in cælo non eſſet, Beatos qui Deum vident non futuros completè beatos, licet alias videndo Deum haud dubie ſint completè & perfectè beati. Sicut igitur Heſichius ſerm. de laudibus B Mariæ, ut admirabilem demonſtraret Maternitatis B. Virginis excellentiam, illam appellare non dubitavit: *Totius Trinitatis complementum*, tametſi alias Trinitas perfectiſſimè completa ſit, neque alia re indigeat, ut compleri poſſit. Ita Petrus Damianus, ut gloriæ illius demonſtraret excellentiam, qua cum B. Virgo præſentia ſua cælum abundantiſſime cumulavit & illuſtravit, dixit complementum beatitudinis in Dei & B. Virginis viſione clara conſiſtere, tametſi revera ſola Dei viſio ad perfectam beatitudinem ſufficiat.

27. Aut vero dicere etiam poſſumus, quod dum B. Petrus Damianus Beatæ Virgini dicit: *Summa gloria eſt poſt Deum te videre*; dicere voluerit, quod ſumma Paradiſi gloria poſt Deum clarè viſum, in ſuæ quoque faciei viſione conſiſtat, cum inter omnes paradiſi facies poſt Dei faciem nulla ſit alia quæ beatos adeò glorificare poſſit, ac facies Virginis. Et revera cum beatitudo in divinæ faciei viſione conſiſtat, facies utique illa quæ Deum maximè & propriiſſimè repræſentat, majoris eſſe debebit gloriæ objectum. Facies autem Beatiſſimæ Deiparæ, divinæ faciei adeò ſimilis exiſtit, ut cum in cælum ſublimanda ex

hoc

hoc mundo diſcedere pararet, Sanctus Joannes Apoſtolus, uti in Hiſtoria refertur Lombardica, ei dixerit : *Imperatrix mei ſolaminis, licet in carne Chriſtum non video, cùm tamen te in carne video, ac ſi ipſum viderem conſolare.* Aliique Apoſtoli ſimiliter: *In te celeberrima Virgo Dominum & Magiſtrum noſtrum aſpicientes, conſolamur.* Unde nemini mirum videri debet, ſi dicatur ſummam Paradiſi gloriam poſt Dei viſionem, in aſpectu glorioſiſſimæ matris ſuæ conſiſtere, cum ipſa adeò Deo ſimilis fuerit, divinumque filium ſuum hic in terris adeò propriè repræſentarit. In univerſo cælo talis pulchritudo, ornamentum tale, & ſimile lumen non reperitur, quod poſt Deum Paradiſum adeò adornet, quantum à Beata Virgine decoratur.

28. Audite obſecro quid de ſemetipſa per os Spiritus Sancti, Beata Virgo loquatur, Eccleſiaſtici vigeſimo quarto verſu decimo quarto dicens: *Ab initio & ante ſæcula creata ſum, & uſque ad futurum ſæculum non deſinam, & in habitatione ſancta coram ipſo miniſtravi.* Et præcipuè ultima verba, utpote propoſito noſtro maximè deſervientia conſiderate. Illis namque clarius dicere velle videtur Ego æterni verbi miniſtra fui non ſolum dum in terris inter mortales vixi, portando illud in utero meo, inter brachia mea ſtringendo, lac meum illi propinando, eidemque in neceſsitatibus ſuis ordinari ſuccurrendo, verum etiam in Paradiſo in conſpectu ſuo miniſtra ejus fui: *In habitatione ſancta coram ipſo miniſtravi* Verum dicat aliquis. Cùm certum ſit, quo Deus in cælo matre ſua non adeò indigeat, uti illius ſubventione indigebat in terra, in quonam igitur ipſa Deo in cælis ſervire aut miniſtrare potuit? Archiepiſcopus Genuenſis Jacobus de Voragine ſermone octavo de Aſſumptione, ipſam in cælis Deo veluti cæli Eleemoſynariam miniſtraſſe: *Ait coram ipſo miniſtravi, quia Deus eam ſuam miniſtram, & officialem fecit, eſt enim Eleemoſynaria cæli.* Ubi bene ponderandum quod Doctor ille eam non terræ, ſed cæli Eleemoſynariam vocet, ut nimirum per hoc epithetum innuat, quod tametſi omnes in cælo divites ſint & opulenti, utpote locupletiſsimam illam domum inhabitantes de qua David Pſalmo centeſimo decimo primo verſu tertio dicit: *Gloria & divitiæ in domo ejus,* adeoque divites, ut nullus in cælo reperiatur, qui re aliqua quantumvis minima indigeat (neque enim beati eſſe poſſent, ſi re aliqua opus haberent) adeò tamen ab ipſa & per ipſam delitiari & beari indigent, ut coram ipſa quaſi pauperes aſsiſtant. Hoc ipſum, ni fallor, David dicere voluit quando Pſalmo quadrageſimo quarto verſu decimo tertio dicebat: *Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis.*

29 Quî fit ô Domine, inquit Sanctus Anſelmus libro de excellentia Beatiſsimæ Virginis MARIÆ ad Chriſtum, quod in die admirabilis Aſcenſionis tuæ Sanctiſsimam Matrem tuam tecum non conduxeris, ut tanto poſt tempore poſt ejus ſanctiſsimam mortem feciſti? videtur enim quod illa die cum cæleſtibus fruiturus delitiis à mundo recederet, Matrem tuam in humanis relinquere miſeriis minimè debuerit. Cum enim Joannis duodecimo verſu vigeſimo ſexto ſemel dixeris : *Ubi ego ſum, illic & miniſter meus erit*, minimè decebat, ut te exiſtente in cælo, illa quæ tot tibi annis miniſtraverat, relinqueretur in terra adeò à te remota. Tandem Chriſtum id feciſſe reſpondet, ut quem in cælis merebatur locum præparaturus præcederet, illo autem per omnia ritè diſpoſito & præparato, illam poſtea ſecum conduceret : *Prudentiori & digniori conſilio uſus, præcedere illam volebat, quatenus ei locum immortalitatis in regno tuo prepararet.* Gloria illa qua Beatiſsima Virgo MARIA in cælis donanda ac dotanda erat, tam erat excellens & ingens, ut cælum illa nondum ſufficienter diſpoſitum eſſe, ideoque pro talis apparatus præparatione multo tempore indigere videretur, utpotè quod promptum & idoneum pro admirandis ejus meritis non haberet hoſpicium. Opus itaque erat, ut donec Deus ingentem illum pro Matris ſuæ ſede collocanda neceſſarium abſolveret, ipſa aliquot annis præſtolaretur in terris. Tunc igitur Beatiſsimæ Virgini MARIÆ idipſum dici poterat, quod Martialis Diocletiano Imperatori adulando, eidemque longævos ad precando dies dicebat, ſcilicet:

*Quantum jam ſuperis, Cæſar, cæloque dediſti*
*Si repetas, & ſi creditor eſſe velis,*
*Grandis in æthereo licet actio fiat olympo*
*Coguntur que Dei vendere quidquid habent.*

*Expectes, & ſuſtineas, Auguſte, neceſſe eſt*
*Nam tibi quod ſolvat non habet arca Iovis.*

Quaſi diceret: Tot & tanta ſunt, ô Imperator, quæ penes cælum collocaſti merita tua, tanta pro Diis tuis præſtitiſti, ut cum Jupiter unde tibi ſolvat, non habeat, ſuſpenſo itinere tuo in cælum in terra morari debeas, donec immenſa meritis tuis debita præparentur præmia. Quam immenſa igitur eſſe debuit Beati Virginis gloria, quam ineffabiles beatitudinis ſuæ delitiæ, quibus modo in cælis læta perfruitur, pro quarum apparatu Deus tanto ſe tempore indiguiſſe monſtravit. An non per tantæ gloriæ abyſſum Beata Virgo cælum lætificare, delitiis animas ſanctas perfundere, illuſtrare denique ſanctos Angelos potuit? Faxit Deus, ut per potentisſimas ejus preces digni ſimus, ut in hac vita auxiliorum ſuorum poſſimus eſſe participes, in altera vero mereamur faciei ſuæ perfrui gloria, utpote quæ poſt Deum in cælis adeo reſplendet.

Amen.




PANE-

# PANEGYRICVS XXXVI.

## DE S. BERNARDO

### Melliſluo & ſuaviſſimo Eccleſiæ Doctore.

## THEMA.

Volavit ad me unus de Seraphim. Iſaiæ 6. v. 6:

## ARGVMENTVM.

*Quantumvis Sanctiſſimus Eccleſiæ Doctor, Melliſluus Bernardus verè homo fuerit, attamen non homo, ſed cæleſtis quidam Seraphinus humana carne amictus fuiſſe videtur.*

1. DUm de S. Bernardo glorioſiſſimo Abbate in hoc Panegyrico tractaturus, illum una ex parte hominem aliis hominibus per omnia ſimilem video, ex parte vero altera, vitam quam in terris egit novam ſingularem, ſummèque admirabilem, atque ab aliorum hominum vita adeò diverſam conſidero, haud immerito num homo an verò ardentiſſimus quidam cenſendus & appellandus ſit Seraphinus, dubius hæreo. Quis enim hominem vocabit illum, qui caſtus ſemper & continens, & à quacunque luxuriæ ſpurcitie incontaminatus vixit, qui ad ultimum uſque vitæ ſuæ diem vivum ſemper & viridem Virginitatis florem, in carne extra carnem ſemper vivendo, conſervavit, cum omnis in carne vivens homo carni totaliter videatur immerſus? Quis hominem dicet illum, qui tanta pro Dei honore & Eccleſiæ utilitate, ad cunctorum ſtuporem uſque præditus fuit ſapientia, cum homo per Adæ peccatum intellectus lumine ſit deſtitutus, & inſtar bruti cujuſdam irrationalis totaliter factus ſit ignorans & rudis Quis hominem cenſebit illum, qui omnibus dotatus & decoratus fuit Chriſtianis virtutibus, tantaque fuit ſanctitate famoſus, cum homo in ſcriptura ut plurimum & paſſim peccatorem ſignificet, virtutibus & ſanctitate deſtitutum Quis illum audebit æſtimare hominem, qui adeò fuit ab omni terreno affectu expurgatus, ut præter Deum nihil amarit, quæſierit, aut deſiderarit unquam, cum homo ob eum quo erga terram fertur affectum, *homo*, id eſt, *terra* appelletur? Quem igitur hominem dicere non auſum, in hoc diſcurſu appellabo Angelum, eumque non vulgarem, ſed Seraphinum, unum nimirū ex ſubli-

miſſimis magnæ cæleſtis curiæ ſpiritum ; Id quod Joanne Gerſone authore audentius facio; Hic enim ſerm. de S Bernardo hiſce melliſſuum Doctorem verbis alloquitur: *Te vero Beatiſſimum Bernardum cenſeo eſſe unum ex conſortio ignitorum illorum ſpirituum , quos Seraphim ſcriptura nominat.* Unde mundus Bernardum in terra non humanam ſed Seraphicam vitam agentem videns dicere poterat illud Iſaiæ 6. v. 6. *Volavit ad me unus de Seraphim*, id eſt, Bernardus quem velut hominem carne concordatum inter homines vivere videtis, non homo eſt, licet talis eſſe videatur, ſed quidam humana carne amictus Seraphim. Id quod ſibi mundus ob rationes ſequentes meritò perſuadebat.

2 Primò igitur quia corporis pulchritudo clariſſimum & evidens eſt pulchritudinis animæ argumentum & quaſi quidam illius radius (neque enim pulchrum eſſe corpus poteſt , quod pulchram non habeat animam. *Fieri nequit* , inquit Plotinus lib. 2. Ænead. 2. cap 17. *ut quod extrinſecus revera pulchrum intrinſecus ſit deforme: etenim quod extrinſecus pulchrum eſt, omnino eo quod eſt interius ſuperante ſit tale* ) hinc cum Bern. à Deo pulcherrimo fuerit corpore dotatus, utpote qui à Guil. Abb vitæ ſuæ ſcriptore ejuſque diſcipulo lib. 1. vitæ S Bernardi cap 3. Eleganti corpore gratioſaque facie præeminens fuiſſe deſcribitur, illum quoque interius in anima ſua pulcherrimum fuiſſe concludere debemus. Quod ſi à me tantæ pulchritudinis , animæ ſuæ ſciſcitari cauſam volueritis, hanc ego ardentiſſimum, quo erga Deum flagrabat, amorem fuiſſe libere dicam: Niſi enim divino hoc amore accenſus fuiſſet, hanc ſibi animæ pulchritudinem minimè conciliaſſet, cum anima aliqua pulchra eſſe nequeat, quæ Deum ardenter non amat. Id quod David inſinuare volebat, quando ardentem quendam Theophylum alloquens Pſalm. 103. v. 1. dicebat: *Decorem induiſti , amictus lumine ſicut veſtimento*, quaſi diceret: Quia anima tua haud ſecus ac carbo quidam accenſus calida luminoſaque Divinæ charitatis veſte amicta eſt, ideo pulchra eſt atque ſpectabilis *Eſt enim Charitas* , inquit S Bernardin p. 2. ſerm. 3 Art 2. c. 1 *anima pulchritudo, ſicut ignis pulchritudo carbonis, qui cum eſt ignitus, ſplendidus eſt & pulcherrimus. Unde Pſalmiſta: Decorem induiſti, amictus lumine ſicut veſtimento: loquitur de ſpiritu amore Dei ferventе* Solus Dei amor pictor eſt nobiliſſimus, qui decorare poteſt mortalium animas, & non alius

*Namque is ſolus amor formoſum reddit amantem.*

inquit S. Gregorius Nazianzenus Carm de Virginit. Quia igitur Bernardus gne divino adeò vehementer exarſit, ut ardentis nomine meruerit inſigniri ( *Bernardus* enim idem quod *ardens* ſignificat) ideoque in utroque homine ſtupenda fuit pulchritudine ornatus, Seraphim potius cæleſtis , quam homo aliquis terreſtris vocetari meretur. Seraphim ab amore ſuper cælesti quo ardet *Seraphim* dicitur , quod interpretatur *ardens*

3. Unum ex præcipuis quæ de hoc ſancto leguntur admiratione digna , fuit quod die quadam in igne conſtitutus ab eo ardere aut lædi minimè potuerit. An non enim S Bernardus in igne illæſus permanſit, quando ab aliqua formoſa quidem, ſed laſciva, & perverſa juvencula, infeſtatus, atque mirabili cum violentia & artificio ut ſecum peccaret ſollicitatus , interque ejuſdem amplexus conſtitutus, tanta cum dexteritate periculum iſtud evadere & declinare novit, ut nullam inde contraheret animi coinquinationem aut noxam? Sic enim de ſancto Doctore , præfatus Guilielmus Abbas ubi ſupra ſcribit : *Cum in ſecretiori domus cubiculo eum aggreſſa pertraheret ad peccatum , ille eam lenibus verbis demulcens, donec à manibus ejus & amplexibus dilaberetur fugit & evaſit & in medio ignis non eſt æſtuatus.* Verè tunc Bernardus in igne fuit, verus enim ignis eſt mulier, ipſa enim *Virago* dicitur à *vir*, quæ vox ſignificat *flammam* inquit Ethymologicon Trilingue. Atque ideo cum Bernardus inter laſcivæ mulieris amplexus conſtitutus, accendi; nedum comburi minimè potuerit , dici de illo potuit: *In medio ignis non eſt æſtuatus* Verum enimvero qua ratione fieri potuit ut debilis hæc palea in tali igne conſtituta nec accendi potuerit, nec comburi? Factum eſt hoc, quia interius vehementi divini erga Chriſtum amoris igne exarſit , qui majori virtute & efficacia præditus, luxuriæ noxium ignem in ſancti Doctoris anima prævalere nequaquam permiſit. *Superari Charitas Chriſti flamma non potuit. & ſegnior fuit ignis qui foris uſſit, quam qui intus accendit*, inquit, licet ad aliud propoſitum. S. Leo Pontifex in Natali S. Laurentii. Tunc igitur hominem vocabis eum, quem divino amore adeò cernis accenſum? Certè non homo, ſed *Seraphim*, quod interpretatur *ardens*, appellari meretur.

4. Num

4 Num aliquando in Apocalypſi legiſtis Chriſtum S. Joanni Apoſtolo ut Angelo cuidam ſcriberet, cumque ut pœnitentiam ageret, hortaretur, præcepiſſe. Legite libri illius cap. 2. ibi namque ſequentia verba reperietis: *Angelo Epheſi Eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit qui tenet ſeptem ſtellas, in dextera ſua. Age pœnitentiam.* Quidnam obſecro Angeli cum pœnitentia commune habent quod Chriſtus Angelo cuidam pœnitentiam agere præcipiat? Homines, non verò Angeli pœnitentiæ opus habent. Hominibus igitur ſolis præcipi pœnitentia debet, utporè quibus opus eſt; ut Deum quem offenderunt, placent, illumque pro peccatorum venia obtinenda, ad pietatem inclinent: non vero imponenda eſt Angelis, qui cum nunquam peccarint, venia quoque aut remiſſione non indigent. Cui igitur Chriſtus Angelo pœnitentiam agere imperat? Pro difficultatis hujus reſolutione ſciendum eſt, quod per Angelum illum nequaquam intelligi debeat Angelus aliquis beatus, aut quædam à corpore ſeparata & ſpiritualis ſubſtantia, ſed vir aliquis ſanctus, perfectus, atque in Chriſtianis virtutibus conſummatus, & veluti in Angelum transformatus. Merito enim vir ſanctus vocatur Angelus, qui Angelica eſt facie prædirus. *Piî facies, facies eſt Angeli*, inquit Paulus de Palatio, in ca 6. Matth. Huic igitur pœnitentia præcipitur; Huic dicitur: *Age pœnitentiam.* Et meritò quidem, quia adeò neceſſaria eſt homini pœnitentia, ut quantumvis ſit ſanctus, perfectus, & inſtar Angeli purus, attamen ut magis magiſque expurgetur, exſpoliatur decoretur, oculiſque Domini ſui placeat, nullum eſt tempus in quo pœnitentia non indigeat. Eſtque Philoſophia iſthæc hominibus in Angelos transformatis adeò clara & evidens, ut unus illorum S. nimirum Auguſtinus dicere non dubitaverit: *Neminem etſi nullius ſcelerum ſibi conſcius ſit, permittere debere, ut ſine pœnitentia migret è vita.* Cum igitur ſanctiſſimus Abbas ex una parte adeò fuerit ſanctus, ut nullam in anima ſua maculam, imperfectionem, aut culpam habuerit, ob quam expurgatione aut pœnitentia aliqua indigeret, ex altera verò parte: ut quotidie purior evaderet atque ſplendidior, continua ſe pœnitentia conficiendo afflixerit, teſte Guilielmo Abbate lib. 2. vitæ S. Bern. qui dicit: *Ut ſemper ſplendidior eſſet & purior, quotidie in fornace probabatur, & crebris malleorum ictibus in incude tundebatur, non ad pœnam pro criminibus, ſed ad gloriam pro virtute;* ipſum nequaquam hominem, ſed Angelum quendam judicandum eſſe credo, cæleſtem inquam ſpiritum & quendam Paradiſi Seraphinum.

5. Quod ſi ego S. Bernardum verba illa Davidis Pſal. 126. v. 2. *ſurgite poſtquam ſederitis qui manducatis panem doloris*, ad ſanctos illos qui in ſacro Claræ vallenſi Monaſterio ſuo ſecum erant, religioſos diſſeruiſſe dicerem, nullius certè erroris arguendus eſſem. Adeò enim ingens erit ipſorum pœnitentia adeò aſpera & rigida ipſorum vita, in victu præcipuè, ut panis ipſorum dici meruerit panis doloris, utpote in quo dolorem potius experiebantur, quam conſolationem. Panis enim quo veſcebantur talis erat, ut certus quidam menſæ illorum accumbens religioſus eundem videns à lachrimis ſibi temperare, nec continere ſe potuerit, quin appoſitum ſibi panem velut prodigium quoddam aliis monſtrandum clam ſecum aſportaret, impoſſibile ſibi ducens illo veſci, aut de illo vivere quempiam poſſe: *Aliquando Religioſus vir quidam*, ut refert Guilielmus Abbas ubi ſupra cap. 5. *appoſitum ſibi panem in hoſpitio, plorans ubertim clam aſportavit, quaſi pro miraculo omnibus oſtendendum, quod inde viverent homines.* Quâ igitur ratione ſimili pane Bernardus nutriri aut guſtare poterat, qui complexionis erat adeò delicatæ & nobilis, & debili ſemper ac infirmo ſtomacho langueſcebat? quomodo illum prandii tempore aſpicere nedum manducare ſine horrore & dolore valebat? Porro illum non ſolum ſine horrore aut dolore aliquo, verum etiam cum ſingulari guſtu & delectatione videbat & comedebat. Cur ita? Quia eundem divino amore condiverat. Audite ipſum met mellifluum Doctorem, lib. de vita ſolitaria hunc in modum diſſerentem: *Delectationes enim non perdidimus, ſed mutamus de corpore ad animum; à ſenſibus ad conſcientiam. Panis furfureus & ſimplex aqua, & olera, & legumina ſimplicia nequaquam res delectabiles ſunt: ſed in amore Chriſti, & deſiderio internæ delectationis, ventri bene morigerato valde delectabile eſt. Facillimum quippe & delectabile eſſet, adjuncto amoris Dei condimento ſecundum naturam vivere.* Condimentum S. Bernardi non erat fames aut vehemens manducandi appetitus, uti alias communi proverbio dici ſolet, ſed amor Dei. Ideoque S. Abbati hoc divino igne vehementer accenſo, ea quæ faſtidioſiſſima & horrenda erant, ſuavia, dulcia, & delectabilia videbantur. Unde qui divino amore adeò ardebat, non homo ſed Seraphim carne veſtitus eſt cenſendus,

6. Id quod Guilielmus Abbas ubi ſupra cap. 13. de S Bernardo dicit, nimirum ipſum & à Deo & ab hominibus amatum fuiſſe; *Dilectus Deo & hominibus Bernardus*, minimè de ipſo verificari poſſe videtur. Etenim indubitatum quidem eſt, S Bernardum utpote tam ſanctum & perfectum Dei ſervum à Deo fuiſſe dilectum: at verò quod inſuper ab ipſis quoque hominibus dilectus fuerit, id certè difficulter quis mihi perſuadere poterit. Quis enim neſcit mundanorum hominum voluntates ab eo quod Deus vult adeò eſſe remotas, ut perſæpe illis diſpliceat quod Deo placet, aut econtra placeat quod Deo diſplicet? *Si hominibus placerem Chriſti ſervus non eſſem*, dicebat Apoſtolus Galathis cap. 1. v. 10. id eſt, vellem equidem ut ab omnibus diligerer, placere omnibus, Deo nimirum & hominibus, verum cum omnibus placere, & amari ab omnibus nequeam, ſufficit mihi ſi Deo placeam licet hominibus diſpliceam. Quomodo igitur Bernardus omnibus, Deo nimirum & hominibus placere, & amari ab omnibus potuit? Potuit id ipſum per amoris ſui vehementiam, qui non ſolum verſus Deum extendebatur, verum etiam verſus homines, unde quia omnes amabat, amabatur quoque ab omnibus, & à Deo, & ab hominibus. Ut quis ametur ab aliquo, efficacius ad id adhiberi medium nequit, quam ſi illum prius diligat: *Ego tibi monſtrabo amatorium ſine medicamento, ſine herba ſine ullius veneficæ carmine, ſi vis amari ama*, inquit Seneca ad Lucillum ſuum lib 1. Epiſt. 9. Bernardus ab omnibus amabatur, quia amore ſuo incantabat omnes; à Deo amabatur & ab hominibus, quia Deum pariter & homines diligebat propter Deum. Duos in corde ſuo habebat ardentiſſimos fornaces, qui duplici illum igne quavis hora accendebant & amburebant. Et vos virum aliquem tot ignibus accenſum & ardentem hominem eſſe cenſebitis? Certè Seraphim potius quam hominem illum æſtimare debemus. Quod ſi enim infantes Chriſtiani ob amorem gratuitum habitualem in ſancto Baptiſmo receptum, licet actualiter non diligant, adeò tamen ſunt amabiles, ut Angeli eſſe videantur; teſte Joanne Gerſone qui in Cant. p. 1. conſ. 5. dicit: *Amor gratuitus habitualis, infuſus pueris baptizatis reddit eos acceptabiles Deo, amabiles & gratos, nec non & hominibus, tanquam Angelos Dei*: multò magis amor actualis quo S. Bernardus ardebat illum gratum & amabilem Deo & hominibus reddere, eumque in Angelum Seraphim humanâ carne contectum transformare poterat: *Dilectus Deo & hominibus Bernardus.*

7. Iſaias Propheta cap. 6. v. 1. refert, quod mox ut Deum die quadam in ſublimi throno in medio duorum ipſum laudantium & glorificantium Seraphinorum conſidentem conſpexiſſet, repentè tactus fuerit mutus: *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum; Seraphim ſtabant ſuper illud, & clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum: & dixi: væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego ſum.* Num fortè cauſam noſtis, ob quam Propheta hac in occaſione obmutuerit? Ideo nimirum id factum eſt, quia Seraphim in cælo cantantes audierat. Dulcedo & ſuavitas à lingua glorioſorum horum ſpirituum dimanans tanta erat, ut ipſum confeſtim elinguem reddiderit: *Audita ea ſuavitate qua à Seraphinis laudatur Deus, mutum ſe putavit & elinguem*, inquit Gaſpar Sanctus in cap. 6 Iſaiæ. Quod ſi nos hac Doctrina ſuppoſita, ſtupendam quæ à lingua D. Bernardi in audientium aures dimanabat dulcedinem attendamus, ipſum utique Seraphim quendam potius quam hominem fuiſſe cenſebimus. Adeo namque erat in ſermone ſuavis, dulcis & gratioſus, ut dulcis & melliflui Doctoris glorioſum nomen ſibi inde compararit. *Diffuſa erat gratia in labiis ejus*, inquit Bernardus Abbas Bonævallenſis, reſidui vitæ ſuæ egregius ſcriptor lib 3. cap. 5 *& ignitum eloquium ejus vehementius, mel & lac ſub lingua ejus, & eloquium ejus dulce.* Unde & in quodam ſepulchri ſui Epitaphio Pictor ſermonis fuiſſe deprædicatur. Cum tanta enim gratia, elegantia & ſuavitate loquebatur, ut ſermo ejus quædam à perito artifice elaborata, variiſque & diverſis coloribus adornata, magnaque cum dexteritate abſoluta eſſe videretur pictura, qui omnium eum auſcultantium aures mira dulcedine indulcorabat. Adeo erat in dicendo ſuavis, ut dum in Germania verbum Dei prædicaret, ab ejuſdem nationis populis, tametſi idiomatis illius, quo loquebatur, ignaris admirabili cum aviditate & affectu fuerit auſcultatus. Tunc igitur virum tali lingua præditum cenſebis eſſe hominem? cujus lingua lac & mel copioſè fundebat? qui lingua ſua velut catena omnium ſtringebat & rapiebat hominum corda? Seraphim potius, quam homo judicandus eſt homo ille.

8. O quam pulchrè inclytum illud nomen Bernardus cæleſtibus S. Abbatis moribus corre-

correſpondebat! Dicunt nonnulli, nomen iſtud *Bernardus* idem eſſe aut ſignificare quod *Nardus*: unde in ſepulchro ejus legitur:

> *Ardens Bernardus, aut Nardus aut bona Nardus*
> ——— ——— ——— ——— *Iure vocatur.*

*Nardus*, ut Ruellius lib. 2. cap 6. p 2. tradit, eſt herba immoderatè calefactiva. *Nardi vis ſit excalefacere*, inquit Ruellius. Bernardus Sermocinando, & de Deo loquendo, adeo audientium corda calefaciebat, adeoque divini amoris igne inflammabat, ut quotquot illum audiebant, ſpreto & relicto mundo ad Monaſteria ſe reciperent. Unde Bernardo prædicante Matres filios ſuos, uxores maritos ſuos, amici amicos ſubducebant & abſcondebant, ne quos tenere diligebant, cogerentur perdere & amittere. Unde Guilielmus ubi ſupra cap. 3 de eo ſcribit: *Ego publicè & privatim prædicante, matres filios abſcondebant uxores detinebant maritos, amici amicos avertebant; quia voci ejus Spiritus Sanctus tanta dabat vocem virtutis, ut vix aliquem aliquis teneret affectus.* Cur igitur S Bernardum non potius Seraphim aliquem quam hominem eſſe cenſebimus, quem hominum frigida corda tanto divini amoris igne accendere videmus? Ardere enim alioſque eodem ardoris æſtu accendere non humanum, ſed Seraphicum opus eſt. *Proprium eſt Seraphim* inquit Albertus Comp. Theol lib. 2. c. 14. *Magno amore Dei ardere, & alios ad incendium divini amoris promovere.*

9. Quoddam putatis eſſe certisſimum peregrini alicujus dignoſcendi ſignum? Certisſimum verumque ſignum unde peregrinus certo dignoſci poteſt eſt ipſa peregrini lingua, ſeu loquendi modus. Si enim loquatur germanicè, illum confeſtim judicamus eſſe germanum; ſi Hiſpanicè Hiſpanum; ſi Græce Græcum illum eſſe dicimus; & ſic per omnes alias nationes diſcurrendo, quemlibet hominem ex lingua ſua qualiſnam ſit manifeſtari invenietis. Neque enim illa ſummi Hebræorum Sacerdotis ancilla oſtiaria errabat, quando S Petrum in lingua Galilæa loquentem audiens, ipſum Galilæum eſſe dicebat: *Lingua tua manifeſtum te facit*, ut refert Matthæus cap. 26. v. 37 *Per talem veritatem poteſt percipi*. inquit circa verba illa Nicolaus de Lyra, *unde aliquis ſit oriundus*. Quod cum verum ſit, uti eſt veriſſimum, ſequitur evidenter quod ſi cognoſcere velimus hominem aliquem non terrenum & mundanum, ſed cæleſtem & divinum eſſe ad ſolum attendere debeamus linguæ accentum, ſeu loquendi modum. Unde cum Bernardus ad populum dicens non humana lingua loquebatur, uti alii homines, ſed lingua utebatur Angelica, quæ proinde ab hominibus vix poterat intelligi, teſte Guilielmo Abbate ubi ſupra cap. 6. dicente: *Si quando de ſpiritualibus & ædificatione animarum ſermonem habebat, loquebatur hominibus lingua Angelorum, & vix intelligebatur.* Conſequenter ipſum potius Angelum, quam hominem, imo verum quendam Seraphim fuiſſe cenſere debemus, utpote è cujus loquentis ore, non tam verba, quam flammæ, uti ex ſcriptis ſuis liquet, erumpebant: teſte Joanne Gerſonæ ſerm. de S Bernardo qui ait: *Cujus ſcripta ſcintillæ quædam ſunt divini amoris.*

10 Ambroſia adeo dulcis & ſuavis eſt cibus, ut ipſomet melle, quod nos dulciſſimum ſuaviſſimumque eſſe arbitramur novies dulcior eſſe judicetur. *Ibicus affirmat*, ita ſcribit Athenæus lib. 2 ca. 1. *Ambroſiam ad mellis naturam nonocuplam habere dulcedinem: mel dicens nonam ambroſiæ partem habere ſecundum ſuavitatem.* Unde Poëtæ Ambroſiam à Diis ſolis aliiſque cæli civibus manducari fingunt, cum alii homines quam qui Deificati & in Angelos transformati ſunt, illo viſci minime ſint digni. Hoc igitur ſuppoſito, quæro, quid ſi hominem aliquem Ambroſia paſci & cibari videretis, num illum hominem terræ incolam an vero ſpiritum cæleſtem, & cæli cenſeritis civem? Et quomodo illum hominem æſtimare quis poſſet, quem cibo tali, quo ſoli in paradiſo cæleſtes paſcuntur ſpiritus, nutriri videret. Bernardus igitur non homo, ſed cæleſtis quidam ſpiritus, & Paradiſi cenſendus eſt Seraphinus, utpote qui tot iteratis frequentibuſque vicibus ipſamet Beatisſimæ Virginis Patronæ ſuæ ſpecialisſimæ manu Ambroſia refertur fuiſſe nutritus. Unde Philotheus Monachus de glorioſiſſimo Abbate in vita ejus ita canit:

> *Sæpe ſuum virgo famulum venerata ſolebat*
> *Viſere, & Ambroſias ſæpe referre dapes.*

11. Porro quia Ambroſia, ut nonnulli volunt, non cibus, ſed cæleſtis quidam eſt potus, ideo iis, qui forte ſciſcitaturi à me eſſent, cur potus hic melliſluo Bernardo delibandus à Beata Virgine, non vero ab Angelo aliquo, aut alio aliquo Paradiſi ſancto, propinatus fuerit? promptiſſime id ideo factum eſſe reſpondeo, quia nimirum

Beata Virgo conſtituta eſt Paradiſi pincerna, non vero alius aliquis ſanctus vel Angelus, ideo miniſterium iſtud ei & non alteri ſanctorum competebat. Quia vero Ambroſia hæc quam inclyta hæc Pincernæ delibandam attulit, certum quoddam vehementiſſime calidi vini genus eſt, dicente Richardo à S. Laurentio lib. 12. de laudibus B. M. *Propinat pincerna hæc muſtum forte & calidum*, ideo quotquot liquorem à venerabilibus ejus manibus merentur accipere, in animis ſuis & cordis penetralibus adeo vehementer accenduntur & ardent, ut non homines ſed Seraphim, id eſt, *ardentes* cenſeri mereantur, idque præcipue Bernardo accidit, utpote qui cæleſtem hunc potum tam frequenter potavit.

12. Nunquid ſuperius miram S. Bernardi in utroque homine intellexiſtis pulchritudinem, & formæ venuſtatem, quæ tanta fuit ut ob eam non homo ſed cæleſtis quidam cenſeri mereretur Seraphim. Porro ipſum adeo fuiſſe ſpecioſum & elegantem minime mirandum eſt, cum cæleſti hac ambroſia frequenter adeo paſtus & refectus fuerit. Inter alias quibus Ambroſia prædita eſt virtutes, una eſt uti Poëtæ fingunt, quod miram corporibus humanis ſpeciem & formam attribuat. Unde Dionyſius apud Nonnum lib. 11 illam Ampeli infantis vulneribus applicaſſe deſcribitur, idque tum ad tollendam vulnerum deformitatem, tum ad conciliandam puero egregiam formæ ſpeciem. Adeo ſpecioſus S Bernardus ex frequenti Ambroſiæ ſumpto nutrimento evaſerat, ut ab omni humana deformitate, quam omnes alii homines ex primi ſuo Parentis peccato contraxerant, expurgatus & immunis fuerit, ideoque Seraphim potius quam homo ſit judicandus

13. Eo ipſo quo B. Virgo S. Bernardum Ambroſia paviſſe dicitur, ipſum quoque proprio ſuo lacte paviſſe videtur, cum enim ubera B Virginis cæleſti quodam liquore ubertim plena fuiſſe perhibeantur? *ubera de cælo plena*, ambroſia quoque, quæ cæleſtis quidam, liquor & potus eſt, plena fuiſſe dicenda ſunt. Quidnam autem Beatiſſima cæli Regina lac ſuum S. Bernardo propinando facere contendit? Ipſum divinum & cæleſtem, & quendam veluti Seraphim facere voluit. Ad eum fere modum quo Poëtæ fingunt Jovem Herculem filium ſuum in Deorum numerum recenſere minime potuiſſe, donec prius de Junonis Deorum omnium matris lacte potaſſet.

*Nec prius eſſe Dei potuit, quam ſugeret infans*
*Lac ſibi quod fraudis neſcia Iuno dedit.*

inquit de Hercule Alciatus Emblem. 139 Ita quoque ſanctus Abbas Seraphim fieri non poterat, niſi prius de cæleſti uberum Pincernæ cæleſtis liquore bibiſſet. Quippe tantam in ſe lac vim habet, ut infans nutricis potius cujus lacte educatus eſt, mores induat, quam quæ ipſum enixa eſt, matris: *In moribus inoleſcendis*, inquit Aulus Gellius lib. 12. cap. 1. *magnam fere partem ingenium altricis & natura lactis tenet* Ac proinde ut ſanctus Bernardus cæleſtibus potius moribus præditus eſſet, & Seraphim quoque ab omnibus paſſim & non homo cenſeretur. Beata Virgo ſuo ipſum lacte dignata eſt paſcere.

14. Admirabilis Bernardus non ſolum labia ſua ſanctiſſimis cæleſtis Reginæ uberibus, verum etiam divini lateris Salvatoris ſui vulneri admovere indeque pretioſiſſimum bibere ſanguinem meruit Cum enim die quadam, coram aliqua Crucifixi imagine in altiſſima quadam contemplatione abſorptus ſtaret, Chriſtus brachia ſua à Cruce miraculoſe ſolvens, mira cum teneritudine illum eſt amplexatus (unde Philotheus Monachus ubi ſupra, inquit:

*—— Domini pendentis imago*
*Solvit in amplexus brachia mota ſuos.*

ipſumque interea, uti Montalvus in Chronica ſua lib. 3. cap. 50. refert ad deliciolam pretioſiſſimi ſanguinis ſui delibationem ſeu potum invitans eidem dixit: *Bibe Bernarde* Fuit profecto hæc una ex præſtantiſſimis excellentiſſimiſque gratiis, quas Deo ſervis ſuis exhibere unquam complacuit. Hanc gratiam ſanctus & Seraphicus Bonaventura maxime quidem expetiit, ſed impetrare illam nunquam potuit. Unde in ſtimulo amori dicit: *Tota die ac nocte affligo animam meam, petendo vulnera tua dulciſſima, eſuriendo potari de ſanguine tuo pretioſo & vix unam guttam non valeo impetrare* Verum enimvero videamus quæſo quidnam Chriſtus Bernardum pretioſo ſuo ſanguine potando facere intenderit? Quantum ſane intelligere poſſum illum in Seraphim transformare, accendere, comburere & inflammare, ſuoque divini amoris igne adimplere voluit: *pretioſus namque Chriſti Ieſu Domini noſtri ſanguis, nihil eſt aliud quam merus & purus amor.*

Sanctus

Sanctus Ignatius Martyr Epiſtola 15. ad Romanos potum hunc concupiſcens, amorem appellavit dicens. *Non gaudeo corruptibili nutrimento, nec voluptatibus hujus vitæ: panem Dei volo, panem cæleſtem, qui eſt caro Chriſti filii Dei & potum volo ſanguinem illius, qui eſt charitas incorruptibilis.* Cum igitur Bernardus particulari privilegio ſuo à Chriſto ſanguine nutriri meruerit, utique amore, velut alter quidam Elias flammis nutritus fuit, ideoque intrinſecus comburi & accendi, & Seraphim potius quam homo fieri debuit, quotquot enim homines tanto ardent amoris incendio Seraphim potius ſunt quam homines.

15 Dicere etiam poſſumus Chriſtum crucifixum ipſum pectori ſuo aſtringendo amplexatum fuiſſe ut hac ratione illum in pectus ſuum ingredi, ibidemque habitare faceret, utpote cujus Longinus quondam lanceæ ſuæ clave portam aperuerat, ipſumque hac ratione accenderet, & inflammaret, prouti deſideraverat, quando in orat. Rhytmica ad latus Chriſti dicebat:

*In hac foſſa me recondè*
*Infer meum cor profundè*
*Ubi latens incaleſcat.*

Pectus Chriſti ſuper cæleſti igne refertum eſſe clarum atque perſpicuum eſt illis, qui illum per ſolis ſymbolum intelligi volunt, prouti à Malachia Propheta cap. 4. v. 2. intelligitur, cum dicit: *Orietur vobis timentibus nomen Domini Sol justitiæ.* Sicut enim Sol, ut vult Anaximander ingens quidam eſt globus vivo igne pleniſſimus, qui omni ex parte perforatus lucet & reſplendet: ita pectus Redemptoris quaſi Sol quidam plenum eſt luculentiſſimo igne amoris, & tanto quidem igne refertum, ut idem Bernardus Orat. Rhytmica ad pectus Domini, illud *Amoris domicilium*, appellare non dubitaverit, in quo nimirum amor continuo ac perpetuo habitat, urit, & ardet. Cum igitur Bernardus ipſam ſolis increati ſphæram, ipſumque amoris domicilium ingredi dignus fuerit, quis dubitat quin ibidem inflammatus & accenſus tantopere exarſerit, ut non jam deinceps homo ſed cæleſtis quidam ſpiritus, ſeu Seraphim aliquis accenſus & ardentiſſimus evaſerit.

16 Inſuper etiam dicere poſſumus, Chriſtum glorioſum hunc Abbatem adeo ſtrictè & firmiter amplexatum fuiſſe, ſibique aſtrinxiſſe, ut hac ratione pectus pectori, & cor cordi Bernardini uniret, prout ipſe in votis habuerat, quando Chriſto in eadem oratione dicebat: *Da cor cordi ſociari*, ut hac ratione illi unitus firmiterque adſtrictus unum idemque cum ipſo fieret, nec unquam ab eo ſeparari poſſet. Duo corda ſimul connexa & conjuncta, non duo ſed unum cor ſunt: *Duo ſeſe mutuo diligentes amici, minime duo ſunt exiſtimandi*, inquit Leo Hebræus de amore Dial. 3. *Qui adhæret Deo*, inquit Apoſtolus 1 Cor. 6. v. 17. *Unus Spiritus eſt.* Quidnam obſecro S. Abbas ex hac cum Chriſto unione lucri vel utilitatis reportaturus erat? Nimirum fæliciſſimam hanc ex homine in Seraphim transformationem, neque enim jam deinceps homo ſed cæleſtis quidam Seraphim eſſe debebat. Illi namque homines, qui per exceſſivi amoris copiam quo erga Dominum ſuum ardent, cum Deo uniti ſunt, & ab eodem ſeparari minime poſſunt, veri ſunt Seraphim. *Ipſa charitas Deus* inquit ipſemet glorioſiſſimus & mellifluus Abbas ſerm. 19. in Cant. *Seraphim in ſe adeo traxit, & abſorbuit, atque in eundem rapuit ſanctæ affectionis ardorem, ut unus cum Deo eſſe ſpiritus videantur.*

17. Neminem veſtrum eſſe credo, qui dum Seraphicos cæleſteſque ſpiritus in puerili ſpecie depictos vident, picturæ illius rationem dare neſciat. Utique enim illos hoc modo depingi ſcitis, ut per hanc ſpeciem ſumma ipſorum ſignificetur puritas, utpote qui nulla unquam culpa coinquinati, primamque ſemper illibatam conſervantes innocentiam ſemper pueri ſunt, id eſt, ſemper *puri*. *Puer* enim ut vult ſanctus Iſidorus à *puritate* dictus, eo quod *purus ſit.* Porro tametſi pictura iſta ad Seraphicam puritatem declarandam mire deſerviat, nihilominus quodſi ego in arte pictoria excellerem, & Seraphim quendam ad vivum & naturaliter valde depingere vellem, loco Seraphim ſanctum Bernardum penicillo meo exprimerem, utpote qui adeo purus, ſanctus, incontaminatus, & innocens permanſit, ac ſi puer perpetuo manſiſſet. Unde Bernardus Abbas Bonæ Vallis vitæ ſancti Bernardi lib. 5. cap. 3. optime de eo dicit: *Vere puer erat*, ut proinde pro exprimenda naturali Seraphici ſpiritus effigie ſervire mire potuerit. Quodſi Angeli & cælites omnes, quando ut idem ille Bernardus Bonæ vallenſis ibidem refert, anima ſancti Bernardi in cælos glorioſe ingredien-

gredientе, de tam pretioſo in cælo tranſmiſſo pignore læti una voce cantarunt *Puer datus eſt* pignore, loco ejus cecinissent: *Seraphim datus eſt nobis*, mea opinione idem prorſus dixiſſent, ſiquidem ſanctiſſima illa anima ob ſummam & incredibilem puritatem ſuam, verus quidam Seraphim erat.

18. De hoc eodem ſanctiſſimo Abbate Bernardus Bonævallenſis ibidem refert, quod à facie ejus, velut ex lucidiſſima quadam ſtella ſplendor quidam cæleſtis egreſſus fuerit: *In vultu claritas præfulgebat, non terrena utique ſed cæleſtis*. Verum inquies, unde quæſo lumen iſtud in hujus ſervi Dei facie proceſſit. Ab igne utique qui interius in ejus corde exarſit. Quis enim lumen ab igne naſci ignorat? Sic enim veteres ſolem, quia luminoſus eſt, igne plenum eſſe dixerunt. Quia Æthna & Veſuvius intus ardent, ſplendent foris. Unde lux quia ab igne procedit & naſcitur, *ignea*, quoque appellatur.

——*Et rutilo qua lux ſedit ignea mente:*

Ruffus Feſtus cecinit. Per hujus itaque ſplendoris ſymbolum S. Abbas eadem verba dicere poterat, quæ certus quidam ſcriptor velut Epigraphen certo cuidam Emblemati inſcripſit; ſcilicet foris legitur ut intus ardeam. Eſtque hoc evidentiſſimum animæ Seraphicæ ſignum. Quia enim Seraphim totaliter ignei ſunt, ideo ſplendidi proponuntur & lucidi. *Quia conſideratur in igne charitas*, inquit Doctor Angelicus D. Thomas 1. p q. 108. art. 5. de Seraphicis ſpiritibus, juxta Divini Areopagitæ doctrinam loquens, *Hujuſmodi Angeli habent inextinguibilem lucem*.

19 Quando fælicissima ſancti Bernardi mater eum in utero ſuo ferebat, viſa ſibi eſt, non hominem, ſed candidum quendam & in dorſo ſubrufum geſtare catulum. Ita namque de ea Guilielmus Abbas in vita S. Bernardi lib. 1. cap. 1. ſcribit: *Cum Bernardum haberet in utero, catellum vidit candidum, in dorſo ſubrufum*: Quidnam obſecro per hoc tale ſymbolum inſinuare Deus voluit? Nimirum Bernardum non hominem ſed Seraphim eſſe inſinuavit. Devota namque S. Abbatis mater ex hoc tam ſtupendo ſomnio non mediocriter attonita, illud manifeſtare, & cum inſigni quodam Dei ſervo conferre decrevit, à quo ſequens ſibi reſponſum retulit: *Optimi catuli mater eris, qui Domus Dei cuſtos futurus eſt*. Quis hic non videt S. Bernardum per hoc tale ſymbolum veluti Angelum quendam fuiſſe declaratum, ſiquidem ſoli Angeli non vero homines Eccleſiæ Dei cuſtodes exiſtunt. Unde cum Deus Iſaiæ 62, v. 6. dicit: *ſuper muros tuos Hieruſalem conſtitui cuſtodes*, per cuſtodes iſtos Hugo Cardinalis ibidem Angelos intelligit. Et quidem unus ex ſublimioribus & maximis cæleſtis paradiſi Angelis, hoc eſt, Seraphim futurus declarabatur. Idque per dorſum catuli ſubrufum, quaſi ſuperiorem animæ partem habiturus rubicundam, inflammatam, accenſam. Adeo namque Bernardi anima inflammata, ardens, & accenſa fuit, ut dum ex hac vita in immortalitatem migraret, nuda atque à corpore ſpoliata ab aliis viſa fuerit flammea atque purpurea. Unde Philotheus Monachus, ubi ſupra dicit:

*Purpureamque trahens animam ſuper aſtra locavit.*

Tota ignis quidam erat, & merum incendium, & ideo propriiſſime Seraphicum in cælis ſpiritum referebat.

20. Jacobus Faber lib. 1. operum S. Mechtildis cap. 51 refert, quod S. Mechtildis percepta eximia S. Bernardi ſanctitate, illius tam ſancti, virtuoſi, & inſignis ſervi Dei videndi cupidiſſima, Deum enixe rogavit, ut illius clare videndi ſibi copiam faceret. Deus igitur qui caſtarum ſponſarum ſuarum æquis petitionibus deeſſe non ſolet, eandem exaudiens effecit, ut S. Abbatem veſte quadam ex variis coloribus mirabiliter contexta indutum atque in ſocietate Divini amoris in pulcherrimæ cujuſdam virginis ſpecie à dextris ſibi aſſiſtentis conſtitutum clare cerneret. En ipſiſſima præfati Authoris verba: *Mox S. Bernardus in ſtola ex candido, viridi, rubro & aureo colore prætexta mirificè ſibi apparuit. Amor etiam in ſpecie virginis pulcherrima ſtabat à dextris beati viri.* Amore, ut vides, ſociatus apparuit, ut inde conſtet ipſum ardentiſſimum fuiſſe Dei amatorem. Porro in hac viſione vel maxime ponderandum & conſiderandum eſt, quod Bernardi amor non in virili, ſed in pulcherrimæ adoleſcentulæ ſpecie apparuerit. Qui fit, quod cum amor communiter in virili ſpecie depingatur, amorem tamen Bernardi mulieris alicujus ſpecies referat? Factum id eſt, quantum ſapere poſſum, ut per hoc nobis

nobis innuatur, amorem ejus non mediocrem aut vulgarem ſed eximium fuiſſe & exceſſivum, quaſi mulieris cujuſdam amor fuiſſet, quæ dum diligit, tantò id cum exceſſu & fervore facit, ut mediocritatem prorſus neſciat. *Aut amat, aut odit mulier, nihil eſt medium,* inquit Seneca. Simili quoque modo Joannes Gerſon ſerm. de S. Ludovvico, per mulierem, quam S. Joannes Apoſtolus ſole amictam vidit, S. Ludovvicum Galliæ Regem intelligit, quem mulierem vocari dicit: *Ob vehementiam dilectionis,* longè enim fortior & vehementior eſt amor mulieris, quam viri. S. Bernardus Deum ſuum tanta cum intentione & vehementia tantoque cum exceſſu in hac vita dilexit, ut amor ſuus mereatur dici amor muliebris, indeque non homo ſed Seraphim æſtimari meruerit. Seraphim namque ab exceſſu vocatur amoris. *Nomen Seraphim,* inquit Doctor Angelicus ubi ſupra, *non imponitur tantum à charitate, ſed à charitatis exceſſu, quem importat nomen ardoris vel incendii.*

21. Legite Lucæ caput 12. v. 49 ibi namque Chriſtum in ſequentia prorumpentem verba invenietis: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur?* Quidnam Chriſtum per hoc incendium in hominibus efficere voluiſſe exiſtimatis? Seraphim ex hominibus facere contendit, ut Luciferum, qui Seraphim exiſtens, Dæmon factus eſt, per hoc confunderet. Audite ipſummet mellifluum Abbatem ſerm. 3 de verbis Iſaiæ pro hac noſtra ſententia, cum Lucifero loquentem: *Ad contumeliam tuam, ò ſuperbe, qui creatus inter Angelos ſtare non meruiſti, ecce Rex noſter novos in terris Angelos fabricaturus advenit. Atque ut tabeſcas amplius, & livore proprio torquearis, non qualeſcunque neque inferiores alicujus ordinis Angelos, ſed Seraphim. Audi enim quid ipſe loquatur. Ignem, inquit, veni mittere in terram & quid volo, niſi ut accendatur? vult ergo Seraphim fabricare, ut ibi ſtent, unde tu corruiſti.* Quia igitur S. Abbas inter alios, ne dicam ſupra alios hoc igne accenſus exarſit, Philotheo Monacho ubi ſupra, dicente:

*Bernardumque ſuo concremat igne Deus.*

ex homine utique in Seraphim divini hujus ignis virtute eſt transformatus.

22. Cum Sanctus Abbas Rupertum fratrem ſuum germanum ad monaſterium ſuum revocaturus foris extra cellam ſub dio epiſtolam quandam dictaret, repentinus quidam imber ſeu pluvia ſuper eum irruit, adeò vehemens ut Guilielmus eius Secretarius chartam ne madeſceret reponere voluerit. Quod videns ſanctus ipſum impedivit, atque ut cœptam proſequeretur ſcripturam præcepit, ſecurum ipſum eſſe jubens fore, ut ipſum pluvia iſthæc nequaquam impediret, prout & reipſa accidit. Quamvis enim eo tempore paſſim & ubique etiam in eo in quo erant loco, vehemens pluvia eſſet, ſuper chartam tamen iſtam ne vel minima guttula decidit. Habetque litera hæc ob ingens hoc miraculum primum inter S. Abbatis Epiſtolas locum. Verum inquies, undenam ingens hoc miraculum ortum ſuum habuit? à ſancti hujus Abbatis charitate provenit, inquit facti hujus ſcriptor Guilielmus vitæ Sancti Bernardi libro 1. capite 1. *Cum undique plueret, chartam expoſitam virtus operuit Charitatis.* Unde Sanctum Bernardum verum quendam Seraphinum eſſe adeò eſt verum, ut ne ipſæmet aliæ ipſi defuerint. An non enim videtis, qualiter ne charta madefieret, igneas alas ſuas velut quidam Seraphim aperuerit, iiſdemque illam contexerit? Igneas enim charitas alas habet, unde ſponſa Canticorum. 8. verſ. 6. juxta Translationem ſeptuaginta inquit: *Alæ ejus, alæ ignis atque flammarum.*

23. Nonnulli Luciferum unum ex Seraphim fuiſſe, & ex Seraphim Dæmonem factum eſſe arbitrantur, qualis etiamnum eſt, ſemperque erit. Ego tamen, niſi me mea fallat opinio, Luciferum nequaquam ex ordine Seraphico fuiſſe exiſtimo; Quod ſi enim verus quidam Seraphim fuiſſet, nequaquam de cælo in Infernum prolapſus, & in Dæmonem transformatus fuiſſet. Vultiſne aliquam hujus opinionis meæ intelligere cauſam? Sequentem accipite: Quod ſi enim ex ordine Angelorum Seraphico unus fuiſſet, utique divini amoris igne accenſus fuiſſet, adeòque divinam æqualitatem minimè fuiſſet tanta cum temeritate æmulatus; Si autem illum hoc igne deſtitutum dixeris, neutiquam Seraphinum fuiſſe, tueri poteris. Atque hanc quoque opinionem S. Abbas noſter ſectatur, cum ſerm. 3. de verbis Iſaiæ Dæmonem hiſce verbis alloquitur: *Ut quid tu qui mane oriebaris, Lucifer, in veritate non ſtetiſti? niſi quia Seraphim non fuiſti? Seraphim quippe ardens vel incendens interpretatur: tu verò habuiſti miſer lucem, ſed ardorem non*

*habuiſti.* Cum igitur amoris divini ardor adeò propriè ad Seraphim conſtituendũ requiratur, ut niſi Seraphim ardeat, Seraphim eſſe omninò nequeat, Bernardus autem tantò exarſerit amoris incendio, ut ardentis nomen ſibi inde conciliari (*Bernardus* enim *ardens*, interpretatur) ipſum Seraphim potius quam hominem fuiſſe, conſequenter id dicere oportet

24. Quod ſi ego de S. Bernardo conſtanter affirmare vellem, ipſum dum in terris fuit cum hominibus converſatus, ſimul totum in terra, & totum fuiſſe in cælo, idipſum utique à multis veluti paradoxum quoddam cenſendum foret. Dicere enim poſſent, quomodo Bernardus uno eodemque tempore ſimul totus in cælo & in terra eſſe poterat, cum homo uno eodemque tempore in duobus locis eſſe non poſſit? Veruntamen quid Guilielmus Abbas ubi ſupra cap 4. de ipſo dicat, ſi placet audite: *Ipſe privilegio majoris gratiæ in virtute ſpiritus, ſimul & totus quodammodo exterius laborabat, & totus interius Deo vocabat: in altero paſcens conſcientiam, in altero devotionem. Laboris ergo tempore & intus orabat ſeu meditabatur, abſque intermiſſione exterioris laboris, & exterius laborabat, abſque jactura interioris ſuavitatis.* Uno eodemque tempore quo corporaliter laborabat, meditationi quoque ita perfectè vacabat, ut totus meditationi & orationi deditus eſſe videretur; eodemque tempore quo orationi & contemplationi intentus erat, ſimul etiam laborabat, idque adeò perfectè & integrè, ut totus videretur eſſe labori addictus. Uno igitur eodemque tempore totus in terra, id eſt, in terrenis negotiis occupatus erat, & totus in cælo, cæleſtibus nimirum meditationibus deditus. Quaſi non homo fuiſſet, ſed illorum Seraphim unus quos Iſaias ſupra templum, throno Dei aſſiſtentes conſpexerat, qui eo quod alati eſſent, uno eodemque tempore in cælo & in terra conſtituti eſſe videbantur. *Alas habere dicuntur* inquit Sanctus Hieronymus libro 3. in Iſaiam, *quia ſemper in altioribus commorantur.* quaſi diceret Seraphim illi alas habere dicuntur, ut per hoc nobis innuatur, quod uno eodemque tempore, quo in terra ſupra templum erant, in cælo quoque ſimul fuerint, ubi meditando ſummoque & æterno bono fruendo ſemper exiſtunt.

25. Inter cætera quæ in ſancto Abbate notari merebantur, hoc quoque eſt, quod ad hoc ut ſe ad illum perfectionis ſtatum ſublimaret, ad quem cum ſtupore evectus modo conſpicitur, ſimul cum conceſſis divinæ gratiæ donis, egregia quoque quibus pollebat naturæ dona mirè juverint. Unde Guilielmus ſæpè citatus ubi ſupra capite quarto de ipſo inquit: *Ad contemplanda quippe ſpiritualia quæque ſeu divina cum gratia ſpirituali, naturali quadam virtute pollebat ingenii.* Ad ſanctitatis culmen velis remiſque (ut ajunt) evolabat. Nihil in ipſo erat, quod volatui ejus occurrens, minimè eum impedire poſſet. Gratia pariter & natura communi conſenſu, quaſi duabus velociſſimis alis, ipſum in cælum uſque ſublimabant. Nequaquam ut homo aliquis tot imperfectionum pondere, quales corporis maſſa adferre ſecum conſuevit, onuſtus, a cæleſti volatu retardatus fuit, ſed alatus quidam fuit Seraphim, ex eorum videlicet numero unus, quos ut dictum eſt, Iſaias Propheta capite ſexto verſu ſecundo, *duabus alis volantes vidit: duabus volabant.* Per quas alas Sanctus Abbas noſter glorioſorum illorum ſpirituum naturalia & gratuita dona intelligit, ſermone quinto de verbis Iſaiæ dicens: *Duas alas iſtas Natura & gratia dicimus.*

26. Quando illa Chriſti verba Luc 15. v. 10. *Gaudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente*, penitius mecum conſidero, inde conſequenter inferri poſſe exiſtimo, omnes illos qui peccatorem aliquem ſeriam agere pœnitentiam videntes, intimè lætantur & gaudent, minimè æſtimandos eſſe homines aliis mundi hominibus conſimiles, ſed veros Paradiſi Angelos cenſeri debere. Cum enim mundani homines verum aliquem pœnitentem videntes, eundem ob ingratam & inviſam illis ejus pœnitentiam, irrideant & contemnant, unde David quoque pœnitens Pſalm 68 v. 12. de mundanis hominibus conquerebatur dicens: *Factus ſum illis in parabolam*: hi econtra, quaſi non homines, ſed Angeli eſſent, diverſaque ab aliis indolis, feſtiva cum Angelis gaudia concelebrant. Atque ideo cum de S. Bernardo legatur majorem ipſi lætitiam accidere minimè potuiſſe in hac vita præſenti, quam dum magni alicujus peccatoris converſionem videbat & pœnitentiam, unde Bernardus Bonævallenſis lib. 3 vitæ ſuæ cap 6. de eo ſcribit: *ſummum et deſiderium ſummum gaudium erat animarum fructus, converſio peccatorum*, ipſum non hominem, ſed Angelum cenſeri debere exiſtimo, & quidem unum è ſublimioribus

qui

qui ſunt in cælo id eſt, Seraphinum; talis enim tantaque lætitia, non niſi à corde pro ſalute proximi ardente & flagrante naſci poteſt.

27. Quidnam obſecro Poëtæ veteres & gentiles per illam Thyreſiæ fabulam, qua eundem quod Minervam in Hypocrenis fronte nudam vidiſſet, cæcum factum fuiſſe ſomniant, ſignificare volebat? Nil aliud, quam quod ii qui oculis intellectus divinæ ſapientiæ lumen ſemel videre meruerant aut deguſtare, confeſtim in terrenarum rerum aſpectu voluntariè cæci evadant. Teſtatur id Natalis Comes lib. 4. Mythol. cap. 5 dum inquit: *Thyreſiam ideo cæcam fuiſſe dicunt, quod Minervam nudam vidiſſet, quia dulciſſimum ſapientiæ fructum guſtaverit, aut lumen ejus perſpexerit, ad res cæteras lubens cæcus efficitur.* Quod ſi S. Bernardum bene attendatis haud dubiè invenietis ipſum licet oculos & lumen habuerit, ut alii homines, in contuendis tamen hujus mundi rebus, velut alterum quendam Thyreſiam omninò fuiſſe cæcum. Integro anno in Novitiatus ſui cella permanſerit, & tamen quale ſuper eam tectum ſtratum fuiſſet ignorabat. Noctes dieſque in Eccleſia tranſigebat, & tamen hanc tres in fronte feneſtras habere ignorabat. Integro die trans lacum quendam obequitans, eundem tamen veluti non viſum, minimè advertit. Alia vice jumento cuidam vanis ſuperbiſque phaleris exornato inſidens, eaſdem phaleras minimè conſideraverat. *Videns non videbat: audiens non audiebat; nil ſapiebat guſtanti*, inquit ubi ſupra cap. 4. Guilielmus Abbas. Unde cæcitas iſta Bernardo accidit? Ex divinæ nimirum ſapientiæ aſpectu. In nocte enim Natalis Domini noſtri dum adhuc parvulus eſſet æternam Dei ſapientiam nudam videre in eadem ſpecie meruit, qua illam in nocte nati Salvatoris, B. Virgo Maria enixa fuerat. Nam ut Guilielmus ibid cap. 2. refert: *Apparuit ei quaſi iterum antè oculos ſuos naſcens ex utero Virginis Matris, verbum infans, ſpecioſus præ filiis hominum, & puerili ſancti in ſe vultus minimè puerles affectus.* Quid igitur mirum ſi ad res mundi hujus cæcus fuerit, qui eum viderat, cujus aſpectus omnia terrena ſordida facit. Etenim Bernardus hac in re verus quidam Seraphim eſſe apparuit, ex eorum ſcilicet numero unus, qui coram Dei ſede canentes quod æternam Dei ſapientiam nudam vidiſſent, vultum ſuum duabus habebant alis contectum. Iſaiæ 6. v. 2. *Duabus velabant faciem eius*, exteriori hoc ritu ſignificantes, quod poſt ſummum bonum clarè & nudè à ſe viſum, in terrenarum rerum aſpectu lubentes cœci eſſe deſiderent.

28. Quando Bernardus Mediolani exiſtens infelicem quandam mulierem à dæmonio ipſam obſidente liberaturus, ſanctiſſimum Chriſti corpus manu ſua tenens eandem exorcizavit, quid tunc aliud quam accenſum quendam & ardentiſſimum carbonem in manu ſua tulit? Quid enim eſt ſacratiſſimum Redemptoris noſtri ſub panis accidentibus velatum corpus aliud, quam carbo quidam ignitus & ardentiſſimus, teſte Aponio lib. 1. in Cant. qui ait: *Pater dedit verbum ignitum huic mundo, quod in figura carbonis levatur de altari.* Atque ideo cuinam S. Abbas ſacrum hunc carbonem manu ſua tenens melius comparari poterat, quam Seraphino illi, qui ad expurganda Iſaiæ Prophetæ labia carbonem ab altari deſumptum manu ſua ferebat? *Volavit ad me unus de Seraphim*, inquit Iſaias cap. 6. v. 6. *& in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari.* In omni igitur vita, in omni negotio, in quavis actione mellifluus Bernardus, cæleſtem quendam Seraphim perfectiſſimè referebat.

29. Denique ut Panegyrico huic finem imponam, quemnam putas locum Bernardus in cælo habuit, poſtquam terra hac poſt ſe relicta, & depoſitis corporis exuviis in ſublimes cælorum ſedes receptus fuit? Utique cum ſanctus quidam fuerit, tot meritis totque virtutibus præfulgidus, tantaque perfectione conſpicuus, adeò etiam in hac terra à Deo honorificatus & ſublimatus locum merebatur in cælis ſublimiſſimum; Et ideo ut merebatur, locum accepit totius regiæ cæleſtis valdè præcipuum, honorificum, valdèque ſublimem, videlicet ad latus Beatiſſimæ Virginis Patronæ & Dominæ ſuæ ſingulariſſimæ. Per ſolium enim in quo Iſaias cap. 6. v. 1. Deum ſedere vidit: *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & elevatum*, Richardus à S. Laurentio lib. 10. de Laudibus B. Mariæ B. Virginem intelligit: *Per ſolium*, inquit, *Maria deſignatur, De hoc ſolio dicitur: vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum*: Per duos autem Seraphim qui in circuitu ſolii illius ſtabant. Iſaiæ 6. v. 2. *Duo Seraphim ſtabant ſuper illud*, vel ut ſeptuaginta vertunt, *in circuitu eius*; intelli-

gendi ſunt ſanctus Joannes Apoſtolus & ſanctus & mellifluus Doctor & Abbas Bernardus, ob exceſſum amoris erga Dominum ſuum in duos Seraphim transformati. Hiſce enim duobus, tum ob candorem virginalem, tum ob particularem devotionem variaque B. Virgini exhibita obſequia, Deus, ut lateri matris ſuæ inſeparabiliter aſſiſterent peculiari privilegio indulſit. Audite Beatam Virginem de utroque hoc viro Seraphico cum Philotheo Monacho ubi ſupra loquentem:

*His Deus æquilocas ſublimi in vertice ſedes*
*Contulit, & lateri juſſit adeſſe meo.*

Nec immerito; Cum enim Bernardus, quanto tempore in terram vixit verus quidam Seraphim fuit, dicebat enim ut in cælum receptus Seraphicum quoque locum obtineret, illiuſque lateri firmiter aſſiſteret, cujus amore adeo exardeſcebat. Faxit Deus, ut per magni hujus Seraphim interceſſionem, adeo noſtra corda incaleſcant, ut bonis quæ Deum amantibus promiſſa ſunt, in æternum perfrui valeamus.




PANE-

# PANEGYRICVS XXXVII.

## De S. Bartholomæo admirabile Chriſti Apoſtolo.

# THEMA.

Exſurrexit quaſi ignis, & verbum illius quaſi facula ardebat.
Eccleſiaſtici 43. verſ. 1.

# ARGVMENTVM.

*S. Bartholomæus Apoſtolus in Dei amore adeo admirabilis fuit ut igneam videatur animam habuiſſe.*

1. VAriæ & diverſæ fuerunt circa animæ ſubſtantiam antiquorum Philoſophorum opiniones, ut videre eſt apud Plutarchum lib. 4. de placitis Philoſophorum, & Albertum in Comp. Theol lib. 2. cap. 30. Nonnulli, quos inter Plato fuit, eam numerum quendam eſſe dixerunt. Pythagoras illam harmoniam quandam eſſe dixit. Ariſtoteles ipſam Endeleshiam, id eſt, actum quendam perfectum eſſe voluit. Anaxagoras docuit illam eſſe aerem, Epicurus ſenſit illam eſſe quoddam quatuor Elementorum temperamentum. Denique Democritus illam ignem, ſive ignitum quoddam eſſe exiſtimavit. Porro me quod attinet, ingenue fateor, quod niſi Catholica eſſem veritate inſtructus, animamque noſtram ſubſtantiam quandam ſpiritualem rationalem ad corpus vivificandum, & æternam beatitudinem conſequendam à Deo creatam eſſe ſcirem, ad prodigioſa facta, miroſque S. Bartholomæi Apoſtoli affectus reſpiciens determinaturus qualis aut quidnam eſſet ſancti hujus Apoſtoli anima, Democriti ſuorumque ſequacium ſententiæ conſentiens, illam ignem, ſive ignitum quoddam eſſe dicerem; ut proinde mirum non ſit S. hunc Apoſtolum virum fuiſſe adeo in Dei ſervitio inflammatum & fervidum, adeoque ardentem, qui in omnibus actionibus & ſermonibus ſcintillabat flammas, ſpargebatque ſcintillas, de quo proinde Author Eccleſiaſtici cap. 43. v. 1. locutus fuiſſe videtur, dum ait: *Exſurrexit quaſi ignis, & verbum illius quaſi facula ardebat.* Mirum inquam id non eſt, cum animam habuerit igneam, vel ſaltem ad minus ignitam & accenſam; Idque verum eſſe facile liquebit, ſi ad ea quæ de illo leguntur, quæque pro Chriſto ſummo bono ſuo fecit & ſuſtulit, animum intendatis, in his namque præter merum ignem & flammas nihil aliud cernetis.

2. Sciendum igitur imprimis Joſephum Authorem Græcum, qui alias humilis dicitur apud Lipom. 24. Aug. S. Bartholomæum Apoſtolum tribus præclaris Epithetis cognominari. *Vocatur enim* ab eo *Aquila in altum volans, ſuave canens luſcinia, cœleſtis cicada.* Porro Aquila vocatur; Primo quia nobiliſſimus erat, & regio ex ſanguine oriundus, utpote qui ut placet Abulenſi in cap. 10. Matth. q. 35. à Syriæ Regibus ortum ſuum habuit ſicut Aquila nobiliſſima eſt, utpote aliarum avium Regina. Secundo vocatur Aquila quia Apoſtolus eſt, Apoſtoli enim ut vult Pierius Valerianus lib. 19. Hieroglyphicorum per Aquilas illas intelliguntur, de quibus Chriſtus

 dicit.

dicit. *Vbi fuerit corpus illic congregabuntur & Aquilæ.* Tertio quia quotidie admirabili cum velocitate de terra in cœlum ad ſummi ſolis, id eſt, Dei, & ſtellarum, id eſt, Angelorum & ſanctorum conſpectum elevabatur, centies de die, & totidem vicibus de nocte Deum orando. Sicuti inter cunctas aves nulla eſt quæ cælum adeo ſublimiter & profunde penetret, uti Aquila. Quarto ſicuti Aquila ſanguinem adeo ardentem & accenſum ac fervidum habet, ut Statius 8. The. illam vocet avem *flammigeram*:

*Accurrit nivea quam flammiger ales olori*

Unde Poetæ quoque gentiles Aquilam igneum Jovis ſimulachrum & fulminis portatricem eſſe finxerunt: ita quoque S Bartholomæus Apoſtolus ob vehementem divini amoris ignem quo exardeſcebat, ab eodem Joſepho humili vocatur igneum Spiritus Sancti candelabrum: *Tu es aureum candelabrum, in qua Paracleti ſpiritus ignis, tanquam fax quædam advenit;* quaſi corpus ejus ignea anima præditum fuiſſet.

3. Quinto etiam dicere poſſumus ipſum Aquilam vocari; quia ſicut Aquila in ſublimiſſimis & eminentiſſimis terræ locis nidum ſuum fabricat, teſte Ariſtotele lib. 9. de animalibus cap. 32. qui inquit: *Nidulatur locis non planis ſed excelſis, præcipue quidem arduis.* Ita quoque quoadusque S. Apoſtolus in terra vixit, nidum ſuum non in terra, loco nimirum humili & abjecto, ſed in cælo, utpote loco altiſſimo & ſublimiſſimo valdeque arduo repoſitum habebat. De admirabili hac Aquila Job forte loquitur, cum dicit c. 39. v. 27 *Elevabitur Aquila, & in arduis ponet nidum ſuum.* Cum igitur Bartholomæus nidum ſuum collocarit ibi quoque cor ſuum repoſitum habuerit neceſſum eſt *Ibi enim cor hominis figitur, ubi nidum habere dicitur*, inquit Berchorius in Dictionario ſuo V. *Nidus.* Hic autem nidus theſaurus potius quam nidus vocari meretur, ſiquidem Apoſtolus in tantum cor ſuum in cælo repoſitum habuit, in quantum theſaurus ejus, in quo nidificaverat in cælo conſtitutus erat; nam ut Salvator noſter Matth 6. v. 21 inquit: *ubi enim theſaurus tuus eſt, ibi & cor tuum erit.* Quiſnam aut qualis obſecro fuit ille S. Bartholomæi theſaurus qui cor ejus corpori veluti exſertum in cælo continebat? Theſaurus hic Chriſtus erat; Hic enim per theſaurum illum in agro abſconditum, intelligitur, de quo Chriſtus Matth 13. loquitur, teſte Paſchaſio in c. 13. Matt. Eſtq; theſaurus adeo in ſe opulentus, dives, & pretioſus, ut omnes in ſe divinos theſauros includat *Quid ore pretioſius Chriſto*, inquit Patriarcha Venetus Laurentius Juſtinianus de contemptu mundi c. 14. *in quo omnes theſauri ſcientiæ & ſapientiæ Dei noſcuntur eſſe abſconditi.* Adeo igitur S. hic Apoſtolus Chriſti amore erat accenſus, adeo erga illum cor ejus ardebat & flagrabat, ut corpus in terra ſine corde, & cor in cælo ſine corpore habuerit.

4 Sexto ideo ipſum Aquilam appellari dicere poſſumus, quia in mundo veluti homo aliquis divinus apparuit, hoc enim nomine illum S. Dionyſius Areopagita de myſtica Theolog. c. 1. appellavit. Sola autem inter omnes volucres Aquila, neſcio quid Divini habere dicitur Ariſtotele teſte, qui loco ſupra citato ait: *Homines ſolam avium omnium Aquilam eſſe Divinam perhibent.* Vere divinus quidam homo fuit ſanctiſſimus Apoſtolus, quamdiu in terra vixit, id eſt, Deificatus. Atque ideo magnus Dei amator fuerit neceſſum eſt, cum præter amorem nihil hominem magis proprie in Deum transformare & Deificare valeat, S. Bernardino teſte qui p. 2. ſer. 3. art. 1. c. 4. dicit: *Charitas ſupra omnes virtutes animam Deo conformat, & per eam melius, quam per aliam virtutem, tanquam Deo ſimiliorem, anima conformiter transformatur in Deum.*

5. Dum S. Apoſtolum per Aquilæ ſymbolum celebrari auditis, non ad quamcunque Aquilam attendere debetis (ſunt enim variæ & diverſæ Aquilarum ſpecies) verum ad Aquilam veram & naturalem, quæ pro manifeſto ſui indicio pennas habet nigras. Unde de hac Aquila Ariſtoteles loco citato in hæc verba ſcripſit: *Colore nigra eſt, unde nomen accepit: ut pulla vocetur.* Harum Aquilarum una fuit Glorioſus Chriſti Apoſtolus S. Bartholomæus, hic enim pro infallibili ſuo indicio & ſigno pennas, id eſt, capillos nigros habuit Unde & Dæmon uti in hiſtoria Lombardica ſcribitur, Idololatris ſuis, infallibile unde Apoſtolus ab aliis dignoſci poſſet, ſignum daturus dixit: *Capilli ejus nigri ſunt.* Verum forte dicat aliquis, quam ob cauſam Capilli S Bartholomæi, nigro & non alio colore tincti fuere? Ob fervidum quo anima ejus interius erga Deum ardebat amorem. Amoroſus enim hic cordis ſui ignis adeo ingens erat, ut illo per ignem iſtum totaliter combuſto, nigros quoque capillos ejus reddiderit. nam ut Ariſtoteles de coloribus c. 1 ait: *Omnia combuſta nigreſcunt.* Sicut enim fornax quæ interius ardet, tegulas & muros domus exterius nigro colore afficit & nigredo certum eſt interni

ardoris

ardoris indicium: Ita quia anima Bartholomæi accenſa quædam divini ignis fornax erat, ideo capillos ejus prorſus denigraverat, eratque color iſte evidens incendii interioris indicium.

6. Advertendum eſt autem quod Apoſtolus non ſimpliciter Aquila dicatur: ſed *Aquila in altum volans*: ut per hoc nobis ſignificetur, ipſum non eſſe de genere illarum Aquilarum quæ deorſum volant, uti aliæ Aquilæ faciunt, dum cibum ſibi procurant: ſed talem Aquilam eſſe, quæ ſemper in altum volabat, ſemper cælum petebat nunquam autem ferebatur deorſum *Aquila in altum volans*. Cur autem continuo ſurſum tendebat, nunquam vero deorſum? Quia nimirum animam habebat Divini amoris igne adeo accenſam, ut nedum ignita ſed tota ignis, & merum eſſe videretur incendium. Quia vero ignis ſurſum ſemper tendit, nunquam vero deorſum, uti præter ipſammet experientiam ſanctus quoque Dionyſius Areopagita lib. de cæleſti Hierarchia cap. 15 teſtatur dicens: *Ignis ſuperiora ſemper petit*: Ideo S. Apoſtolus haud ſecus ac ſi igneam habuiſſet animam, nunquam terrena & humilia voluit, nunquam caduca & mundana elegit, neque res unquam quæſivit tranſitorias, ſed maxima ejus conſolatio, recreatio maxima, imo cibus ejus, unde in vita conſervabatur, Deus erat quem amabat, quem quærebat, & in cælo repetiebat, ad quod proinde ſemper ſe extollebat. *Aquila in altum volans*.

7. Eo ipſo quo S. Bartholomæus ſub Aquilæ in altum volantis typo proponitur: *Aquila in altum volans*. Fælicisſimus ejus volatus, quem ex hac vita demigrans, cælum verſus fecit, nobis ob oculos proponi videtur, quaſi tunc vera quædam fuiſſet in altum volans aquila: *Aquila in altum volans*. Dicite mihi obſecro cur non Columbæ alicui, aut Falconi, aut vulturi, aut alteri cuipiam cælum verſus velocisſime evolanti aviculæ comparatus fuerit? Ratio hujus eſt, quia recta ſemper cælum verſus volavit. Cum enim omnes aliæ volucres, cælum verſus volantes, oblique & per gyrum volent, Aquila eodem directe & ſine ambagibus evolat. Unde Ælianus lib. 14. c. 19. inquit: *Aliæ aves idcirco diverticulis, flexionibuſque in cælum efferuntur, quod recta non poſſunt: ſola aquila directo volatu in ſublime fertur* Vera fuit in morte ſua Aquila, ſi tamen mortuus dici glorioſisſimus Apoſtolus potuit: *Aquila in altum volans*. Cum enim cæteræ a corporibus ſolutæ animæ cælum verſus evolantes ad purgatorium divertant, inde vero tandem ad cælum ſe recipiant: ipſe ſine ullo interjecto diverticulo, recta evolavit ad paradiſum. Et per hunc talem volatum, magni amoris quo in hac vita erga Deum flagrabat, ignem nobis clare ſignificabat. Animæ noſtræ in cælum ſe recipientes, in tantum ad purgatorium divertunt, in quantum purgante & purificante eas igne opus habent. Anima vero S. Apoſtoli utpote quæ in Divini amoris igne exarſerat, excocta, purificata, & emundata fuerat, ideoque cum Davide Pſal. 16. v. 5 dicere poterat: *Igne me examinaſti, & non eſt inventa in me iniquitas*, ideoque purgatione aliqua minimè indigebat, ut deſiderato ſummeque dilecto bono ſuo æternum frueretur, velut Aquila quædam non oblique, ſed rectisſimo itinere in cælum evolans ſe recepit. *Aquila in altum volans*. Impuritas enim peccati non habet locum, ubi amor Dei habet imperium: *Amorem ſuum tribuat*, inquit Casſiodorus, *ut peccandi ambitus miſeratus excludat*.

8. Joſephus præfatus Apoſtoli laudes ulterius proſequens, illum inſuper luſciniam appellat: *ſuave canens luſcinia* Obſervandum autem, quod ipſum non carduelem, paſſerem, merulam, cygnum, aut alio quovis muſicæ avis nomine compellet, ſed luſcinia tantopere cantando delectatur, ut potius vitam perdere quam à cantu remittere eligat: Ita Bartholomæus Evangelicæ prædicationis cantu adeo eſt delectatus ut vitam ſuam potius pro Chriſto prodigere, quam Chriſtianæ fidei prædicationem intermittere voluerit. Secundo quia ſicut luſcinia per cantum potius quam per quidvis aliud pullos ſuos vivificare velle videtur: Ita Bartholomæus continuatum orationum cantu, quibus, uti diximus, dies noctesque vacabat, æternam illis quos Chriſto genuerat vitam procurabat. Tertio denique quia ſicut luſcinia, eo quod valde ardenter & viſceroſe diligat, præ amore languet & moritur. Ideoque *Phylomela* dicitur, id eſt, *amore languens*, à *Phylos*, quod eſt, *amor*, & *mens* quod eſt, *defectus*, ut vult Eminentisſimus Cardinalis Hugo in cap. 4. Cant. Ita etiam quia Bartholomæus Dominum ſecum ardentisſimè amabat, & præ amore pro Deo ſummo bono ſuo languebat, & moriebatur, luſcinia dictus eſt. *Suave canens luſcinia*.

9. Poſtremo illum Cicadam cognominat: *cæleſtis cicada*. Quia nimirum illum ob ſummum quod in ejus pectore ardebat incendium, cantui melodico

melodico tum orationis, tum promulgationis ſanctiſſimi nominis Domini ſui quem amabat, totaliter deditum atque addictum animadverterat. Sicut enim Cicada quando in ſole ardet & uritur, canere ut plurimum auditur teſte Virgilio Ecloga 1.

*Sole ſub ardente reſonant arbuſta cicadis*

Id quod Magnus Gregor. Nazianz. orat. 34. de cicadis loquens confirmat, dicens: *Incitantur ad cantus meridionali tempore*: Ita quia Bartholomæus divino ſemper igne ardebat, nullum unquam tempus ſibi præterire permiſit, in quo ſummi boni ſui laudes non caneret, aut prædicaret; Nam ut habet Proverbium apud Plutarchum: *Amor muſicam docet.* Advertendum eſt autem, quod Joſeph humilis Apoſtolum non ſimpliciter cicadam, ſed *cicadam* cæleſtem appellet: *Cæleſtis cicada*: idque ne aliquis forte ſibi illum terreſtrem cicadam fuiſſe perſuaderet; neque enim de illarum numero erat, quæ canunt in terra, ſed de illarum genere quæ cantant in Paradiſo. *Cæleſtis cicada.* Cum enim terreſtres cicadæ die ferveſcente tantum ferveant & cantent, poſt a verò quia nocte ſuccedente refrigerantur, a cantu deſinunt cicadæ cæleſtes econtra contraria ſunt qualitate præditæ cum enim omni tempore ferveant & ardeant ideo quoque Deum ſummum bonum ſuum nocte dieque inceſſanter laudant, prædicant, & extollunt unde quia divini amoris ignis in Bartholomæo continuò perpetuò, & indeſinenter nocte dieque ardebat, a cantu quoque ſuo ſeu laude Dei nunquam remittebat, ſed nocte dieque orans Dominum ſuum laudabat. Unde ut refert Hiſtoria Lombardica, Berith Idolum de ipſo dicebat: *Centies flexis genibus per diem orat, & centies per noctem.* Verè igitur cæleſtis cicada quædam erat.

10 Meritò Joan. 11 v. 9 quando Chriſtus dixit: *Nonne duodecim horæ ſunt diei?* per duodecim horas Apoſtoli intelliguntur. Sicut enim horæ diei illuminantur à ſole: ita Apoſtoli illuminabantur à Chriſto. *Duodecim horæ ſunt duodecim Apoſtoli*, inquit Hugo Cardin. in cap. 11 Joan. *quos Chriſtus illuminavit*. Ex his horis ſecundum ordinem illas recenſendi quem Matthæus capite 10. aſſignat, prima erit Petrus, ſecunda Andreas, Jacobus tertia, quarta Joannes, Philippus quinta, ſexta verò Bartholomæus, & ſic deinceps loquendo de aliis. Unde cum Bartholomæus ſit hora diei ſexta, præ cæteris in amore Magiſtri ſui, ferventior, ardentiorque fuiſſe innuitur: ſicuti enim eadem ſexta hora ob ſolem viciniorem inter omnes diei horas æſtuoſior eſſe cernitur adeò ut ob hujus horæ nimium calorem, Chriſtus juxta fontem Jacob ab ſedendum ſe compoſuerit idque ut Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Joannem cap. 79. inquit *quia intenſior æſtus diei acceſſerat*: Sic quantum ex iis quæ pro Chriſti honore Bartholomæus dixit, fecit, & ſuſtinuit, colligere licet, ſanctus hic Apoſtolus præ cæteris condiſcipulis ſuis, in amore Domini ſui ardentior & vehementior extitiſſe videtur.

11 Porrò quia Bartholomæus in ſermone latino, *Filius ſuſpendentis aquas* interpretatur, eodem nomine filius ſolis fuiſſe ſignificatur. Sol enim eſt qui aquas maris in altum attrahens, in aëre eaſdem inter nubes ſuſpendit. Unde ut Richardo a S. Laurentio de laudibus B. M. placet, ſol dicitur, *quaſi ſurſum omnia levans*? Cur autem filium ſolis appellatum eſſe exiſtimas? Quia ſoli ſimillimus fuit, cum enim ſolis eſſet filius, ſoli quoque ſimilis eſſe debebat; nam uti Philoſophi ajunt: *Simile generat ſibi ſimile*. Imo magnus hic Apoſtolus non ſolum filius ſolis, verum ipſiſſimus ſol fuit; ab eodem namque Joſeph ibidem ſol orbis terræ nominatur. Soli ſimilis, imò ſol quidam fuit S. Bartholomæus, quia Doctrinæ ſuæ lumine, mundi tenebras illuminavit. Unde ipſi una cum cæteris Apoſtolis Chriſtus Matth. 5 v. 14 dixit: *Vos eſtis lux mundi.* Sol fuit, quia apud ipſum haud ſecus ac juxta ſolem nunquam nox ſupervenit, utpote qui tam diurno quam nocturno tempore in lucis operibus ſemper perſeveravit. Sol fuit, quia ſicut ſol inter ſtellas ſolus eſt; unde dicitur ſol, quaſi ſolus: ita Bartholomæus inter omnes nobiles à Chriſto in collegium Apoſtolicum ſolus electus fuit, cum cæteri Apoſtoli piſcatores, vel ſaltem ſæculariter ignobiles extiterint. Sol fuit, quia ſicut ſol ſemper eſt juvenis, & nunquam antiquatur aut ſeneſcit: Ita Bartholomæus ſemper juvenis permanſit, in gratia Dei ſemper perſeveravit, neque poſt Spiritus Sancti adventum ullam unquam peccati vetuſtatem in ſe agnovit, id quod in exterioribus quoque ejus veſtimentis inſinuatum fuit, quæ nunquam inveteraverunt, nec unquam contaminata ſunt. Unde Dæmon ut Hiſtoria Lombardica refert in cætera, ex quibus agnoſci poterat, ſigna hæc quoque appoſuit: *Veſtes ejus & Sandalia nec veteraſcunt, nec ſordeſcunt.* Sol fuit, quia ſicut ſol quoddam eſt Dei tabernaculum, dicente Pſalmiſta Pſalm 8. v. 6 *In ſole*

*poſuit*

*poſuit tabernaculum ſuum*: ita ipſe quoque verum Dei tabernaculum fuit, quacunque enim gradiebatur Deum ſemper ſecum ferebat. Sol fuit, quia ſicut Sol unam ſemper invariatam faciem habet, lætam nimirum & jucundam, uti quotidie videmus, nunquam vero ut luna mutatur: Ita quoque S. Apoſtolus ſemper idem perſeveravit, vultum ſemper eundem, id eſt, lætum & jucundum præ ſe tulit. Unde de ipſo idem Dæmon, uti Hiſtoria Lombardica refert, dicebat: *ſemper in eodem vultu & animo lætus & hilaris perſeverat.* Denique Sol fuit, quia ſicut Sol ſecundum opinionem Anaxagoræ, Democriti & Metrodori apud Plutarchum de placitis Philoſophorum cap. 20 nihil eſt aliud, quam *Globus ferri candens, aut ſaxum ignitum*: Ita Bartholomæus ob ingentem quo erga Deum accenſus erat, amorem, ferrum quoddam videbatur candens, & ſaxum ignitum. Sol erat. *Filius ſuſpendentis aquas Sol orbis terræ.*

11 Etenim quia Apoſtolus è ſæpedicto Joſepho humili ubi ſupra, *Paradiſus florens* appellatur, id eſt Paradiſus terreſtris, omni florum genere venuſtatus & decoratus, hinc per idem epithetum glorioſiſſima animæ ſuæ admirabilis pulchritudo innuitur. Quaſi dicere clarius voluiſſet: In anima ſua tanta fuit pulchritudine decoratus, ut nulla virtutis Chriſtianæ arbor aut flos fuerit, quin ſingularem ab illis in oculis eorum, qui illum intueri merebantur, hauſerit decorem & ſpectabilitatem. Atque ideo *Paradiſus florens* fuit. Verum enimvero unde natæ ſunt in anima hujus Apoſtoli adeo eximiæ virtutes, ut potuerit inde conſtitui vel fieri Paradiſus? à Divini amoris igne; quia enim merum erat incendium & ignis, ideo nulla ei virtus deeſſe poterat. Porro eo ipſo quo Apoſtolus appellatur Paradiſus, totus veluti in igne poſitus & omnino accenſus nobis proponitur, cum Paradiſus in igne poſitus & plantatus eſſe dicatur. Gen. 2. v. 8 invenietis, quod ubi vulgata de Paradiſo loquens legit: *Plantaverat autem Dominus Paradiſum voluptatis à principio*: Pagninus cum ſeptuaginta vertat: *Plantaverat autem Dominus Paradiſus in Edem.* Edem autem juxta S. Anaſtaſii Sinaitæ lib. 7. Hexameron interpretationem, idem ſignificat, quod *Igne ſcatens*: nobiſque innuit, Deum Paradiſum terreſtrem in loco igne continuo ardente pleno plantaſſe. Cujus quidem ignis virtute Paradiſi flores non tantum progerminant, ſed & jugiter conſervantur. Unde quod Sponſa frigidum Aquilonis ventum à Paradiſo excluſerit, calidum autem & præfervidum Auſtri ventum accerſiverit Cant. 4. v. 16. dicens: *Fuge Aquilo, & veni Auſter, perfla hortum meum*, ideo præcipue fecit ne refrigeſceret ignis, aut flores marceſcerent, ut S. Hieron. in c. 40. Ezechielis hiſce verbis explicat: *Fugatur enim de horto Domini aquilo ne reſurgeretur dilectionis calor, floreſque marceſcant.* Anima igitur S. Bartholomæi Apoſtoli Paradiſus quidam erat & delitioſum omnium ſanctarum virtutum floribus decoratum viridarium, quia in divini amoris incendio erat plantatus. Nulla enim virtus abeſſe poteſt in anima divino amore imbuta. Unde S. Bernardinus tom. 2. ſer. 3 art. 2. c. 2. inquit: *Ubi charitas eſt, ibi eſt patientia & benignitas, & ſic de aliis virtutibus omnibus.*

13. Tametſi equidem in eximiam S. Barthol. laudem cedat, quod Paradiſus appelletur; excellentius tamen laudabitur, ſi factor Paradiſi eſſe dicatur (ſicuti vir doctus majus enconium accipit, ſi Theologorum dicatur Magiſter, quam ſi Theologus intituletur.) Dico igitur S. Apoſtolum non tantum Paradiſum, ſed & Paradiſi factorem merito dicendum eſſe. Id quod clare teſtatur Theodorus Abbas in Hiſtoria Lombardica relatus, qui de S. Apoſtolo ita loquitur: *Vide eum lingua aratro rationabilia rura ſulcantem, fidei verbum in profundo corde reſcondentem, Paradiſos Domini plantantem.* Verum inquies, qua ratione S. Bartholomæus tot condere potuerit Paradiſos? Præſtitit hoc virtute ignis illius qui in ipſo ardebat. Tantus enim erat in ejus pectore divini amoris ignis, ut intra animæ ſuæ margines continere ſe minime valens, inde egreſſus adusſerit & accenderit, etiam illos, quibuſcum familiariter agebat & converſabatur; ad eum fere modum quo Dionyſius Areopagita lib. de cæleſti Hier. c. 15 de igne dicit: *Ea quibus inſederit, in ſuum traducit officium, omnibuſque quomodolibet ſibi appropinquantibus ſui conſortium tradit.* Eo ipſo autem quo hi tales eodem quo Bartholomæus igne ardebant, neceſſario omnibus quoque aliarum virtutum floribus ornati eſſe debebant, hi enim neceſſario in anima divino amore accenſa, progerminant, eandemque animam Paradiſum conſtituunt. Magnus igitur & admirabilis profecto fuit Apoſtolus, qui non ſolum ob divini amoris incendium Paradiſus fuit, verum etiam tot Paradiſorum plantator, & factor. *Paradiſos Domini plantantem*

14. Advertendum ulterius S. Bartholomæum

ab eodem Theodoro Abbate ſolem vocari, qui univerſum illuminat mundum; faciem item Dei, & linguam ignitam. *Gaudeas, inquit, Bartholomae, Sol orbis terræ cuncta illuminans, es Dei, lingua ignita.* Porro quia ſuperius rationes adduximus, ob quas S. Apoſtolus Sol orbis terræ eſſe dicitur: nunc ſupereſt, ut videamus, cur facies Dei & lingua ignita vocitetur. Facies igitur Dei appellatur, quia Deum in hoc mundo adeo proprie referebat, ut eumdem cum Deo vultum habere, & nequaquam homo, ſed Deus quidam eſſe videretur. Hanc gratiam accipere meruit, quia Apoſtolica dignitate decoratus fuit. Apoſtoli enim Deum in hoc mundo repræſentantes totidem Dii erant, Davide illis Pſal. 81. v. 7. dicente. *Ego dixi Dii eſtis, & Filii excelſi omnes*, unde etiam Paulus de Palatio in cap. 10. Matth. de illis ſcribit: *Angeli ſunt Apoſtoli, Medici, Doctores, Paſtores, Reges, & quid non ſunt? ſunt Chriſti, Domus Dei.* Adhæc neceſſum erat ut Bartholomæus faciem Dei proprie referret, quandoquidem per Sancti Evangelii prædicationem, peccatum quod adeo eſt apud Deum vile & abjectum, à rationali anima re adeo in oculis Divinæ Majeſtatis pretioſa ſeparavit, juxta id quod Deus Hieremiæ Prophetæ cap. 5. v. 19. dixit: *Si ſeparaveris pretioſum à vili, quaſi os meum eris.* Denique Bartholomæus veluti ſi Deus quidam fuiſſet Dei faciem repræſentabat, quia ardentiſſimus erat Dei amator. Sicut enim Deus ex nimio erga hominem amore, factus eſt homo: ita quoque homo Deum pro ut obligatur, amando fit Deus nemo enim neſcit amorem transformari amantem in rem amatam. *Amor*, inquit Paulus de Palatio ubi ſupra cap. 22. *convertit amantem in id quod amat. Ut igitur ita Deus dilexit hominem, ut efficeretur homo: ita æquum eſt hic nos Deum diligere, ut Dii quidam efficiamur.*

15. Denique à Theodoro ſæpedicto Apoſtolus lingua appellatur ignita. Primo quia Evangelii legem prædicando inter Idololatriæ tenebras haud ſecus ac lucernæ piſcis lingua in tenebris noctis reſplendebat. Aut quia ſicut ignis ſecundum divinum Dionyſium Areopagitam ubi ſupra: *ſuperiora ſemper petit*, ita nullum ferè momentum erat, quo lingua ejus non efferretur in cœlum divinam laudando & glorificando majeſtatem, nec non orando centies de die totidemque vicibus de nocte. Vel denique quia orationibus ſuis dæmones accendendo & urendo torquebat. Unde ut hiſtoria Lombardica refert dæmon quidam ei dixit. *Apoſtole Dei Bartholomæe, incendunt me orationes tuæ.* Adeo orationes ejus calidæ & ferventes erant, linguaque illius à quo dimanabant adeo præ nimio divini amoris incendio accenſa erat & inflammata, ut ipſos quoque ureret & uſtularet dæmones. Cogitate igitur quam ingens in fornace pectoris ſui divini amoris ignis eſſe debuerit quando dæmon inter medias inferni flammas adeo pœnoſas & violentas, ut humanitus explicari nequeat conſtitutus, non tantum de hujus ignis tormento dolorem ſenſerit, quam de ignis S. Bartholomæi illato ſupplicio. *Accendunt me orationes tuæ.*

16. Tametſi hucuſque multa adducta naturæque ponderatione diſcuſſa ſint indicia, & ſigna quæ Idolum Berith, idololatris & adoratoribus ſuis ad Apoſtolum infallibiliter præ cæteris dignoſcendum aſſignavit; quia tamen poſt hactenus adducta, ipſum quoque carne fuiſſe candida præditum, & purpura veſtitum ſubjungit: *Caro ejus candida & purpura veſtitur*, ut S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus apud Chaſſaneum in Catalog. par. 3. Con 29. refert, ideo, quidnam ſub hoc candore carnis & purpura veſtis myſterii lateat, videre quoque oportet. Quod igitur carnis candorem imprimis attinet advertendum eſt, carnem ejus notanter non albam, ſed candidam fuiſſe dici, non enim dicit: *Caro ejus alba*, ſed *candida*. Porro tametſi multis ponderationem hanc nihil prorſus referre videri poſſit, cum *candidum* & *album* ſynonima ſint, & unam eandemque rem ſignificent. Veruntamen licet utrumque vocabulum albedinem ſignificet, magna tamen inter utramque ſignificationem eſt differentia. Cum enim *album*, ſimpliciter ſolam albedinem ſignificet: *candidum* albedinem importat talem, quæ certa quadam luce prædita reſplendet. Unde S. Iſidorus lib. diff. lit. A. inquit: *Candidum eſt quadam nitente luce perfuſum.* Cum igitur caro S. Apoſtoli candida fuiſſe dicatur utique ſimul eandem nitente quadam luce reſplenduiſſe inſinuatur. Cum autem ſplendor naturale quoddam ſit ignis indicium, teſte Ariſtotele de coloribus cap. 1. dicente: *Ignis color eſt lumen*, utique per candorem interior quoque ignis quo anima eſt exarſit, demonſtratus fuit. Sicut enim nos, cum domum aliquam extrinſecè ſplendere videmus, ex hoc ignem intus ardentem haud obſcure conjicimus, ita quoque quotquot S. Bartholomæi carnem meruerunt aſpicere ex illius candore ignem quo anima illius flagrabat debebant arguere, ideo namque

for

foris ſplendebat, quia ardebat interius, unde videbatur eſſe Mons quidam Veſuvius qui foris lucet, quia intus plenus eſt igne: aut via quędam lactea, quæ comminutis ſit referta ignibus, foris candida demonſtratur. Aut veluti alter quidam Chriſtus Magiſter & Dominus ſuus, de quo ſponſa Cant. 5. verſ. 11. dicebat: *Dilectus meus candidus & rubicundus.* Quaſi diceret: dilectus meus extrinſecus candidus eſt, quia reſplendet, interius vero rubicundus, quia cum amoris igne ſit plenus, continuo ardet. *Candidus quia lucem habet inacceſſibilem, rubicundus, quia ignis conſumens eſt*, inquit Hugo Cardinalis in cap. 5. cant.

17 Secundum ex prædictis indicium purpura erat, qua veſtiebatur: *Purpura veſtitur.* Quidnam obſecro hæc Apoſtoli purpura ſignificat? hæc illum Regem eſſe demonſtrabat, purpura enim veſtis eſt qua Reges veſtiri ſolent. Unde Caſſiodorus lib. 1. variarum Epiſt. 11. dicit: *Color nimio livore vernans, obſcuritas rubens, nigredo ſanguinea, regnantem diſcernit, dominum conſpicuum facit, & præſtat humano generi, ne de aſpectu principis poſſit errari.* Verum inquies qua ratione S. Bartholomæus Rex eſſe poterat qui non ſolum nullum quod gubernaret, regnum habebat, verum ne quidem id quod vaſalli regii habere ſolent, poſſidebat, utpote qui ut expeditè Chriſtum ſequi poſſet, cuncta quæ in terris habebat, aut habere poterat, ſponte dimiſerat. Veruntamen Rex erat, & quidem Rex adeo magnus & auguſtus, ut ejus Majeſtatem nullus aliorum hujus mundi Regum adæquare poſſet, licet ſuper omnia mundi regna dominium obtineret. Verum quidem eſt ipſum pro Chriſto reliquiſſe quicquid in terra habebat, aut habere poterat, veruntamen quia ardentiſſime Deum amabat, ideo omnium ſibi regnorum dominium comparavit. Quia enim uti communi Proverbio dicitur: *Amicorum omnia ſunt communia*, hinc cum amicus Dei fuerit, conſequenter idem met quod Deus in omnibus cœli, terræ imo ipſiuſmet etiam inferni Regnis habebat dominium neque hac de re ulla eſt ratione dubitandum, quia ut S. Bernardinus part. 2 ſerm. 24. in princ. dicit: *Omnia quæ Dei ſunt dici poſſunt animæ exiſtentis in gratia charitatis.* Etenim nihil eſt in Apoſtolo, quod ipſum ardentiſſimum fuiſſe Dei amatorem non demonſtret & celebret.

18 Porro purpura S. Bartholomæum veſtiri decentiſſimum erat, utpote qui igne ſupercœleſti adeo incenſus & inflammatus erat, ut merum videretur eſſe amoris incendium. *Exſurrexit quaſi ignis.* Dicunt Rabbini uti Abulenſis in cap. 3. Levitici q. 6. refert, quod Hebræi in deſerto exiſtentes quando caſtra moturi erant, ignem prius purgare eumdemque deinde certis quibuſdam pannis purpureis involvendo intus in altari conſervare, ſicque ſe itineri committere ſoliti fuerint: *Dicunt aliqui* ſunt ipſiſſima præfati Doctoris verba, *quod quando movenda erant caſtra per deſertum excutiebatur ignis & tota terra de altari, manente igne ſolitario, qui involvebatur pannis purpureis intra altare.* Cum igitur ignis purpura contegi ſoleret, ipſeque ſanctus Bartholomæus ignis quidam erat, merito purpura contegi & amiciri debebat. *Purpura veſtitur.*

19. Purpura autem hæc, qua ſanctus Apoſtolus tanto cum honore indutus erat, albo quodam valde ornato gemmiſque purpureis diſtincto ſuperinduebatur pallio; ſic enim Hiſtoriæ Lombardicæ author ſcribit; *Induitur pallio albo, quod per ſingulos angulos gemmas habet purpureas.* Quibus in verbis obſervandum eſt quod pallium iſtud gemmis quidem purpureis diſtinctum fuiſſe dicatur, quales autem gemmæ iſtæ fuerint nequaquam exprimitur. Cum igitur omnes hæ gemmæ, Amethyſti nimirum, Sapphyri, Hyacinthi, Calcedonii ſimiles aliæ purpureæ fuerint, utriſnam ex his gemmis Bartholomæi pallium exornatum & diſtinctum fuerat? Equidem quantum imaginari mihi poſſum, exiſtimo ex meris fuiſſe Amethyſtis diſtinctum, hi enim inter alias gemmas quod pretioſiores ſint principatum obtinent. Decebat enim ut Princeps aliquis adeo magnus & excellens pretioſiſſimis gemmis eſſet exornatus, tum etiam quia cum anima ejus quaſi viva quædam fornax divino igne continuo ardebat haud ſecus ac fornax quædam ſcintillas & flammas evaporabat, quod Amethyſtis proprium eſt, qui ut vult S. Iſidorus lib. 6. Etymol. cap. 9. *Leniter quaſdam flammas fundunt.*

20 Joſephus humilis ubi ſupra S. Barthol. inſuper Cœlum pulcherrimũ divinis ſplendoribus decoratum appellat: *Cœlum perpulchrum, divinis ſplendoribus illuſtre.* Porro rationes ob quas Apoſtolus cœlũ dicatur, ſunt hæ ſequentes Primo nimirum, quia fuit unum de iſtorum cœlorũ numero qui gloriam Dei continuo prædicant, de quibus

 David

David Pſal.18.v.1. inquit: *Cœli enarrant gloriam Dei.* Secundo, quia ſicut cœli continua Angelorum illos moventium ſocietate gaudent: ita quoque S Bartholomæus cum Angelis quotidie gradiebatur, id quod ipſummet Idolum Berith teſte Hiſtoria Lombardica, affirmabat dicens: *Angeli cum eo ambulant*, atque ideo in continuo Angelorum conſtitutus conſortio cælum quoddam erat. Tertio. Quia Deum ſemper ſecum habebat, ipſomet Chriſto Matth.28.v.20.teſte qui ipſi & omnibus aliis Apoſtolis dixit: *Ero vobiſcum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſaculi.* Cum autem Deus extra cælum commorari nequeat, ubicunque eſſe dicitur ibi velut in cælo habitat. Quarto quia ſicut *Cælum*, teſte S Iſidoro lib.3. Ethym c.30. *ita dicitur, eo quod tanquam vas calatum impreſſas habet figuras ſtellarum*: Ita quoque Apoſtolus velut vas quoddam erat affabre elaboratum, & ex omnibus Chriſtianarum virtutum figuris exſculptum. Aut vero. Quinto, quia tametſi in terra paſſibilis eſſet & mortalis, haud ſecus tamen ac ſi inter Paradiſi beatos, non vero inter hujus terræ homines diverſatus fuiſſet, veluti cælum quoddam, fælix ſemper fuit & beatus. Quid enim cælo beatius eſſe poteſt, utpote quod ſi beatitudinis capax foret, beatitudine plenum eſſet Quodſi per hanc eandem occaſionem, quidnam S. Apoſtolum in vita hac mortali degentem beatum efficere potuerit, noſſe cupiris. Reſpondebo amorem quo ardebat illum ſic beatificaſſe. Quid enim Deum in hac vita amare aliud eſt, quam vitam beatam agere? Quantumvis æterna beatitudo tam in fruitione quam in viſione Dei conſiſtat, id eſt, tam in amado, quam in vivendo Deum ſintque hæ duæ actiones adeo inter ſe ſtrictè & indiſſolubiliter unitæ, ut ſeparari ab invicem nequaquam poſſint; attamen ſi per impoſſibile ſeparari ab invicem aliqua ratione poſſent, adeo ut homo daretur qui Deum videret & non amaret, & alius qui amaret & non videret Deum, licet neuter ex illis futurus eſſet perfectè beatus, beatior tamen foret is qui amaret & non videret, quam is qui videret & non amaret. Adeo namque dulce, jucundum, amabile, & delitioſum eſt Deum amare, ut in ſimili caſu præeligeret Deum amare, quam tantum videre: *Si mihi daretur optio,* inquit B. Thomas à Villa Nova Conc. de S. Maria Magdal. *potius eligerem amare non videndo, quam videre non amando Deum.* Bartholomæus igitur Dominum ſuum in hac vita tam ardenter amando, licet illum non ſic clare ut modo viderit, cenſendus erat beatus, & veluti cælum quoddam beatitudinis delitiis & voluptatibus refertiſſimum. *Cælum perpulchrum.*

21. De glorioſiſſimo Bartholomæo Apoſtolo refertur, quod a barbaris Chriſtiani nominis noſtræque fidei inimicis vivus fuerit excoriatus, prouti ab Eccleſia communiter depingitur. Verum quidnam obſecro homini alicui vivo tantam inferre vim & violentiam poteſt, ut vivus excorietur, propriaque ſua pelle exuatur aut quidnam illum ad tam crudele tormentum a nullo aliorum Martyrum toleratum ſubeundum animare prævaluit? Nam ut Bartholomæus Piſanus lib.1. Conform. fruc. 8 par. 1. ſcribit: *Quod fuerit vivus excoriatus nulli ſanctorum eſt factum.* Decoriare illum vivum ingens vis magni amoris Dei potuit Solus amor & amor quidem adeo magnus tale facinus aggredi & conſummare potuit, neque enim homo aliquis, quacunque alia vi adhibita, excoriari ſe ſuſtinere poſſet. Sicut enim ſola vis magni caloris, hominem ſpoliare ſe facit propriis veſtibus: ita ſola vis æſtus magni erga Deum amoris ſanctum Apoſtolum exuere potuit veſtibus, propriæ carnis. Unde Bartholomæus hac ratione decoriatus, circumſtantibus tormentorum ſuorum ſpectatoribus, ut ait Jacobus de Voragine ſerm.2. de Paſſione, dicere poterat: *Tanto igne charitatis ardeo, quod veſtes aliquas ferre non valeo.* Elegantem Æſopus Apologum fingens, refert, quod dum Aquilo gloriabundus ſeſe de maxima quam omnibus rebus obviis infert violentia vane jactaret, adeout ne vi ſua ne ipſimet quidem ſoli cederet. Sol vanam hanc Aquilonis jactantiam ferre nequaquã ſuſtinens, ita cum ipſo pactus eſt, ut videlicet ſuas utrimque vires in viatore aliquo fortuito caſu obvio experirentur, illeque communi conſenſu fortior eſſe, victoriæque palmam reportaſſe cenſeretur, qui primus ex ipſis eundem ut pallium dimitteret ſeu exueret, adigeſſet. Dictum factum. Ut enim ſuam ſoli fortitudinem Aquilo probaret, primus pactum facinus tentare cæpit, poſtquam vero aliquamdiu inſolitis venti turbinibus cælum turbaſſet, infrigidaſſet aërem, ſummaque cum violentia & impetu in viatorem inſufflans adverteret hunc cum non minori ut pallium ſuum convolvere, corporique arctius adſtringere, quam ipſe eidem ut pallium dimitteret, inferre poterat, ſoli mox certaminis locum ultro ceſſit, qui mox cælum priſtinæ ſuæ ſerenitati reſtituendo, ſolitaque cum dulcedine viato-

rem

rem radiis ſuis feriendo, ipſumque ſuaviter calefaciendo tanto confeſtim æſtu accendit, ut illum ad pallium ſuum ultro citroque dimittendum, & quærendam denſæ cujuſdam arboris umbram, mox impulerit. Quis hic non intelligat Philoſophum hunc per adductum Apologum ſignificare voluiſſe, nullam eſſe in terris potentiam, vim aut violentiam, quæ cum amoris omnipotentia contendere poſſit? Quod ſi S. Bartholomæo promiſſæ fuiſſent omnes mundi hujus divitiæ, omnes Principum favores, univerſa denique regna terræ hujus, & quicquid terra deſiderabile habet, quæ alius adeò in aliorum cordibus prævalent, nunquam hæc omnia ipſum ad dimittendam pellem, qua ipſum altas ſanctus Dei amor tanta cum facilitate exuit, cogere aut inducere potuiſſent.

21. Et quidem in hoc facinore Apoſtolus ob divini amoris vehementiam ſeſe pluſquam hominem eſſe probavit. Porrò ut hujus ſimus capaces veritatis, locum quendam Job.c.2.v.4. attendamus ubi ſcribitur quod cum Dæmon Jobum magnum illud patientiæ ſpeculum multis vexaſſet ærumnis, eundemque omnibus, quæ tum intra tum extra domum habuerat, bonis, ad ipſoſmet qui ex ejus lumbis geniti fuerant filios uſq; deſtituiſſet, ut hac ratione eum ad aliquam impelleret Dei omnipotentis offenſam; tandem ſe omnem operam perdere conſpiciens (quippe poſt tot tantaſque ærumnas Job ſanctior evaſerat, quam fuerat ante) ante Dei conſpectum ſe ſiſtens, ut magnam viri hujus obtegeret ſanctitatem, ſuamque impotentiam excuſaret, hanc ſuæ impotentiæ cauſam eſſe prætexuit, quod divina Majeſtas, non æqualem in propriam ſervi ſui vitam, quam in bona ejus ei poteſtatem dediſſet, unde ajebat mirum non eſſe quod bona illi temporalia auferendo nihil omninò effeciſſet, cum homo pro vita ſua propria conſervanda, temporalia bona nihili prorſus faciat Job 2.v.4. *Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo dabit pro anima ſua.* Quaſi clarius dicere voluiſſet: Proprium eſt homini, propriæ vitæ ſuæ pellem tanti facere, ut pro illius defenſione & conſervatione, pellem bonorum ſuorum temporalium quæ poſſidet libentiſſimè prodigat. Enimverò, cum naturalis ſit hominis proprietas vitæ ſuæ pellem tanti æſtimare, quid de tali homine dicturi eſſetis, qui pellem aut vitam iſtam nequicquam æſtimaret, an fortè talem hominem appellandum eſſe cenſeretis? Neutiquam id credo. Quomodo enim homo dici poterit, qui naturali non eſt præditus hominis proprietate. Sanctus igitur Bartholomæus Apoſtolus homo nequaquam eſt appellandus, quippe qui non ſolum pro Chriſti amore pellem reliquit temporalium bonorum quæ in mundo poſſidebat, verum etiam propriæ carnis propriæq; vitæ pellem. Verum inquies cum ſanctus hic Apoſtolus homo cenſeri nequeat, quidnam illum tandem fuiſſe dicemus? Joſephus humilis loco ſupra citato dicit illum paſſim ab omnibus habitum fuiſſe, veluti quendam in corpore humano Angelum: *Angelus in corpore humano verſans.* Ardens igitur qui in pectore ejus latebat amor, cujuſque vi adactus omnia quæ poſſidebat temporalia bona, nec non propriæ carnis ſuæ pellem, perſonam inquam & vitam ſuam libentiſſimè prodegit adeò fuit ſtupendus, ut non homo ſed quidam viſus fuerit Angelus, quam Propheta regius, Pſal. 103. *Ignem urentem appellat.*

23 Verum quonam ardens ille divinus amor collimavit, quando Apoſtolum pellem propria carnis exuere fecit? Ratum quoddam in oculis hominum & Angelorum exhibere voluit pulchritudinis ſpectaculum. Legite obſecro capitis 5. Cant. v. 3. Ibi namque ſponſam reperietis pediſſequis ſuis referentem, quod cum die quadam, dilectum animæ ſuæ infeliciſſimè perdidiſſet, ipſumque omni poſſibili ſtudio quovis in loco diligentiſſimè perveſtigaret, per vicos & plateas curſitans atque diſcurrens, a civitatis cuſtodibus appræhenſa & proprio ſuo pallio exuta fuerit: *Invenerunt me cuſtodes qui circumeunt civitatem, & tulerunt pallium meum.* Circa quem locum S. Ambroſius libro de Iſaac & Anima c. 7. quærit quamobrem hi cuſtodes ſponſam Domini ſui, propriamque ipſorum Reginam ſuis cæperint veſtibus exuere? ut tanto expeditius ejus pulchritudine, & venuſtiſſima corporis ſpecie, quam ſub pallio ſuo abſconditam ſervabat, frui, eamque videndo tanto ampliorem capere delectationem poſſent. *Non otioſe pallium ſublatum intelliges,* inquit S. Doctor, *ut aperta meritis & nuda.* Fulgerat cum igitur ardens ille Dei amor qui ſummum in S. Bartholomæi pectore imperium obtinebat, ipſum uti ſupra diximus omni poſſibili pulchritudine & elegantia exornarit, ideo pellis ſuæ pallium ipſi detraxerunt, ipſumque vivum excoriarunt, ut hoc modo planè denudatus ad majorem Dei & ſuam gloriam tam ab Angelis Dei in cælo, quam in terra ab hominibus tanto poſſet expeditiùs & perfectiùs videri, atque jam deinceps

ceps non veluti homo, ſed Angelus quidam incarnatus debita veneratione affici *Angelus in humano corpore verſans.*

24. Etenim decebat utique ut Chriſtus S. Bartholomæum per amoris ſui exceſſum excoriatum & propriæ pellis ſuæ veſte exutum cernens, illum invicem veſtis illius veſte contegeret alia, ipſumque cælum nudum ingredi nequaquam permitteret. Neque enim dubitandum, ſed firma fide credendum ſecureque tenendum, illum verè alia fuiſſe veſte contectum. Quod ſi enim Adamum & Evam, qui ex propriæ voluntatis libidine, & amore inordinato innocentiæ, veſte exuti fuerant, aliis denuò indumentis amicivit, multò magis Bartholomæum ex puro erga ipſum amore excoriatum denuò veſtire debuit. Sed quali putas veſte ipſum fuiſſe contectum? Utiq; ipſum ſemetipſo veſtis loco induit. Quod ſi enim ipſe veſtis quædam eſt, qua ex mente S. Pauli Apoſtoli ad Galath. 3. v. 27. boni amiciuntur Chriſtiani: *Quicunque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis,* multò convenientius erat ut eadem veſte ſanctum veſtiret Apoſtolum, in ſanctitate adeò magnum & excellentem. Credo igitur quod quando Apoſtolus Chriſto hoc modo indutus relicto mundo ingreſſus eſt cælum, coram Angelorum aliorumque cælitûm oculis alter quidam viſus fuerit eſſe Chriſtus. Imò tamen ſi hac etiam non fuiſſet veſte indutus, quod tamen eſt impoſsibile, eo ipſo tamen quo ardentiſsimus erat, Chriſti amator, Chriſti anima per hunc amorem anima ſua erat, eratque velut unus & idem cum Chriſto (dicitur enim in vulgari proverbio: *Amicus alter ego*) & ideo velut alter quidam Chriſtus cælum ingredi debebat. Quænam igitur ô bone Deus gaudia, qui jubili, quæ tripudia S. Bartholomæo cælos ingrediente facta fuerunt, quando ipſomet Chriſto indutus velut alter quidam Chriſtus cæleſtis gloriæ Rex & Dominus illuc glorioſè eſt ingreſſus.

25. Quia Apoſtolus (uti ſerm. de S. Bartholomæo ex nonnullorum opinione ſanctus refert Vincentius) poſtquam adeò horrendum in modum fuit excoriatus, pelle propria in humeros injecta pulpitum ad prædicandum conſcendit: *Dicunt aliqui,* inquit S. Vincentius, *quod cum pelle in collo prædicabat:* operæ pretium erit, quidnam tunc prædicarit, diſquirere. Quia tamen idipſum eo quod nihil hac de re reperitur ſcriptum, ſcire nequaquam poſſumus, facilè ſaltem imaginari nobis poterimus, quod cum carnem ſpiritui adeò infeſtam & rebellem, uſque ad ejus excoriationem vicerit, mortificarit, deque eadem glorioſam adeò victoriam retulerit, de hoc facinore ipſe non minus gloriatus fuerit, quam de ſua ſe victoria jactavit. Hercules, quando leone devicto ejuſdem decoriati exuvias in collo ſuo detulit. Aut verò toti populo ſe veluti ſerpentem quendam, qui antiqua pellis veſte depoſita primigeniam denuo recuperavit juventutem, ſpectandum cum gaudio exhibuit. Vel fortè iis quos amabat, docebat, regebat, ſe non de eorum paſtorum numero eſſe inſinuavit, qui ſemetipſos amantes, oves ſuas excoriant, ſed unum eſſe ex illis, qui ob vehementem quem erga oves habent affectum ſemetipſos decoriari permittunt. Hocque fine ſe illis excoriatum pelle ad collum ſuſpenſum videndũ propoſuit. Aut verò dicere etiam poterat: Videte quam anguſta, ſtricta & difficilis ſit Paradiſi porta, quam ego ingredi volens, opus habui, ut non ſolum pelle bonorum mundi hujus, verum etiam propriæ carnis pelle exuerer & decoriarer. Fateor equidem Apoſtolum eo tempore de omnibus hiſce rebus tractare potuiſſe, credibilius tamen eſſe exiſtimo ipſum uſum eſſe illo S. Pauli Apoſtoli diſcurſu, quem ad Rom. c. 8. v. 35. tranſcribit, dixiſſeque: *Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames, an nuditas?* Adeò vehementer divino uror amore, adeò Chriſti amore exardeſco, cæleſti, hoc igne adeò me inflammatum & accenſum eſſe video, ut a ſummo bono quod ardentiſſimè diligo non ſolum nullæ ærumnæ, anguſtiæ, fames, aliaque, quæ in vita patienter ſemper ſuſtinui, mala, ſed nec nuditas, non veſtis duntaxat, ſed ipſiuſmet quoque propriæ carnis removere me aut ſeparare unquam potuerint.

26 Neque tamen tormentum iſtud, quantumvis immanè, ardentiſsimi Apoſtoli inſatiabili & generoſo cordi ſuffecit, verum inſuper poſtquam jam fuiſſet excoriatus, mori quoque voluit crucifixus, ut vel ſic brachiis moreretur expanſis vel apertis, quo modo in alio tormento mori neutiquam poterat. Verum inquies, quo fine Apoſtolus moriturus brachiis cupiebat eſſe extenſis & apertis? ſummè & ardentiſsimè dilectum Dominum ſuum quem ſubito poſt mortem ſe viſurum ſperabat, ſtringere deſiderabat & amplecti. Unde per hoc magnum & evidens nobis dedit immenſi erga Dominum ſuum affectus indicium. Sic enim nos quoque ut magnum declaremus affectum, quod ſuum præſtolatur ami-

cum,

cum, dicere ſolemus, expanſis illum brachiis exſpectat, id eſt, ſummo cum deſiderio, & cum amore inexplicabili. Unde Bartholomæus quoq; in ſignum ardentiſſimi quo erga Christum ferebatur, amoris, brachiis illum præſtolari apertis, & crucifixus mori voluit.

17 Advertendum eſt autem Apoſtolum non eodem quo crucifixus eſt Dominus ejus, id eſt, capite ſurſum, pedibus verò deorſum erectis, ſed è contra capite deorſum pedibus verò ſurſum protenſis cruci fuiſſe affixum, uti Dorotheus & Hippolytus Martyr volunt. Certè quiſquis Bartholomæum hoc modo cruci vidiſſet affixum, illum, uti equidem firmiter credo, nequaquam hominem eſſe exiſtimaſſet. Quomodo enim illum cenſere hominem potuiſſet, utpote qui capite ſurſum erecto, pedibus verò deorſum protenſis procedit & graditur, ideoque Arbor inverſa appellatur, cum is è diametro in cruce ſituatus eſſe videretur Et revera homo cenſeri minimè debebat? neque enim tanti erga Deum affectus capax eſt homo, ut lethaliter fuſtigatus & plumbatis cæſus, vivus quoque immaniter excoriatus, inſuper adhuc velit eſſe crucifixus.

18 Potius igitur Apoſtolus hunc in modum crucifixus, Seraphim, quam homo cenſendus erit Cum enim Bartholomæus modo aliquo crucifixioni Christi è diametro oppoſito crucifixus fuerit, caputque ſuum ibi poſuerit ubi ſuos Chriſtus pedes collocatos habebat, verum ſe Seraphim eſſe probavit. Seraphim enim verè ſunt beati illi ſpiritus, qui eodem in loco in quo Chriſtus caput ſuum habet, ſuos habent erectos pedes. Verè itaque homo cenſeri non potuit, cum homo tanti ignis capax eſſe non poſſit, quo ille videbatur eſſe accenſus, ſed Seraphim, quod incendium interpretatur.

29. Nec lingua explicare, nec imaginari ſibi intellectus ſufficit divini amoris, qui in fornace pectoris S. Bartholomæi ardebat, violentiam & vehementiam. Quis enim vim & ardorem ignis illius ſufficienter exprimere poſſet, qui poſtquam domum aliquam deflagraſſet ipſa quoque ſaxa & lapides incendii incapaces accenſos relinqueret & ignitos? Talis autem fuit animæ S. Bartholomæi vehementiſſimus ignis, qui cum ſacro ejus corpore multis annis exarſiſſet, tandem poſtquam anima ejus in cælos tranſlata eſſet, ſacra quoque ejus oſſa adeò ignita poſt ſe reliquit, ut in hodiernum uſque diem etiamnum candeant & ardeant. Cum enim S. Apoſtolus in cælos aſſumptus ſacras corporis ſui exuvias & reliquias debitâ veneratione & ſepulchri honore deſtituere nollet, certo cuidam monacho apparens eidem ut illa collecta ſepeliret præcepit. Ut autem oſſa Apoſtoli ab aliis poſſet dignoſcere, juſſit ut ea quæ velut ignem candere conſpiceret, protinus levaret. Verba enim Apoſtoli, ut Author Hiſtoriæ Lombardicæ refert ſunt ſequentia: *Nocte ad ea colligenda ibis, & ea quæ ut ignem ſplendentia videris, protinus levabis.* Sanctum igitur Apoſtolum devotiſſimè invocemus ut nobis partem ignis illius impetret, per quem ipſe Deo vehementer adeò complacuit, ut nos quoque Deo Opt Max. placentes, præmii illius quod iis qui ſibi placeant, impertiri ſolet poſſimus eſſe participes.

(***)

PANE-

# PANEGYRICVS XXXVIII.

## DE SANCTO AVGVSTINO glorioſiſſimo Eccleſiæ Doctore.

## THEMA.

Quaſi ſol refulgens, ſic ille effulſit in templo Dei Eccleſiaſt. 50. verſ. 24.

## ARGVMENTVM.

*Sanctus Auguſtinus inter Sanctos Eccleſiæ Doctores in cælo Chriſtianæ Religionis relucentes, fuit veluti ſol quidam inter ſtellas.*

1. Quiſquis admirabilem ſanctæ Eccleſiæ digniſſimæ omnipotentis Dei ſponſæ pulchritudinem conſiderat, illam omnis defectus depræhendet expertem, utpote quæ rara, & eximia eſt atque ſtupenda, quam proinde etiam is quem omnes obſtupeſcunt cæli terræq; creaturæ, laudat & admiratur. De Eccleſia enim Deus Cant. 1 v. 13. loquitur dicens: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Et Cant. 4. v. 1. *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es!* Merito autem adeò pulchra eſſe debebat, quam Deus excellentiſſimis ditiſſimiſque cælorum ornamentis exornaverat, prouti in præclara illa S. Joannis Apoſtoli viſione, Apocal. 12. v. 1. inquit. Eccleſia illi velut inauditum quoddam pulchritudinis miraculum exhibita fuerat, clarè liquet. *Signum magnum inquit, apparuit in cælo, mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus ejus, & in capite ejus corona ſtellarum.* Quis adeò eſt ignarus, qui neſciat quod per hæc lumina intelligendi ſint ſancti Eccleſiæ Doctores, qui ſanctam Dei Eccleſiam Doctrinæ ſuæ lumine adeò exornarunt. His enim Chriſtus ipſemet Matth. 5. v. 14. dixit: *Vos eſtis lux mundi,* id eſt, vos eſtis lumen Eccleſiæ, quæ in hoc mundo propter vos adeò clara reſplendet. Verum enimvero magna eſt inter ſanctos hoſce Doctores in ratione lucendi differentia. Cum enim omnes alii auguſtiſſimam hanc Reginam Eccleſiam veluti totidem ſtellæ decorent & illuſtrent teſte

Daniele Propheta cap. 12. v. 3. dum inquit : *Qui erudiunt multos fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Soles Auguſtinus, quia præ cæteris majori Eccleſiam lumine illuſtrat, Sol quidam lucidiſſimus fuit. Poſt Apoſtolos enim Eccleſia neminem habuit, qui illam tanto lumine ut Auguſtinus decoraret. Unde Beatus Thomas de Villa Nova concil. 1. de ſancto Auguſtino de illo dicit : *Hoc ſibi juſtiſſime vendicat Auguſtinus, hæc pars Auguſtini in hac ſapientiæ luce. Sicut Sol cætera aſtra, ita cæteros omnes, poſt Apoſtolos ſuperat Auguſtinus. Et merito ad alios in Eccleſia in hoc quaſi Sol ad ſydera comparatur.* De illo dicere poſſumus locutum fuiſſe Eccleſiaſticum, quando dixit : *Quaſi Sol refulgens ſic ille effulſit in templo Dei.* Vere Sol quidam Auguſtinus fuit, uti ex iis quæ in hac Panegyri ad majorem ejus & tanto illum ſplendore decorantis Dei gloriam dicturi ſumus, clarius apparebit.

2. Singulariter notanda eſt illa Platonis in Cratilo ſententia, qua de nominum impoſitione tractans, dicit : *cum ratione impoſita ſunt rebus nomina, tum apud Græcos, tum apud Barbaros.* Quaſi diceret. Nemo ſibi propria nomina ſine ſale & judicio ſive à Græcis, ſive à Barbaris impoſita eſſe perſuadeat, quaſi vero nominaturum rerum proprietatibus minimè correſpondeat ; quinimo tanto cum judicio & ſale ſemper impoſita eſſe dignoſcuntur, ut qui nomina rebus impoſuerunt, veluti divinatores habiti ſemper fuerint, teſte Auſonio Gallo dicente : *Divinare eſt nomen imponere, quod ſit fortuna vel moram, vel mentis indicium.* Turpe & deforme erit nomen propriis moribus contrarium. Unde Caſſiodorus lib. 8. variarum Epiſt. 18. inquit : *Omnis appellatio ad declarandas res videtur impoſita. Nimis abſurdum eſt portare nomen alienum, & aliud dici quam poſſit in moribus inveniri.* Quod cum veriſſimum ſit, credendum omnino eſt ſanctum Auguſtinum hoc nomine tanto cum conſilio & judicio appellatum eſſe ut nomen fuerit omnium illorum, quæ per ipſum patranda erant in vita & veluti quædam divinatio futurorum. *Auguſtinus* enim ut vult Author Hiſtoriæ Lombardicæ, *præclarus* interpretatur ; Non *clarus* ſed *præclarus*, id eſt, *præ omnibus clarus.* Et ſic dicitur, ut mundo ſignificetur, eum futurum adeo clarum & illuſtrem luminoſum & ſplendidum futurum, ut quævis alia luminaria præcellat & longe ſuperet haud ſecus ac ſoli quidam qui ſui luminis exceſſu, quodvis aliud luminoſum, ſive id in cœlo ſit ſive in terra, mire ſuperat ; qui proinde etiam à Lucano *præclarus* dicitur.

*Præclarumque velint cœli reſtringere ſolem.*

Solis nomen S. Doctor obtinuit, quia ſol quidam in Eccleſia Dei eſſe debuit qui ſuperabundanti ſapientiæ ſuæ lumine, quævis alia cæterorum Doctorum luminaria ſuperaturus erat. *Auguſtinus præclarus.*

3. Certum eſt inter Philoſophos & Aſtronomos lumen illud quod in ſtellarum ſphæris cernitur, à ſole naſci, adeo ut ſi Sol non eſſet cætera cœli luminaria videri nequaquam poſſent, ipſe namque fons eſt omnis luminis, omneque illis lumen miniſtrat ; per ipſum denique fulget, quicquid in cœlo reſplendet. *Niſi Sol eſſet*, inquit Pierius lib. 44. *neque luna, neque ſtella ulla perſpicua eſſent, ut & Doctrina eſt Aſtronomorum, & res ipſa indicat.* Sol hujuſmodi corpora lumine illuſtrat ſuo, noſtriſque videnda oculis offert. Porro jam diximus omnes Eccleſiæ Doctores ſtellas eſſe, quæ doctrinæ ſuæ lumine humanæ pellunt ignorantiæ tenebras, ſine quibus in præſentis vitæ obſcura nocte per Paradiſi ſemitas nemo perduci ſalvus poſſet. Jam quoque illos ex Daniele, *quaſi ſtellas in perpetuas æternitates ſplendeſcentes* propoſuimus. Verum enim vero undenam ſtellæ iſtæ ſplendorem hunc quo præfulgent, mutuarunt ? *A ſancto Auguſtino*, inquit ubi ſupra Beatus Thomas à Villa Nova. *A ſole omnia noſtra lucent : ab Auguſtino omnes qui poſt ipſum fuerunt, Doctores, lumen ſapientiæ accipiunt: ipſe vero propria luce lucet, quàm à nullo hominum, ſed à ſolo Deo accipit.* Auguſtinus inter omnes alios, qui poſt ipſum in Eccleſia Dei floruerunt Doctores eſt veluti ſol quidam inter ſtellas, qui lumen quo reſplendent mundumque illuſtrant, omnibus communicat. *Quaſi Sol refulgens, ſic ille effulſit in regno Dei.*

4. Porro licet Sol omnis luminis fons exiſtat, unde cuncta alia luminaria reſplendent, lumen tamen ſuum ipſi ab alio quodam ſole, id eſt, à ſole ſummo, ſolis omnium que quas ſol continuo illuminat, ſtellarum factore eſt communicatum. Id ipſum Pythagoras apud Plutarchum de placitis Philoſophorum cap. 20. inſinuavit, dicens ſolem politiſſimo ac terſiſſimo

ſiſſimo cuidam cryſtallo perſimilem eſſe, qui cœleſtis ignis ſplendorem recipiens reſplendet, aliaque communicati ſibi ſplendoris participes efficit *Sol vitri modo perlucens accipit ab igne cœleſti ſplendorem, receptumque ad nos tranſmittit.* Cur factum eſſe exiſtimatis, quod ſummo juſtitiæ ſole in morte ſua eclipſato & obſcurato, confeſtim ſol & cum ſole luna & omnes ſtellæ pariter obſcuratæ fuerint? niſi quia cum ſol lumen ſuum quo ſplendeſcit, quodque aliis communicare conſpicitur à beatis illis oculis obtineat, deficiente propter obſcurata in cruce divina illa lumina ordinarii luminis inflexu, neceſſum quoque fuerit ipſum obſcurari nec amplius ſplendeſcere, & cum eo pariter obſcurari omnia alia cœli luminaria? *Caligaverunt oculi tui,* inquit Petrus Damianus ſermone de exaltatione Sanctæ Crucis. *Et illa magna luminaria, quæ illuminant orbem ad horam extincta ſunt. Nonne illis obtenebrantibus tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram, & duo illa luminaria cum illis luminaribus ſubmota ſunt?* Cum igitur Magnus Auguſtinus ingens illud ſapientiæ lumen quo reſplenduit, aliaſque cæterorum Doctorum ſtellas illuſtravit à Deo ſummo ſole traxerit, ut proinde Deum in libro Meditationum cap. 30. Et in ſoliloquiis cap. 11. & 37. nunc *lumen oculorum meorum*, nunc *illuminatorem meum*, nunc *lucem meam glorioſe compellet* (à nemine enim alio quam à Deo ſapientiam ſuam Auguſtinus traxit, teſte Beato Thoma à Villa Nova ubi ſupra, qui dicit: *Lucem à nullo hominum, ſed à ſolo Deo accepit*) quis illum inter ſanctos Doctores, velut ſolem quendam inter ſtellas fuiſſe negabit? Vere Sol fuit. *Quaſi Sol refulgens, ſic ille effulſit.*

5. Dicite obſecro quamobrem antiqui lupum ſoli olim conſecrare conſueverint? Non quidem ignoro, id ſecundum nonnullos ideo factum eſſe, ut per hoc innuatur, quod ſicut lupus alia terræ animantia rapit & devorat: ita quoque ſol velut lupus quidam cœleſtis, omnes ad ſe rapiat, trahat, atque conſumat terræ humores. Veruntamen juxta alios id fecerunt, ut ſolaris oculi, cui nihil eſt in mundo occultum vel obſcurum, per hoc vim & acumen innuerent, De lupo enim ſcribitur quod oculos habeat adeo acutos, perſpicaces, & claros, ut inter ipſas quoque denſiſſimas noctis tenebras perfectiſſime videat. Sed quo fine hæc omnia adducimus? Etenim eo ipſo quo admirabilis Eccleſiæ Doctor Auguſtinus ingenio adeo claro & perſpicaci, adeoque a Deo illuminato præditus fuiſſe proponitur, ut nulla unquam adeo obſcura & difficilis materia illi occurrerit, quam intellectu ſuo penitiſſime non penetrarit, certe lucidiſſimus Sol quidam fuiſſe deſcribitur. Unde Pius II. Pontifex Maximus de Auguſtino quoque velut de ſole loquitur, dum ſancti Doctoris laudes & encomia recenſens, dicit: *Quem nihil obſcurum latuit ſed & omnia clarent.* Scire vos equidem exiſtimo, quod perfidi & maledicti hæretici ſathanico quodam odii furore, quo erga Sanctum Doctorem accenſi erant, inſtigati, ipſum *lupum* appellare paſſim conſueverint, utque ad illum è viventium numero tollendum animos adderent, publicè minimè illos peccare dixerint qui ſanctum Auguſtinum necarent, utpote qui lupum maximè noxium occiderent, teſte Authore Hiſtoriæ Lombardicæ qui ita ſcribit. *Hæreticos ita validiſſimè confutabat, ut ipſi inter ſe publicè prædicarent, peccatum non eſſe interficere Auguſtinum, quem tanquam lupum occidendum dicebant.* Lupus equidem ſanctus Auguſtinus erat non quod alicui, uti improbi iſti affirmabant, noxius eſſet aut pernitioſus, utpote qui omnibus beneficus eſſe ſtudebat, ſed quia lupinis quaſi oculis præditus erat, ob ingens intellectus ſui acumen & perſpicacitatem qua cordium hæreticorum conſilia & inſidias detegebat, manifeſtabat, & diſſipabat eradicabat zizania, quæ cum æterno tot animarum damno in terra ſeminaverunt. Solis oculis habebat, quia Sol quidam erat. *Quaſi Sol refulgens.*

6. Tametſi ſolem à Deo ex nihilo creatum eſſe, ex iis quæ magnus Dei chroniſta Moyſes refert ſatis liquide conſtet, id tamen antiquis Philoſophis, præcipue vero Zenoni Cithico, perſpicuum minimè erat qui illum ex mari productum, inde vero in cœlum, ubi modo ſplendeſcit, elevatum fuiſſe exiſtimat ut ſcribit Diogenes Laertius in Zenone Cithico; Quodſi hodie aliquis etiamnum homo eſſet qui præfati Philoſophi doctrinam conſectans, ſolem ex aquis marinis productum eſſe teneret,

per ſolem autem Sanctum & glorioſum Eccleſiæ Doctorem Auguſtinum intelligeret, utpote qui ex mari magno lacrimarum quas Sancta ejus mater Monica continuo lacrimando effudit, ad Chriſtianam veritatem agnoſcendam genitus, atque ad Evangelicæ perfectionis cœlum elevatus fuit (ideo enim Auguſtinus priuſquam converteretur à ſancto quodam Epiſcopo *filius tantarum lacrimarum* appellatus fuit) utique is Auguſtinum conſequenter ſolem eſſe dicturus eſſet. Cum enim S. Doctorem ex amaris tot lacrimarum aquis productum, ac demum in cœlum elevatum eſſe intelligeret, utique illum quoque ſecundum Philoſophiæ ſuæ principia ſolem cenſere deberet. *Ex mari magno ortum.*

7. Beata Monica bina vice S. Auguſtinum genuit; primo in mundi hujus lucem, ad lucem vero cœli poſtea: ſemel ex ventre, & ſemel ex oculis: prius peccatorum & poſtea ſanctum; ſemel hominem demum vero Angelum, primo mortalem, deinceps divinum. Multum equidem S. Auguſtinus ſancti Matri ſuæ pro prima generatione debet, pro ſequente vero multo amplius. Quid enim ipſi hominem eſſe proderat, quando utrique morti ſubjacebat, & temporali nimirum in corpore, quoad animam vero morti æternæ. Econtra vero plurimum proderat generatio ſecunda, per quam relicta cœpta perditionis via, in cœli ſemitis ad beatificam Dei viſionem perducentibus inter Angelos alioſque Dei electos greſſus ſuos fixit. Unde facile cognoſcere licet, quantum Auguſtino devotam ſanctamque matrem habuiſſe profuerit, cujus precibus, devotus & ſanctus evaſit. Quaſi alter quidam in mundo ſol Thiæ quod interpretatur divinæ filius fuiſſet. *Solem Tiæ filium putarunt, quod divinam ſignificat*, inquit Natalis Comes lib. 5. Mythologiæ cap. 17.

8. Quodſi indigna, immunda, & peccatrix lingua mea Sanctum laudare Auguſtinum digna eſſet illum utique cor Eccleſiæ Dei merito appellari, cum mihi Eccleſiaſtici corporis cor eſſe videatur. Quodſi enim *Cor a cura* nomen habet, ut S. Iſidoro placet, quiſnam poſt Sanctos Apoſtolos, tantam tamque indefeſſam Eccleſiæ Dei curam habuit S. Auguſtinus? Quis pro Eccleſiæ exaltatione tantum ſtuduit, diſputavit, prædicavit, ſcripſit ac laboravit, quantum Auguſtinus. Quodſi juxta Ariſtotelem a corde venæ naſcuntur, unde per totum corpus ſanguis diffunditur: certe ab Auguſtino velut à corde irrefragibiles ſcaturiunt fidei noſtræ propoſitiones, indeque ſe in omnia Eccleſiaſtica membra longe lateque diffundunt, adeo ut omnes & ſinguli Doctores ſuos ſe diſcipulos eſſe glorientur. Quodſi cor ſecundum Hallicarnaſſæum, radix eſt animæ, quis non dicat Auguſtinum cor eſſe Eccleſiæ utpote quam in ejus doctrinis, veluti in firma quadam radice, ne errare poſſit firmatam videmus & ſtabilitam? *Authore & magiſtro Auguſtino*, inquit ubi ſupra Beatus Thomas a Villa Nova, *ita omnia ſunt lucida, ut errare non poſſit, niſi qui ex induſtria velit hallucinari.* Cum igitur Eccleſia cœlum quoddam ſit teſte ſancto Gregorio Papa Hom. 12. in Evang. dicante: *Regnum cœlorum præſentis temporis Eccleſia dicitur*, certe eo ipſo quo ſanctus Auguſtinus cor eſt Eccleſiæ, ipſum ſolem eſſe affirmare debemus, qui cor cœli eſſe dicitur teſte Macrobio lib. 1. de ſumnio Scipionis cap. 20. dicente: *Solem Phyſici cor cœli vocaverunt.*

9. Quod magnus ille ſolis globus, qui adeo magnus eſt, ut ſicut Anaximandro Philoſopho placet, terræ vaſtitatem & amplitudinem vigeſies ſepties ſuperet, cum tanta nihilominus rapiditate moveri poſſit, ut in unica dumtaxat horula tot conficiat milliarium milliones, impoſſibile quidem videtur, ſed doctis clarum eſt atque veriſſimum; Neque enim ſagitta aliqua licet à nervoſiſſimo brachio ejaculata, neque globuli ſclopetarii à violentiſſimo igne excuſi, qui ob velociſſimum volatum per aëra volare minimè videtur, ſolis poſſunt velocitatem aſſequi quodſi etenim ut S. Auguſtinum ſolem fuiſſe probarem, alteri inniti rationi non poſſem, quà incredibili ſuæ velocitati, hæc mihi ad id evincendum velut efficaciſſima ſufficeret. Quis enim imaginari ſibi unquam poterit Auguſtini ſollicitudinem & velocitatem, quam tam in rebus ad divinum ſervitium, quam ad Sanctæ Eccleſiæ obſequiū ſpectantibus adhibuit. Quis unquam ſimilem vidit hominis alicujus in ſcribendo velocitatem, ac S. Auguſt. in ſcriptis ſuis probavit, qui cum ſemper omni poſſibili ſtudio Dei ſervitio, profectui proprio, animarum ſibi commiſſarum regimini, Religioſorum ſuorum & Canonicorum, diſputationibus adverſus hæreticos alijſque ſimilibus occupationibus graviſſimis continuo eſſet intentus, tanta nihilo-

minus poſt ſe ſcripta reliquit ut impoſſibile fere ſit quod homo aliquis diutiſſimè vivens dies ſimul cum noctibus jungendo ea poſſit legendo producere, teſte B. Thoma à Villa Nova ubi ſupra dicente : *Vix enim diuturna hominis vita ſufficit ad libros perlegendos.* Eſt igitur incredibilis Auguſtini velocitas, & ſolis velocitati perſimilis, quia Sol quidam myſticus. *Quaſi Sol fulgens.*

10. De divina gratia ſanctus Auguſtinus adeo ſublimiter & divinè ſcripſit ut cum in aliis operibus omnes reliquos Doctores ſapientia & doctrina ſua longè ſuperarit, in hac certe Materia viciſſe videatur ſemetipſum. Eccleſia poſt ſanctum Paulum Apoſtolum nullum habuit ſcriptorem qui hanc materiam de gratia adeo magnifice, ſublimiter, & clarè ac perſpicuè tractarit, ſicut fecit ſanctus Auguſtinus adeo ut perfidus Pelagius illam non adeo vehementer perſequi ac infeſtare potuerit, quin is illam longe generoſius defenderit. Omnes quotquot de divina gratia ſcripſerunt Doctores, ſuam ex Auguſtini libris hauſerunt doctrinam, ipſius ſectati ſunt opiniones, atque ex illius limpidiſſimo fonte biberunt. Quaſi alter quidam fuiſſet Homerus, cujus Poëmata ab aliis Poetis in ſuis fuerunt ſcriptis deſcripta, aut vero veluti ſi aliud quoddam mare fuiſſet, è quo omnia flumina ſuos hauriunt aquarum vertices, quibus ſinus ſuos copioſiſſime adimplent. Denique ut proprie loquar quaſi Sol quidam fuiſſet, à quo omnes Theologi veluti myſticæ quædam ſtellæ divinæ gratiæ lumen ſibi acquiſiverunt, quo chartarum ſuarum illuſtrare ſphæras poſſent. Eſt enim divina gratia lumen quoddam. Unde quando Deus Geneſ. 1. verſ. 3. dixit : *Fiat lux*, lucis nomine, juxta Divi Ambroſii lib. 1. Hexameron cap. 9. interpretationem divinam gratiam ſignificavit.

11. Præclarum hoc monet *ſanctus Auguſtinus*, nonnulli ab *Auguſto* Romanorum Imperatore derivari affirmant adeo ut appellatus ſit Auguſtinus, quaſi alter quidam fuiſſet Octavianus Auguſtinus. Sicut enim Auguſtus omnes totius mundi reges longe antecelluit ita Auguſtinus omnes quotquot tum ſuo ſæculo, tum ſequentibus ſæculis in Eccleſia Dei floruerunt, ſuperavit Doctores. Unde Author Hiſtoriæ Lombardicæ ex mente ſancti Remigii de illo dicit : *Sicut Imperator Auguſtus præcelluit omnes Reges, ſic & Auguſtinus excelluit ſuper omnes Doctores.* Aut vero ſicut Auguſtus potentiſſimis armis ſuis Imperium Romanum amplificavit, & generoſe defendit : ita quoque Auguſtinus ſapientiſſimo calamo ſuo univerſam defendit & magnificavit Catholicam Romanam Eccleſiam. Vel ſicut Auguſtinus ſolis lucidiſſimi faciem referebat, ita ut ob vehementiſſimum qui è facie ipſius emicabat ſplendorem nullus oculorum ſuorum in illum figere obtutus poſſet, teſte Cælio lib. 15. cap. 1. dicente : *Auguſti oculi adeo eniteſcebant, ut ſi intentius aliquem eſſet intuitus, cogeretur is ceu ſplendoris nimietate caligaret vultum demittere.* Quod Aurelius Victor lib. de vita & moribus Imperatorum plane confirmat, dum de eodem Imperatore refert, quod dum certus quidam vir cum hoc eodem Imperatore oculis in terram dimiſſis diu locutus eſſet, demiſſique vultus ſui cauſam ut daret, ab Imperatore juberetur, reſponderit : *Quia fulmen oculorum tuorum ferre non poſſum.* Haud ſecus Auguſtinus, ac ſi ſol quidam fuiſſet, faciem adeo lucidam & ſplendeſcentem præ ſe tulit, ut nullus coram ipſo ſubſiſtere hæreticus poſſet, quin corrueret & confunderetur. Quiſnam Catholicæ fidei inimicus veritatis ſplendori quo Auguſtinus radiabat reſiſtere unquam potuit? ubicumque Auguſtinus erat, mox Donatiſtas, Pelagianos & Manichæos fugabat. Imo inter hos doctior Fortunatus, ut refert Poſſidonius in vita ſancti Auguſtini cap. 6. Cum eo congredi pavitabat, Idipſum devoti illius hominis viſio innuere volebat, qui ſanctum Auguſtinum oculis ſole lucidioribus præditum lucidæque nubi inſidentem conſpexerat, uti Jacobus de Voragine ſerm. 132 de ſanctis, his verbis refert : *Vidit Auguſtinum ſuper lucidam nubem ſedentem, cujus oculi quaſi ſolis radii erant.*

12. Sæpius utique S. Doctorem veluti templum quoddam dextera manu ſua ferentem depingi conſpexiſtis, ita namq; a Chriſtianis pictoribus depingi communiter conſuevit. Verum enimvero quidnam obſecro templum iſtud ſignificat? Eccleſiam indicat, quæ ob excellentiam & amplitudinem ſuam, templum dicitur, utpote quo continetur is quem cœli cœlorum capere nequeunt : *Templum* enim idem eſt, quod *tectum amplum* ut vult S. Iſidorus. Quia igitur templum iſtud, tempore S. Doctoris à tot conſpiciebatu ventis conquaſſari & concuti, quot videbantu

quotidi

quotidie novæ hæreſes exoriri, ideo in glorioſiſſimi Doctoris manu collocata fuit, ne corruat, aut concidat, ut hac ratione ab eximia ejus ſapientia, à temerariis tot Hæreſiarcharum defenderetur inſultibus. Niſi enim Deus illis temporibus Eccleſiæ ſuæ de tali ac tanto viro proſpexiſſet, utique in evidenti fuiſſet Catholicæ fidei perdendæ periculo. Unde Maffæus Veggius hunc in modum de Sancto Auguſtino canit.

*Altiloquas totum niſi diffudiſſet in orbem*
*Doctrinas tantis totque voluminibus:*
*Errorumque niſi peſtes ſtraviſſet iniquas,*
Ingenio niſi tot dogmata prava ſuo,
Quid mirum ſi noſtra fides, cultuſque periſſet?

Atque ideo numquid Sanctus Doctor vobis gygas quidam, aut alter Atlas fuiſſe videtur, qui ne cælum rueret idipſum humeris ſuis eidem ſubſtratis, portavit? Verè Gygas quidam fuit; neque enim aliorum quam gygantum, vaſtiſſimorumque virorum facinus iſtud fuiſſe dignoſcitur; ideoque verus & myſticus ſol quidam extitit qui à Davide Pſalm. 18 v. 7. gygantis nomine proponitur: *Exultavit ut gygas ad currendam viam*, qui etiam *Heros*, quod idem eſt quod *Magnus* ab antiquis appellatur.

13. Quando Chriſtus Matth. 28 v. 20. dixit: *Ero vobiſcum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi*, profectò innuit, quod licet in cælis æterni Patris dexteræ aſſideret, ſimul tamen nobiſcum atque in ſancta Eccleſia ſua perpetuò adfuturus præſens eſſet, utpote quam ipſa licet hac de re dubitante, relinquere non poterat. Et certè ita fieri conveniebat, neque enim ſponſum à ſponſa ſua procul eſſe remotum, aut Regem à regno quod moderatur & gubernat diu abeſſe, aut Paſtorem ſuum diu deſtituere gregem aliquâ ratione decuiſſet. Unde quia Eccleſia continuo & glorioſo Deum hoſpitio excipit Sanctus Joannes Apocal. capit. 21 v. 13. Illam *Tabernaculum Dei cum hominibus* eſſe dicit. Quia verò David Propheta regius de hoc tabernaculo loquens Deum illud in ſole collocaſſe dicit Pſalm. 18. v. 6. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum*, Ideo quotieſcunque Eccleſiæ tabernaculum in Auguſtini manu collocatum eſſe cernitis, ipſum ſolem quendam fuiſſe æſtimare debetis. Ipſe namque ſol ille eſt, in quo Deus tabernaculum ſuum repoſuit, ut idipſum doctrinæ ſuæ lumine cuſtodiret, atque ab umbris infernalibus tueretur atque defenderet.

14. Ad hæc quia juxta Hieronymum per tabernaculum iſtud Chriſtus intelligi debet, in quo veluti in tabernaculo quodam Deus corporaliter habitat & reſidet, qui proinde etiam Templum Dei appellatur ideo tabernaculum illud vel templum quod Auguſtinus manu ſuâ tenet, Chriſtus Dominus noſter utique erit. Nil aliud cor ejus deſiderabat, quam ut Chriſtum ſecum haberet, quando libro 11. Confeſſionum capite 2. dicebat: *Da quod amo, amo enim te*, atque ideo ut eum in ſua ſecum facultate & poteſtate haberet, exaudiri à dilecto ſuo debebat. Unde Sanctus Hieronymus Chriſtum in Sancto Auguſtino videns eidem in Epiſtola 80. quam ad Sanctum Auguſtinum exaravit, dicebat. *Omni quidem tempore beatitudinem tuam eo quo decet honore veneratus ſum, & habitantem in te dilexi Dominum Salvatorem.* Cum igitur nobis Chriſtum animæ Sancti Auguſtini habitatorem & incolam fuiſſe conſtet, ſol quidam utique cenſeri debet cum Chriſtus non niſi in ſole habitet, id eſt, in animabus ſolis inſtar ſplendeſcentibus eodemmet Sancto Hieronymo in capite 2. Eccleſiaſt. hiſce idipſum verbis atteſtante: *Qui necdum ad ſolis claritatem, ordinem, conſtantiamque pervenerit, in hoc Chriſtus habitare non poterit.* Cum igitur ſolem illum qui ſolem noſtrum & quicquid ſub ſole eſt conſtanter illuminari, ſecum perpetuo habuerit, utique nulla unquam ignorantiæ aut erroris alicujus umbra eclypſatus aut obſcuratus fuit. Unde Beatus Thomas à Villa Nova ubi ſupra, bene dicit: *Multi Doctores in ſuis paſſim ſcriptis nonnunquam errarunt, nunquam vero Auguſtinus.*

15. Sanctus Auguſtinus de fidei noſtræ myſteriis adeò bene & catholicè ſcripſit, ut à Sancto Bernardo, vel quiſquis alius eſt ſermo de Sancto Stephano tomo 2. operum Sancti Bernardi, author, *Eccleſiæ lingua* vocitatus fuerit. Quia enim quicquid ille ſcripſit Catholicæ ve-

cæ veritati conforme fuit, neque in explicandis fidei noſtræ Sacramentis vel in minimo apice erravit, ideo Eccleſia non niſi calamo ſuo ſcribit, nec aliter quam juxta ejus Doctrinam docet aut loquitur, haud ſecus ac ſi illum in propriam ſibi linguam adoptaſſet. Idipſum regius Propheta David dicere volebat, dum Pſalm 44. verſ. 2. Eccleſiam hunc in modum loquentem introducit: *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis*: quaſi diceret, lingua mea eſt illius ſcriptoris calamus, qui tanta cum velocitate ad ſtuporem uſque ſcripſit, id eſt, calamus Auguſtini, qui uti ſuperius diximus in ſcribendi velocitate quemvis alium ſcriptorem incredibiliter ſuperavit. Cum igitur Auguſtinus myſtica quædam Eccleſiæ lingua exiſtat, ſol quidam fuerit, neceſſe eſt. Lingua enim Eccleſiæ, quia eſt linguæ lucernæ piſcis ſimillima, clariſſimo ſemper lumine eſt pleniſſima, per quod in ſuæ Doctrinæ & ſanctitati devotis obſcurari nunquam valet, atque ideo ſol quidam eſt in terra reſplendens.

16. Neque Auguſtinus dumtaxat lingua verum etiam oculus Eccleſiæ dici meretur. Tametſi enim Eccleſia tot habeat oculos, quot Doctores quaſi totidem ſtellas in cælum ſuum evexit: *Oculi Eccleſiæ ſunt Prælati, Prædicatores, & Doctores*, inquit Hugo Cardinalis illa Canticorum verba capite 4. verſ. 2. *Oculi tui Columbarum* quia tamen ſemper & in omnibus rebus ſuis opera & ſubſidio utitur Sancti Auguſtini, utpote viri talis qui cum Angelo potius quam humano præditus ingenio fuit, præ omnibus aliis univerſalior extitit, deque omnibus materiis de quibus in utraque Theologia tractari conſuevit, fuſiſſimè ſcripſit, cujus etiam rationes ſelectiores, puriores, ſolidiores, magiſque fundatæ fuerunt & ordinatæ ideo illum haud ſecus ac ſi alium tam in Eccleſiarum pulpitis, quam in ſcholarum cathedris oculum non haberet in ſuum ſibi ducem adoptavit. Unde cum Sanctus Doctor oculus fuerit Eccleſiæ, quæ ut diximus ſupra myſticum quoddam cælum in ſcriptura appellatur, ſol quoque fuerit neceſſum eſt, utpote qui ab antiquis oculus ætheris dicitur. Licet enim cælum tot habeat oculos, quot luminaria habet, per ſolem tamen veluti clarius, luminoſius certiuſque luminare dumtaxat videre, nec alium præter ſolem oculum habere videtur.

17. Audite obſecro mirabile illud Sancti Gregorii Magni ad Innocentiam Africæ præfectum, ſua in Jobum exarata commentaria & lucubrationes tanta cum inſtantia expoſcentem tranſmiſſum reſponſum: *Quod expoſitionem Sancti Iob tranſmitti voluiſtis, veſtro judicio non gaudemus: Sed ſi delicioſo cupitis pabulo ſaginari, Beati Auguſtini compatriotæ veſtri opuſcula legite, & ad comparationem illius ſimilaginis noſtra furfur non quæratis.* Huculque Sanctus Gregorius. Verum enimvero cur Sanctus Gregorius compoſitiones & elaboratiſſimas lucubrationes ſuas tanti ab omnibus paſſim æſtimatas, tam parvi facit? Tametſi equidem ſanctiſſimo huic Pontifici non defuerit humilitas, ob quam ingenii ſui partus diminuiſſe nihilique æſtimaſſe dici poſſit, melius tamen meo judicio dicetur, quod Sancto huic Doctori admirabilem Sancti Auguſtini ſapientiam, & gratiam qua pro Eccleſiæ orthodoxæ obſequio dotatus a Deo fuerat, optime cognoſcenti viſum fuerit lucubrationes ſuas in comparatione ad eximiam Sancti Auguſtini ſapientiam, quam neſcio obſcuritatem contraxiſſe, Sanctumque Auguſtinum myſticum quendam fuiſſe ſolem, qui luminis ſui exceſſu, non parvas tantum ſed etiam magnas ſtellas obfuſcet, & evanidas faciat.

18 Superius, ſi meminiſtis, diximus, Sanctum Auguſtinum tantam in vita ſua ſcripſiſſe librorum molem copioſamque multitudinem, ut impoſſibile ſit hominem aliquem, ſepoſitis omnibus etiam corpori neceſſariis negotiis & occupationibus diu noctuque Sancti Auguſtini ſcripta pervolventem, illa tandem ad finem uſque evolvere poſſe Hinc autem Beatus Thomas à Villa Nova concione 2. de Sancto Auguſtino optime infert, ea quæ Sanctus Auguſtinus ſcripſit, non ab uno homine unica tantum manu ſcribente, ſed ad integra quædam hominum univerſitate centum manibus laborante exarata fuiſſe *Patet*, inquit Sanctus hic Doctor, *vis ingenii ejus ex librorum tanta multiplicitate & multitudine, tot ſunt enim, ut vix legi poſſint, tam varii ſunt, ut non ab uno, ſed ab univerſitate videatur conſcri-*

*conſcripti.* Id quod manifeſtè nobis indicat Auguſtinum non vulgarem hominem, ſed quoddam fuiſſe hominum monſtrum. *Monſtrum quoddam in natura fui: Beatus Auguſtinus*, inquit idemmet Beatus Doctor concione de Sancto Auguſtino. Alter quidam Briareus centimanus, & verus quidam ſol fuit, qui quod tot tamque variis rebus ordinatiſſimè ſit intentus, Briareus ab Homero apud Pierium libro 35. dicitur.

19. Quonam antiquos Poëtas ſpectaſſe putatis, quando Briareum apud inferos conſtitutum à Jove ut ſibi adverſus Neptuni fratris ſui & Junonis ſororis ſuæ ipſum regno ſuo ſpoliare volentium inſidias, ſuppetias ferret, in cælum evocatum eſſe fingebant. Nihil profectò aliud per figmentum iſtud inſinuare volebant, quam quod nullus ſit in mundo homo adeò perditus, & ſceleratus, adeoque impius atque perverſus, imò ſecundum præſentem juſtitiam ad infernum condemnatus, quin Deus ejuſmodi hominem à ſcelerum vinculis liberare & emendare, atque ad tantam perducere ſanctitatem poſſit, ut peculiare fiat gloriæ ſuæ inſtrumentum, ipſumque tandem inter Angelos alioſque beatos cælites in cælo collocare valeat. Adfert hanc Poëtici hujus figmenti allegoriam Joannes Boccacius libro 4. de geneal. Deorum capite 18. Ubinam obſecro Sanctus Auguſtinus erat. Ubi erat ſol ille myſticus qui univerſam illuminat Eccleſiam, ubinam centimanus ille Briareus erat, qui adverſus Dei inimicos tanto cum proventu dimicavit & etiamnum dimicat, quando falſam impiorum Manichæorum ſequebatur Doctrinam atque momentanearum delectationum luto ſordidiſſimè immerſus, totus mundanus erat? in inferno erat. Ab hoc autem inferno à Deo pientiſſimè liberatus fuit. Unde ipſemet in ſoliloquiis ſuis capite 18. Deo dicebat: *Confiteor tibi beneficia tua magna, quoniam eripuiſti me de inferno inferiori.* Atque in ſanctæ Eccleſiæ cælum, ut eandem à perverſis illis hominibus illam divina privare præſentia contendentibus defenderet, collocatus. Unde de illo dicere poſſumus, quod ille de ſemetipſo fortaſſe in ſoliloquiis capite 19. Deo dixit, nimirum: *Vidimus de tenebris lucem proceſſiſſe.*

20. Ex quo una ex parte Deum Eccleſiam ſuam à tot validis inimicorum inſidiis per ſolum Eccleſiæ Sanctiſſimum Doctorem Auguſtinum defendiſſe video: ex parte vero altera Calixtum Romanum Pontificem pro eadem Eccleſia adverſus Italiæ Principes eandem impugnare contendentes defendenda & propugnanda tria millia & amplius Doctorum in aciem produxiſſe lego (nam ut Jovinianus Pontanus de Princip. refert Calixtus Heroldis ex parte Italiæ Principum bellum ſibi intimantibus reſpondit: *Habere Eccleſiam Chriſti tria millia & amplius literatorum hominum, quorum conſiliis ſapientiamque omnes ſimul Europa Ducum conatus facilè reprimi atque contundi poſſint,*) Auguſtinum profectò aliud quam centimanum quendam imò millemanum Briareum fuiſſe judicare nequeo, Qui enim tribus Doctorum æquivalet millibus, totidem quoque multiplicatas habuiſſe manus neceſſum eſt.

21. Quia Sanctus Ambroſius ſermone de Baptiſmo & converſione Sancti Auguſtini, ſe poſt collatum Auguſtino baptiſmum, nigro ipſum veſtiviſſe amictu dicit: *Auguſtinum in Chriſto genui, & poſtquam baptizavi eum indui cucullam nigram,* meritò quærendum nobis venit, quidnam color ille niger quo Auguſtinus amictus fuit, ſignificet? dicendum igitur colorem hunc nigrum, Auguſtinum verum eſſe ſolem, ſignificaſſe; color etenim niger proprium eſt ſolis Symbolum, teſte Cœlio libro 15. capite 15. qui dicit: *Solis Symbolum eſt coloris nigredo.* Poëtæ namque ingenioſè finxerunt, ſolem una cum Diis reliquis Gygantum violentiam fugere volentem, ut ſe occultaret, in cornum, volucrem ſcilicet totaliter nigram ſeſe transformaſſe, quaſi color niger ſolis proprius & peculiaris eſſet. Porrò myſticus ſol noſter Auguſtinus, tunc nigra ſe veſte induit, quando de priſtinis erroribus & vita vetere peſſimè traducta & collocata reſipiſcens ac pœnitens crudeles carnis, mundi, & Dæmonis Gygantes fugere, deque ſuis peccatis aſperrimam ſibi indicere pœnitentiam cœpit, tunc enim ſe veluti mortuum mortuorum colore induit. Tunc illa S. Joannis Apoſtoli Prophetia Apocal. 6. v. 12. relata verificari potuit. *Sol factus eſt niger tanquam ſaccus cilicinus.*

22. Ta-

22. Tametſi Auguſtinus per tot mortificationes, afflictiones & planctus niger fuerit exterius, interius tamen propter eaſdem cauſas coram Dei Angelorumque ſuorum oculis adeò reſplendebat, ut ipſammet ſuperaret ſolis claritatem. Quotieſcumque enim peccator peccata ſua deplorat, atque ob Deum offenſum ſeſe acriter affligit, & intimè dolet, animam ſuam ab omnibus impreſſis ſpurcitiebus, adeò lavat & adornat, ut eandem non ſolem tantum, ſed & ſole pulchriorem efficiat. Unde Sanctus Ephrem de vita religioſa dicit: *Si faciem tuam lavare deſideras, eam ablutito ſuſpiriis, & fletibus eam lavato, ut in conſpectu Dei & ſanctorum Angelorum ejus, cum gloria & claritate reſplendeat. Nam facies quæ lachrimis abluitur, immarceſcibilem claritatem acquirit: ſordes illæ vultus tui, pedumque tuorum, ſi cor mundum ac caſtum habueris, ſuper claritatem ſolis coram Deo & Angelis ejus reſulgebunt.* Hactenus Ephrem.

23 Quiſnam explicare unquam poterit quantus Sanctus Auguſtinus fuerit lachrimarum amicus? anima ejus in tam copioſas ſeſe lachrimas effundebat, ut ex oculis ejus veluti duobus fontibus duo ſcaturire & emanare flumina viderentur. Unde ipſemet libro 9 Confeſſionum capite 6. Deo dicebat: *Eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æſtuabat inde affectus pietatis, & currebant lachrimæ.* Anima ejus haud ſecus ac cera ad ignem in amariſſimas continuò lachrimas liquefiebat teſte Sancto Vincentio in ſermone de Sancto Auguſtino, qui dicit: *Quando celebrabat, ſemper flebat; & ſicut cera ad ignem liqueſcit, ita anima ejus liquefiebat.* Tantum ex lachrimis gaudium hauriebat, adeò plangendo delectabatur, ut lachrimas panem ſuum vocare ſolitus fuerit, quaſi ad eum modum quo corporis pane nutriebat, lachrimis nutriviſſet & ſaginaſſet animam. Unde ipſemet in meditationibus ſuis capite 32. Deo dicebat: *Da mihi gratiam lachrimarum benedicte & amabilis Deus, præpara hanc menſam famulo tuo in conſpectu tuo.* Quis igitur Auguſtinum lachrimis perfuſum ſolem pallidum, humidumque eſſe non dicat? *Frequenter ſolem videmus madidum atque rorantem.* Inquit libro 5. Hexameron cap 3. S. Ambroſius.

24 Splendor & formæ decor, quem Deus animabus noſtris pœnitentia mediante confert, talis eſt & tantus, ut Angelus quidam eſſe videatur, cum ſit pœnitens. Hebræi, utpote qui vitulum adorando aureum, in turpe prolapſi fuerunt Idololatriæ peccatum, ob noxam iſtam vultus habebant deformes, nigros, & horrendos, & quaſi tot Æthiopes dæmonis quodammodo faciem referebant: at verò mox ut de horrendo iſthoc delicto egerunt pœnitentiam, adeo viſi ſunt pulchri, conſpicui, & ſplendidi, ut quotquot illos videbant, ipſos Angelos potius quam homines dixerint. *Quando Iſraëlitæ fecerunt vitulum*, inquit Paraphraſis Chaldaica in capite 1. Canticorum: *denigratæ ſunt facies eorum ſicut Æthiopum, qui habitant in tabernaculis Cedar. Et quando egerunt pœnitentiam, & dimiſſum iis fuit peccatum, multiplicatus fuit ſplendor gloriæ vultus Angelorum.* Facies Auguſtini poſt ſuam pœnitentiam non minus debebat eſſe pulchra, nec minori ſplendore dotata, ac Angeli alicujus vultus ornatus eſſe conſpicitur: denique ad inſtar ſolis alicujus ut reſplenderet, neceſſum erat, cum Angeli alicujus vultus ſolis inſtar coruſcet. Unde ſicut homo ſolis aſpectum ſuſtinere nequit, ita neque Angeli alicujus tolerare poteſt obtutum. *Homo purus non poteſt ſuſtinere viſionem Angeli* inquit in cap. 13. Apocalypſeos Nicolaus de Lyra.

25 Quiſnam adeò eſt rudis, ut neſciat quod vera Pœnitentia virum aliquem in puerum transformare ſoleat, utpote ſine qua transformatione Paradiſum ingredi nullus poteſt; ipſomet Chriſto Matth. 18 v 3 dicente: *Niſi converſi fueritis, & efficiamini ut parvuli non intrabitis in regnum cælorum.* Porrò Auguſtinus de antiquis erroribus ſuis adeò perfectè pœnituit, ut infans aliquis cenſeri meritò potuerit. Adeoque factus eſt ſanctus, innocens, purus, ac ſi fuiſſet in puerulum transformatus. Quaſi puer ſeſe de culpis adeò levibus & parvis accuſabat quæ aliorum hominum judicio nihil in ſe repræhenſibile cenſebantur complecti, quod ad confeſſarii referri aures mereretur. Unde Beatus Thomas à Villa Nova conc 1. de Sancto Auguſtino de illo inquit: *Accuſat ſe coram Deo, quod nonnunquam in cibo, dum neceſſitati corporis ſervit ad quem morſum fortaſſe indulſit voluptati. Rurſus quod aliquando dum Eccleſiæ canticis intereſſet plus melodia quam ſenſu fuit delectatus. Addit etiam aliud, quod iter agens, dum videret caſu canem leporem*

*rem inſequentem nonnihil in hoc fuerit delectatus.* Quam igitur ſplendens, nitida, clara, pura, cryſtallina eſſe debuit illa conſcientia, quæ tam parvos etiam in ſe atomos ferre non poterat? Verè per acquiſitum hunc conſcientiæ nitorem, innocentiam, & puritatem, quaſi innocens quidam factus eſt puer; veruſque ſol evaſit; qui ob ſui puritatem *Phœbus* nominatur: *Phœbum propter puritatem vocant ſolem*, inquit Plutarchus de patre capite 6. atque in puerili forma communiter depingitur, ad eum ferè modum quo ut Magiſter Hiſtoriæ Scholaſticæ Petrus Comeſtor. in 4. Reg. capite 36. refert in introitu templi DEI ab Idololatris Judæis depictus fuit.

16. Quod Valerius Epiſcopus dum adhuc viveret, ſuamque etiamnum moderaretur Eccleſiam, Sanctum quoque Auguſtinum ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopum ordinaverit, adeò id rarum, novum & inſolitum eſt, ut neſciam an ſimile quid in Hiſtoriis legatur; neque enim aliquando factum eſt hactenus, neque in futuro fiet, utpote facinus indigniſſimum, ab ipſomet Sancto Auguſtino acerrimè repræhenſum. Atque ideo quidnam obſecro Valerium Epiſcopum ad rem adeò novam & in Eccleſia Dei inſolitam & raram attentandam promovit? Movit ipſum admirabilis Sancti Auguſtini excellentia, & Eccleſiæ ſuæ neceſſitas, cui nonniſi per Sanctum Auguſtinum adferri remedium poterat; Niſi enim in Candelabrum ſuum ſublimaſſet Auguſtinum, in tenebris utique relicta fuiſſet humana ignorantia, Quaſi enim ſol quidam Sanctus Auguſtinus fuit, quo ſublato, dies neceſſario evaneſcere & diſparere, tenebræ autem ſeſe dilatare incipiunt. *Tolle corpus hoc ſolare quod illuminat mundum, ubi dies?* inquit cum Sancto Bernardo, Seraphicus Bonaventura in ſpec. Virg. c. 3.

17. Scire ne rationem cupitis, cur menſæ divitum opulentorumque hominum omni ciborum copia ubertim affluentes, nec non cuivis hominum generi pauperibus æquè ac divitibus expoſitæ *Menſa ſolis* appellentur? Ratio hæc eſt quia apud Æthiopes Africam verſus mare Auſtrale habitantes, certa quædam ſunt prata epulis omnigenis ſemper referta, è quibus cujus tam pauperi quam diviti quantum libebat licebat. Porrò quia menſas illas, ſolis virtute non verò incolarum, qui nocturno tempore teſte Herodoto illas ſecretiſſimè præparabant, opera apparatas eſſe credebant, ideo eaſdem ſolis menſam appellabant. Id verò ex hoc capite ſibi perſuadebant, quod videlicet ſol univerſaliter omnia nutriat, quem proinde armentorum Amethi Paſtorem fuiſſe Poetæ finxerunt. Quiſquis Sancti Auguſtini opera curioſè pervolvit, illa nonniſi ſolis menſam judicare poterit, adeò namque ſunt omnibus communia, pro omnibus adparata, pro omnibus & ad omnium intelligentiam ſcripta, ut in iis quilibet ſalutare ingenii ſui inveniat pabulum. Docti ibidem doctrinas comperient ſublimes & argutas, ſimplices quoque materias tales, quæ humili ipſorum intellectui omninò ſint conformes. *Levatur quando vult ſuper aerea, repit quando vult inter veſtigia*, inquit Beatus Thomas à Villa Nova concione 1. de Sancto Auguſtino. Quia enim myſticus quidam ſol fuit, ideo ſolis quoque menſam in terra apparavit, atque ab illius cibo ſeu pabulo neminem excluſit.

28. Poteritne fortaſſe quiſpiam ex vobis aliquem inter omnes Eccleſiæ Doctores invenire Sancto Auguſtino parem aut æqualem? Arduum hoc erit & perquam difficilè. Porrò Sanctus Paulinus certo cuidam licentioſo & laſcivo juveni, ut vitam moreſque ſuos commutaret perſuaſurus, cum inter cætera motiva hoc quoque adduceret, quod hâc ratione ſatisfacturi eſſet tum ſuo, tum Sancti Auguſtini, veluti duorum amantiſſimorum Patrum deſiderio, qui æquali cum affectu ſuam deſiderabant ſalutem, ita poſt multa loquitur:

*Sed me Auguſtino dum copulo, non meritorum*
*Jacto parem, ſolo comparo amore tui.*

quaſi diceret, tametſi in amore quo te proſequor me Auguſtino adæquem, utpote qui velut Magiſter tuus magnopere te diligo, quoad merita tamen ſua Doctrinam item & ſapientiam

ſuam me illi comparare nequaquam ſatago. Cum igitur vir tam eximius & excellens, qualis Paulinus fuit, *Fuit eruditus ſtudiis humanitatis, doctus etiam in divinis literis,* Uti Junii die 22. inquit Eccleſia in Breviario, utique nec quivis alius Eccleſiæ Doctor ei comparari valebit. Id quod certo cuidam homini devoto clare demonſtrandum fuit. Nam ut Jacobus de Voragine ſermone 231. de Sanctis refert, dum is in Baſilica Sancti Petri Romæ in Oratione conſtitutus eſſet, in ſpiritu elevatus, longam quandam ex omnibus Pontificibus & Eccleſiæ Doctoribus inſtitutam Proceſſionem conſpexit, doctoribus à Sancto Gregorio, nunc in eorundemque conſortio Sanctus Auguſtinus eſſet, interrogaret, reſponſum ei fuit: *Sanctum Auguſtinum virum excellentiſſimum, de quo quæris, altior locus tenet,* quaſi dixiſſet: Quia Sanctus Auguſtinus in univerſa ſapientum turba parem ſibi non habet, ideo eum Deus altiori & eminentiori in loco repoſitum atque ab aliis ſeparatum eſſe voluit. Quaſi ſol quidam ignitus fuit, qui in univerſis cæli luminaribus ſibi parem non admittit. *Sol luminare eſt, par non habens,* inquit libro 7. de Laudibus Beatæ Mariæ Richardus à Sancto Laurentio.

29. Quod ſi ea quæ intrinſecus in animo noſtro latent, per verba aperiuntur (ſunt enim verba noſtra velut quædam animæ noſtræ imago; Seneca de moribus teſte, qui dicit: *Imago animi ſermo eſt qualis vir, talis oratio,* Utique ex Sancti Auguſtini oratione & verbis, qualis anima ejus fuerit, dignoſci liquidè poterit: *Lingua ejus manifeſtum, facit ipſum,* inquit Beatus Thomas à Villa Nova, ubi ſupra, *& ſcriptura ejus ſpectaculum ipſius eſt.* Unde ad dignoſcendum qualiſnam Sancti Doctoris anima fuerit, qualia ipſius fuerint verba, attendamus, neceſſum eſt. Dic igitur qualia fuerint quæ paſſim tum in ſcriptis tum in ſermone eructabat verba? ignita, ardentia, & tanta ſuper cæleſtis ignis vehementia accenſa, ut ſcintillæ potius quam verba æſtimari debuerint. Id certiſſimum eſſe evidenter comperietis, ſi ejus Meditationes, Confeſſiones, & ſoliloquia attentè pervolveritis. Dic obſecro, quando Sanctus Auguſtinus Deum hunc in modum affabatur: Multum equidem gaudeo, dum quod tu Deus meus ſis recogito; veruntamen ſi per impoſſibile fieri poſſet, ut Sanctus Auguſtinus eſſet Deus, te potius Deum eſſe cuperem quam Sanctum Auguſtinum, tibine illum tunc verba, an verò ignis ſparſiſſe ſcintillas videtur. Utique illas ſcintillas potius igneas quam verba fuiſſe dices. Ex ignitis itaque & ardentibus verbis ſuis, ipſum quoque animam habuiſſe ardentem & accenſam igneque cæleſti ſuper plenam habuiſſe colligitur: *Surrexit Sanctus Auguſtinus in Eccleſia quaſi ignis,* inquit ubi ſupra Beatus Thomas à Villa Nova, *& verbum illius quaſi facula ardebat; ardebat utique exterius ſermo, & animus, flagrabat interius.* Sol quidam myſticus erat, qui prout antiquis placet Philoſophis, ferrum quoddam vel ſaxum eſt ignitum, ut ſcribit Plutarchus de Placitis Philoſophorum capite 20. & nos quoque alibi diximus. Id quod nonnulli attendenter exiſtimant nomen illud *Auguſtinus* derivaſſe ac originem ſuam ſumpſiſſe à menſe *Auguſto*, qui inter reliquos anni menſes ardentior exiſtit. *Dicitur Auguſtinus propter fervorem dilectionis, quia ſicut menſis Auguſtus valde fervet æſtu caloris, ſic & ipſe valde incaluit igne divini amoris,* inquit Author Hiſtoriæ Lombardicæ.

30. Denique ut fælicem huic Panegyrico finem ac coronidem imponamus, aliam quandam nominis ſancti Eccleſiæ Doctoris interpretationem audite. Vult igitur idemmet Author Hiſtoriæ Lombardicæ, quod *Auguſtinus* derivetur ab *Augeo & Aſtin*, quod eſt *civitas*, & *Ana* quod eſt *ſurſum*. Quia enim civitatem Dei magnificavit & ampliavit, jure igitur meritò illi convenit nomen hoc *Auguſtinus*. Quomodo autem illam incrementa accipere & ampliari fecit? Per tot nimirum filiorum quos Chriſto genuit multiplicationem, prout illam propagarunt Sanctus Baſilius, Sanctus Benedictus, Sanctus Dominicus, Sanctus Franciſcus & alii Religionum ſacrarum excellentiſſimi Patriarchæ, idque incremento & augmento adeò notabili, ut cum omnes alii ſuam duntaxat Religionem fundarint, ipſe è contra omnes quæ poſt ipſum fuerunt Religiones fundaverit, adeò ut aliorum Patriarcharum filii, ſui quoque quandantenus dici poſſit *Auguſtinus non unius vel alterius, ſed ferè omnium Religionum fundator, exititit,*

*cæteris ferè omnibus vivendi regulam dedit* Inquit ubi ſupra Beatus Thomas à Villa Nova. Verus igitur ſol dici meretur, cui omnis terræ fæcunditas attribuitur : *Solem enim terrenæ eſſe fæcunditatis auctorem* determinat lib. 1. Saturnalium cap. 18 Macrobius.

Hunc igitur ſolem quilibet miſer peccator ob oculos ſibi ſtatuat. Quodſi enim id quod Auguſtinus poſtquam DEUM offendiſſet, fecit, attenta mente conſideraverit, utique exempli ſui lumine culparum, ſuarum noxiam umbram, in via ad cælum ſe impedientem poſt humeros ſuos retro projiciet. Nam ut Richardus à ſancto Laurentio ubi ſupra dicit : *Qui in ſolem defigit oculos à poſteriori ponit umbram ſuam.*



# PANEGYRICVS XXXIX.

## De Feſto Glorioſiſſimæ Nativitatis Beatiſſimæ ſemper Virginis Dei Genitricis MARIÆ.

## THEMA.

Liber generationis IESV Chriſti, Matth. 1. verſ. 1.

## ARGVMENTVM.

*Sapientia Divina Sanctiſsimam Matrem ſuam veluti librum quendam novum & admirabilem & unicuique perutilem maximeque neceſſarium, ad mundi eruditionem, pellendaſque humanæ ignorantiæ tenebras, in mundi lucem edidit.*

1. Mundus hic præſens veluti famoſiſſima quædam Bibliotheca, tot refertus eſt libris quod illum Deus creaturis adornavit & replevit. Cælum enim amplus quidam liber eſt; Libri ſunt, ſol, luna, & omnes ſtellæ; Libri ſunt terra, arbores, & quæ terram incolunt animalia. Libri ſunt mare, aquæ & piſces qui aquis maris innatant. In hiſce libris divina potentia, ſapientia, bonitas & quicquid in Deo eſt oculis noſtris occultum ampliſſimis deſcriptum literis clare & perſpicue legitur, imo videtur: teſte Apoſtolo ad Romanos. 1 verſ. 20 qui dicit: *Inviſibilia enim ipſius à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus, & divinitas.* In hiſce libris Magnus Antonius gnaviter ſtuduerat, miroſque progreſſus fecerat, prouti certo cuidam Philoſopho profundam ejus Philoſophiam obſtupeſcenti, eumque unde tantam hauſiſſet doctrinam interroganti, reſponderet. In hanc celebrem famoſamque Bibliothecam, tot inter præſtantiſſimos libros Deo quoque ſanctiſſimam & glorioſiſſimam Matrem ſuam, veluti novum, rarum præſtantiſſimumque librum collocare complacuit. *Hodierno die*, inquit ſanctus Joannes Damaſcenus ſerm. 1. de Nativitate Beatæ Virginis, *is qui omnia fecit, verbum, quod Pater è pectore eructavit, librum novum condidit, Dei lingua à*

ſpiritu,

*ſpiritu, tanquam calamo quodam, in ipſo conſcribendum.* Cui proinde merito cedere debent libri univerſi, cum enim Deus aliis libris ſuas inſcripſerit proprietates, in hoc, ut ab oculis noſtris mortalibus legi & videri poſſet, ſemetipſum deſcripſit. Unde ſanctus Epiphanius de laud. Beatæ Mariæ B. Virginem hiſce verbis alloquitur: *Tu liber es incomprehenſus, qui verbum & filium Patris mundo legendum exhibuiſti.* De hoc libro juxta interpretationem Richardi à ſancto Laurentio ſerm. ult. de Nativitate Beatæ Mariæ, ſanctus Matthæus Evangeliſta cap. 1 verſ. 1. loquitur dicens: *Liber generationis Ieſu Chriſti.* De hoc libro nos quoque in præſenti Panegyrico tractaturi ſumus, ut ejus demonſtremus & admiremur excellentias, venuſtates, oſtendamuſque quam fuerit mundo ad pellendas humanæ ignorantiæ tenebras neceſſarius & utilis.

2. Quodſi inprimis ad materiam, unde hic liber formatus fuit, attendere velimus, inveniemus illam haud quaquam eſſe potuiſſe elegantiorem aut pretioſiorem. Noſtiſne rationem ob quam codex aliquis, liber vocetur? Quia nimirum libri antiquitus ex ligni viridis cortice ſeu veſte formari ſolebant, qui cortex latino vocabulo liber vocabatur (*Librum virentis ligni vocamus exuvias*, inquit Caſſiodorus lib 11. variarum Epiſt. 38.) Unde nunc libri nomen ad omnes libros traducitur, tametſi ex alia materia formatos. Cum igitur Deipara Virgo liber fuerit: *Liber Generationis Ieſu Chriſti*, conſequenter juxta hanc ſignificationem quidam ligni viridis cortex ſeu amictus fuit. Quodnam autem eſt hoc viride lignum, cujus Beata Virgo amictus extitit? Deus nimirum incarnatus, huic enim ita appellare complacuit, quando devotas Jeroſolymæ mulieres, ut non ſuam mortem, ſed ſua ipſarum mala deflerent admonens, ſubjunxit, Luc. 23 verſ. 31. *Si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet: ſe lignum viride appellavit*, inquit ſanctus Gregorius apud ſanctum Thomam in Catena ibidem. Beata Virgo Dei veſtis fuit, utpote quæ proprio ſuo ſanguine, propriaque carne altiſſimum veſtire promeruit. Quia vero hæc Dei veſtis adeo eſt decora, ut non ſolum decora, in concreto, ſed ipſiſſimus appelletur decor in abſtracto teſte Davide, Pſalm 92 verſ. 1. *Dominus regnavit decorem indutus eſt*, conſequenter liber quidam, ſeu veſtis eſſe debuit adeo pulchra & elegans, ut ipſiſſimum repræſentarit in abſtracto decorem, ideoque non decora tantum, ſed ipſemet decor eſſe & dici meruerit.

3. Ab arborum corticibus tandem lapſu temporis eo deventum eſt, ut libri ex papyro fierent herba nimirum junco perſimili, medullam habente omnino candidam; Eaque papyrus dicitur, quia in Ægypto ubi naſcitur, lampadum ſeu lucernarum ſtupæ ſeu lychni ex ea ſolent fieri. Unde *Papyrus* idem ſignificat, quod *Pabulum, pyros, id eſt, ignis*, inquit lib 12. Moralis Reductorii cap. 122. Petrus Berchorius. Atque ideo ex jam dictis patet Beatam Virginem, quendam ex papyro formatum librum cenſendum eſſe. Etenim quis eſt qui ignoret, Deum qui ignis conſumens dicitur, ſummo puritatis, humilitatis & virginitatis ſuæ candore captum & illectum de cælo in terram eo fine deſcendiſſe, ut ab ipſa nutriretur, idque non ſolum quamdiu ejus erat utero clauſus ex puriſſimo ejus ſanguine, verum etiam poſtquam eum ex utero ſuo enixa erat cæleſti ſuo lacte. Niſi enim ipſa papyrus fuiſſet, id eſt, niſi adeo fuiſſet candida, pura, ſpecioſa, humilis & caſta, digna neutiquam fuiſſet, ut aliquod ſuper cæleſti huic igni miniſtraret, aut fieret pabulum.

4. Porro quia Eumenes Rex bibliothecam aliquam illi conſimilem quam Ptolomæus Philadelphus erexerat, in qua ut Polydorus Virgilius de inventoribus rerum lib 2. cap. 7. refert, quinquagies mille ducenti, aut vero ut Oroſius ſcribit quadringenties mille libri erant, erigere deſiderans, chartam ob denegatam ſibi à Ptolomæo Papyrum, formare non poſſet, multa excoriavit animalia, deque pelle inde facta chartam formavit, quæ hodie Pergamenum dicitur à Pergamo, ubi primitus adinuenta fuit. Ex qua inventione perſpicuè videtur qualiter non ſolæ arborum cortices, nec ſola papyrus, verum etiam animalibus mortuis detractæ pelles librorum materia fuerint. Etenim nec hæc materia magno huic Deiparæ Virginis libro defuit. Quodſi enim ſacrum ejus uterum bene conſideraveritis? Illum vere chartam quandam pergamenam fuiſſe comperietis *Vterus Virginis eſt charta pergamena*, inquit Beatus Thomas à Villa Nova Conc. 1. Nativit. B. V. Ut enim digna fieret, in quam divinum illud verbum deſcriberetur, adeo mortificata, imo mundo mortua fuit, ut de carne nihil præter pellem haberet.

Unde Chriſtus Davidis ore de ſanctiſſima Matre ſua loquens, ubi ſecundum lectionem vulgatam Pſalm 39. verſ. 9. dicit: *In capite libri ſcriptum eſt de me*, alii vertunt: *In membranis ſcriptum eſt de me*, quaſi diceret: Deſcriptus ſum in pelle mortua, & à carne ſua diviſa; hoc enim ſignificat membrana. Adeo Beata Virgo mortificata erat, ut corpus ejus de carne, ut aliorum hominum corpora, coagmentatum minime eſſe videretur. Hoc enim fine factum eſt, ut priuſquam divina ſcriptura in ſacro ejus imprimeretur utero, Spiritu Sancto adimpleretur, prouti dixerat ſanctus Gabriel Archangelus Luc. 1. verſ. 35. *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te & virtus altiſſimi obumbrabit tibi.* Tunc enim Spiritus Sanctus eam ab eo quod habebat in carne adeo purgavit, ut quaſi ſpiritualizata, ut de carne præter pellem forinſecus aliud nihil haberet, ipſamque hac ratione nobile quoddam ac delicatiſſimum reddidit pergamenum. *Spiriritus enim Sanctus ſupervenit in eam*, inquit Richardus à ſancto Laurentio lib. 5. de Laudibus Beatæ Mariæ & *ſic eam veſtivit deſuper quod totum quod in ipſa erat carnale, abſorptum eſt à ſpiritu, & carnalitate mortificata, ſolus in ea dominabatur ſpiritualis affectus.*

5. Denique poſt aliquot tempora charta illa adinventa fuit, è qua hodie libri communiter formari ſolent, facta nimirum ex ſcrutis, ac vilibus & inutilibus lini petiolis, difficile quoque prorſus non erit, librum Deiparæ Virginis ex hac quoque materia formatum fuiſſe, oſtendere. Dicite mihi, quidnam Deipara ſanctiſſima in oculis ſuis adeo vilis, humilis, & inutilis aliud quam viliſſimum quoddam ſcrutum erat? *Materia vilis Maria oſtendit profundam humilitatem*, inquit Bartholomæus Piſanus Lib. 1. de vita & Laudibus Beatæ Mariæ fructu 2. Beatiſſima Virgo adeo in oculis ſuis & corde ſuo vilis erat & humilis, ut in eademmet hora, quia DEI Mater, Regina Angelorum totiuſque mundi facta erat Domina, ſe ſervam nominaverit & ancillam, quæ ab omni familia contemptui haberi ſolent. Unde ſcruta hæc in ipſa adeo DEO complacuerunt, adeoque fuerunt in divinis oculis pretioſa, ut inde chartam fieri decreverit, cui verbum inſcriberetur incarnatum veſtiſque texeretur qua ipſe veſtiendus & nunquam, ne in ipſis quidem cælorum feſtis & gaudiis in Angelorum Sanctorumvè conſpectu exuendus erat.

6. Charta cujus hodierno tempore vulgaris eſt uſus, non minus eſt pulchra & delicata, quam olim turpis & groſſa fuit illa, cujus olim apud veteres uſus erat. Et quidem merito pulchra eſſe debebat; Neque enim conveniens fuiſſet, ut pulcherrimæ illæ tot ſapientum atque illuſtrium virorum ſententiæ, in turpi, abjecta, & vili exprimerentur, aut expreſſæ conſervarentur materia. *Erat indecorum fateor*; ſcribit Caſſiodorus ubi ſupra, *Doctos ſermones committere tabulis impolitis, & in veternoſis nomalibus imprimere, quod ſenſualitas poterat elegantius reperiri.* Cæleſtis ille Deiparæ Virginis Liber de charta, non vero alia groſſiori olim uſitata materia efformari debebat. Decentiſſimum erat, ut pulcherrima eſſet, in quam divinum & incarnatum ſcribi verbum debebat, ſeu is qui ut dicitur Pſalm. 44. verſ. 3. *Eſt ſpecioſus forma præ filiis hominum*; Imo adeo pulchra eſſe debebat, ut omnem quæ ſive in cælo ſive in terra erat, pulchritudinem longè ſuperaret, ſicut de facto fuit. Ob hanc tantam ejus pulchritudinem à DEO ſumme deſiderata fuit, teſte Davide Propheta Pſalm. 44. verſ 12. dicente: *Concupiſcet Rex decorem tuum.* Ob hanc eximiam ejus pulchritudinem, erat, uti Richardus à ſancto Laurentio ubi ſupra inquit: *Angelis admiranda, & non ſolum delectabat, ſed & divinos provocabat aſpectus.*

7. Magnus hic liber, ut divinam in ſe ſcripturam mereretur recipere, nonniſi ex charta factus eſſe debebat. Ipſam namque niveam in ſe candorem & puritatem exprimere, conveniens erat, qualis in charta communiter cernitur; Unde chartam Caſſiodorus ubi ſupra. *Viſcera nivea virentium herbarum eſſe dicit.* Niveus & non alius fuit candor & puritas Beatiſſimæ Virginis Mariæ. Candor enim nivis naturalis eſt, atque ab aliarum artificioſe dealbatarum rerum candore longe diverſus. Cum enim nix, ſicut & alia naturaliter alba & candida ſemper candida, nunquam vero impura & defædata fuerint, è contra ea quæ per artem candida facta ſunt, priuſquam candore & albedine infecta imbuerentur, conſpurcata & impura fuerint; niſi enim commaculata fuiſſent, artificia

albedine,

albedine, minimè imbuiſſet. Candor Virginis Mariæ candor fuit niveus: *Viſcera nivea* Naturalis non artificialis fuit ejus puritas, ut digna eſſet quæ magni Dei magna mater fieret. Puritas ejus non fuit ejuſmodi qualis eſt illa cæterorum ſanctorum puritas poſt macularũ & fœditarum nonnullarum expurgationem à divina gratia introducta, ſed naturalis & animæ ſuæ innata, cum nulla unquam cujuſcunque culpæ etiam originalis fœditas aut turpitudo ex particulari ejus privilegio in ea fuerit inventa. Semper alba, ſemper candida, ſemper nivea, imò ipſamet fuit *nive candidior*, ſic enim à D. Hieronymo fuiſſe dicitur.

8. Attendendum etiam quod S. Ephrem de Laudibus B. Vi. Deiparam Virginem laudaturus eandem voce *chartam diviniſſimam*; atque præcipuè obſervandum, quod illam non abſolutè chartam, ſed chartam appellet diviniſſimam. Cur obſecro diviniſſimam Chartam ipſam nominat? Nimirum ut per hoc Epithetum nobis haud obſcurè inſinuet, ipſam non chartam eſſe terrenam, quali nos homines hic in terris utimur; nec dici debere chartam Regalem, Imperialem, Papalem, aut ſimilem cujus moderno tempore uſus eſſe ſolet; Nec appellari poſſe chartam Auguſticam, Labianam, Nierathicam, Temerticam, Salticam, Cornelianam vel Emporeticam, quibus olim veteres utebantur, ſed chartam diviniſſimam. Valdè namque inconveniens fuiſſet, adeò divinam ſcripturam chartæ alicui terrenæ imprimi, utporè quæ in chartam quoque divinam imprimi & explicari debebat, atque ideo ut divinum verbum in ſacris Beatiſſimæ Virginis viſceribus dignè reciperetur, Deus illam veluti deificavit, & divinam reddidit. *Quod fœmina conciperet & pareret DEUM, oportuit, ut ſic dicam, elevari ad quandam æqualitatem, divinam per quandam quaſi infinitatem perfectionum & gratiarum, quam æqualitatem creatura nunquam expertæ eſt*, inquit Sanctus Bernardinus pagina prima ſermone ſexageſimo ſexto articulo primo capite duodecimo. *Charta diviniſſima.*

9. Porrò ſi poſtquam libri hujus materiam accuratè examinavimus, formam quoque ejus diſpicere velimus, parvulum illum, omnibuſque poſſibilibus ornamentis ornatum deprehendemus. Cum enim liber quidam ſit: *Liber generationis Domini noſtri JESV Chriſti*, non verò Codex, parvus quoque & modicus fuerit neceſſe eſt. Nam Codex multos libros, multa volumina facientes ſignificat; *Liber* è contra unicum tantum librum, unicum duntaxat volumen conſtituentem importat. *Codex multorum librorum eſt, Liber unius voluminis*, inquit Sanctus Iſidorus libro ſexto Ethym. capite duodecimo. Verum inquies fortaſſe, quomodo liber hic parvus eſſe potuit, cum in eo verbum immenſum & incompræhenſibile, cujus ſcripturam nec cælum nec terra, ſi ambo hæc in chartam forent converſa, capere poſſent, expreſſum & ſcriptum fuerit? veruntamen id quod univerſus mundus in chartam tranſmutatus non poſſet recipere, Spiritus Sanct. libri hujus eximius ſcriptor in tam parva & modica charta potuit explicare. Fuit liber hic ob ſui parvitatem miraculoſus. Longè ab eo diverſus qui in Bibliotheca quadam Conſtantinopolitana conſpicitur, cujus folia Draconis cujuſdam viſcera erant, in cujus inteſtinis omnes deſcriptæ erant Homeri Iliades & Odiſſeæ. Alius etiam ab illo qui ejuſdem Poëtæ opera ita ſuccinctè & compendioſè deſcripta continebat, ut unius nucis cortex complecteretur univerſa. Longè quoque à parvo illo denario differens, in cujus una parte clarè & diſtinctè, ſine cifris aut abbreviaturis deſcriptum cernebatur Evangelii Sancti Joannis caput primum, in altera verò exaratum erat ſymbolum Apoſtolorum. Quantumvis autem liber hic parvus ſit & modicus, ob magni ſcripturæ tamen ſuæ intus contentæ magnitudinem & excellentiam prorſus eſt admirabilis. Unde Beata Virgo quoque ab Eccleſia *Mater admirabilis* vocitatur. Verè enim ſummèque admirandum fuit, quod cum una ex parte adeò eſſet parva & modica, ex parte tamen altera rem aliquam complecti potuerit infinitam & immenſam. *Mater admirabilis.*

10. Nunc libri hujus ornamenta perluſtremus. Inter cætera quæ in ſacris libris requiruntur eſt ornamentum illorum extrinſecum; Unde plerumque multis ſunt coloribus depicti & figurati nonnunquam etiam auro & argento nec non & gemmis mirè exornati. Cum enim interius res in ſe pulcherrimas contineant, dignum quoq; eſt, ut ad judicandam venuſtatem interiorem, exterius quoq; pulchri eſſe conſpiciantur. *Ut literarum ſacrarum pulchritudinem facies deſuper decora.*

*decora veſtiret* inquit Caſſiodorus de divinis lectionibus capite 30. Ubi rationem adfert cur libri ſacri communiter deforis ſumptuoſiſſimè quoad fieri poteſt exornari ſoleant. Tales tempore Sancti Hieronymi libri Eccleſiaſtici erant. Unde libro 2. capite 8. in Zachariam inquit : *Habemus divinos libros auratos, & purpuratos, & gemmarum varietate diſtinctos.* Unde qua in libro Beatiſſimæ Virginis verbum illud ſacroſanctum exarandum erat, per quod omnia ſacra ſunt & ſancta, cujus venuſtas omnem pulchritudinem & ſpeciem incomparabiliter ſuperat; à quo denique veluti ab univerſali omnis ſpeciei & pulchritudinis datore, quicquid pulchrum eſt aut elegans omnino dependet; illud inquam verbum quod divinus Dionyſius de divinis nominibus capite 4. p. 1. appellat : *Pulchrorum pulchrum, & per omnia pulchrum, & ſuper omnia pulchrum, & univerſi pulchri principalem pulchritudinem*; Conveniens omnino erat ut ipſa quoque omnem haberet decorem, omneſque pulchritudines & excellentias omnibus aliis ſanctis conceſſas, idque cum aliqua ſupereminentia, prouti de facto quoque habuit. *Voluiſti ſiquidem filius*, inquit Richardus à Sancto Laurentio libro 3. de Laudibus Beatæ Mariæ. *Ut de omni ſanctorum ſpecioſitate participaret Mater tua imò univerſam ſanctorum pulchritudinem excederet.* Atque hæc formæ ſpecies & elegantia tam in interiori animæ ſubſtantia in conſpectu Dei & Angelorum reſplendebat, quam in exteriori corporis ſuperficie hominibus admirationi erat. *Verè procul dubio credendum*, inquit Angelus ad Sanctam Birgittam in Revelatione ejuſdem ſanctæ ſerm. Angel capite 13. *quod ſicut ipſius Anima coram Deo & Angelis erat pulcherrima, ita ejus corpus in cunctorum oculis eam intuentium erat gratiſſimum.*

11. Tametſi divina figura cunctis in terra hominibus, & Angelis in cælo impreſſa ſit. Unde Pſalm. 4. verſ. 7. homo Deo dicit : *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Et DEUS Ezech. 28. verſ. 12 Angelo dicit: *Tu ſignaculum ſimilitudinis.* In nulla tamen ex omnibus hiſce creaturis divina figura adeò vivaciter & naturaliter expreſſa conſpicitur, ſicut in beatiſſima Virgine Deipara Maria. Ita enim ipſa divinam figuram ad vivum refert, ut cum alii homines per figuram illam Deo tantum ſimiles exiſtant, ipſa quaſi Deificata fuiſſet, quædam, ut diximus, videbatur eſſe Dea. Quando DEUS Cantic. 8. verſ. 6 ei dixit : *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum*, tunc propriè ſuper quamvis aliam creaturam divinam in ſe figuram ad vivum clariſſimè & expreſſiſſimè meruit recipere. *Hoc ſignaculo*, inquit Richardus à Sancto Laurentio libro 9. de Laudibus Beatæ Mariæ, *impreſſus eſt ei decor divinæ ſimilitudinis expreſſius, quam alicui creaturæ.* Fuit inſuper magnus hic liber imagine ſancti ſanctorum pulcherrimè figuratus, atque ipſiſmis ſummi & æterni pictoris, eo quod opera ejus artificioſiſſima & elaboratiſſima ſint formatus & explicatus, ut hac ratione ſpectantium oculis magis magiſque placeret.

12. Nulla me urget neceſſitas, ut ſacrum hunc librum deauratum variiſque coloribus depictum fuiſſe demonſtrem, cum hic libri ornatus ab ipſomet Davide Rege Pſalm. 44 verſ. 11. ſufficienter fuerit expreſſus, dicente: *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato.* Nunc igitur qualiter fuerit gemmis ornatiſſimè diſtinctus, videmus. Richardus à Sancto Laurentio vult verba illa quæ Deus Ezech. 28. verſ. 13. Lucifero dixit, nimirum : *Omnis lapis pretioſus operimentum tuum*, Beatæ Virgini majori cum proprietate, quem Lucifero applicari poſſe priuſquam corrueret : *Multò melius attribui debent Virgini quam Lucifero.* Quamobrem? Cum enim lapides pretioſi expreſſa ſint virtutum ſymbola, eo ipſo quo Beata Virgo majoribus & excellentioribus virtutibus quam Angeli cæleſtes dotata & prædita fuit, glorioſius quoque quam cæleſtes ſpiritus pretioſiſſimis fuit gemmis adornata. In ipſa namque admirabiliter Achates reſplendebat Virginitatis, Jaſpis contemplationis, devotionis Hyacinthus, Margarita caſtitatis, Adamas fortitudinis, amoris Dei & proximi rubinis, Sapphyrus humilitatis, ſpei Smaragdus, aliæque plures admirandæ & quaſi infinitæ virtutes. Liber itaque fuit, ad inſtar ſacrorum librorum omni ex parte gemmis ornatiſſimus.

13. Tanta eſt inter gemmas virtutem Beatiſſimæ Virginis & Angelorum ac ſanctorum differentia, ut major eſſe prorſus nequeat. Cum enim virtutum in aliis ſanctis gemmæ ſint modicæ

dicæ

dicæ valdeque minutæ, ipſius ſunt ingentes & magnæ, ad inſtar Topacii illius quem in ſua Gaza habebat Rex Ptolomæus, unde ſtatua quædam quatuor cubitos magna efformari valebat. Id quod clarius intelligere poſſumus, ſi poſtquam librum hunc deforis ſive exterius perluſtravimus; eundem quoque quoad interiora illius videamus, & a gemmarum conſideratione tranſeamus ad conſiderationem literarum, quas in ipſa idem quem gemmæ referunt expreſſit. Attendendum igitur, quod Iſaias Propheta libro iſthoc die quadam interius perſpecto, illum grandem appellare non dubitaverit: Iſaiæ octavo verſu primo: *Sume tibi librum grandem, & ſcribe in eo ſtylo hominis.* Cur obſecro librum illum grandem vocitat, cum uti diximus parvus adeo & modicus fuerit? Ob literarum eidem libro impreſſarum magnitudinem. Verum quidem eſt librum hunc parvum eſſe ob ſuam humilitatem, magnus tamen eſt ob literarum quantitatem quæ eidem inſcriptæ conſpiciuntur. Quia enim grandibus conſcriptus & exaratus eſt literis, ideoque grandis liber jure meritò nuncupatur ac vocatur. Adeo hæ literæ, id eſt, virtutes benedicti libri hujus grandes fuere ut ipſarum explicari quantitas & magnitudo nequaquam poſſit. *Ideo liber grandis*, inquit idemmet Richardus à ſancto Laurentio ſermone ſecundo de Nativitate Beatiſſimæ acGlorioſiſſimæ Virginis, *quia ſcriptus groſſis literis, ſiquidem Mariæ innocentia una groſſa eſt litera, ſic & ejus humilitas, virginitas, fœcunditas, paupertas, charitas, miſericordia, pietas, patientia, & hujuſmodi Singula enim virtutes ipſius, ſingula litera iſtius libri ſunt*

14 Etenim ipſamet quondam cum DEO Ter Optimo Maximo de admirabilibus hiſce literis, in libro animæ ſuæ divina manu exaratis loquens, dicere debuit, Lucæ cap. primo verſu quadrageſimo nono. *Fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus.* Id eſt, Magnæ fuerunt quas Deus in anima mea formare dignatus eſt virtutes obſervandum autem ipſam quidem eas magnas fuiſſe dicere, quam magni autem hi characteres fuerint nequaquam explicare. Cur autem illorum magnitudinem aut quantitatem luce meridiana clarius non exprimit? Ideo nimirum, quia adeo ſunt grandes, ut humanarum ingenium ad illos legendos & intelligendam eorundem magnitudinem pertingere nequaquam poteſt. Librum illum qui ad dexteram Agni conſpiciebatur, nemo videre, nedum legere poterat. Unde Præcurſor Chriſti ſanctus Joannes Apoſtolus Apocalypſeos primo, verſu primo & quarto effuſe & amare flebat dicens: *Vidi in dextera ſedentis ſuper thronum librum ſcriptum intus & foris, ſignatum ſigillis ſeptem: & ego flebam multum, quoniam nemo dignus inventus eſt aperire librum, nec videre eum* Liber hic ſecundum eundem Richardum Deiparam Virginem Mariam ſignificabat, cujus literæ ob ſummam ſuam vaſtitatem, à nemine legi poſſunt, præterquam à Chriſto & ab iis quibus eas Chriſtus dignatus eſt revelare. *Nemo novit Matrem*, inquit ibidem hic Doctor, *niſi filius, & cui voluerit filius revelare.* Unde Sanctus Joannes utpote Beatiſſimæ Virginis filius amantiſſimus, eique addictiſſimus, utpote cui nihil adeo in votis erat, quam ut pro majori matris gloria virtutes ejus omnibus innoteſcerent & celebrarentur ab omnibus, eaſdem inexplicabiles videns inconſolabiliter flebat. *Ego flebam multum.*

15. Notandum inſuper ac obſervandum librum hunc ſeptem ſigillis fuiſſe clauſum: *Signatum ſigillis ſeptem* nec plura nec pauciora quam ſeptem ſigilla librum illum claudebant. Cum autem ſeptem præciſè erant? Ut hac ratione inſinuetur, nullam inveniri ſcientiam poſſe, quæ altiſſimos ejus characteres legere poſſit, aut intelligere. Sicut enim ſeptem ſunt ſcientiæ liberales, nimirum, Grammatica, Logica, Rhetorica, Arithmetica, Geometria, Aſtrologia, & Muſica, ita quoque ſeptem ſigilla erant, characteres libri hujus omnibus ſcientiis occultantes; Nulla enim illarum per regulas & propoſitiones ſuas admirabilis libri hujus lectionem aſſequi poterat Grammatica enim in hoc libro æternum temporalem, immenſum menſurabilem, immortalem mortalem factum eſſe conſpiciens confundebatur. *Non video, inquit Grammatica*, verba ſunt Joannis Gerſonis ſermone de Nativitate Chriſti, *qua ratione aut nominum impoſitione æternus habere incipiat durationis initium, immenſus menſuram, impotentia mortalitati que defectum.* Logica quoque in hoc libro hominem aliquem cernens, qui ſimul DEUS ſit & homo, in ſemetipſa quoque ut idem Doctor dicit, confunditur, utpote quæ ſimilem in chartis ſuis Doctrinam non invenit. *Logica*

*inquit, qualiter hic terminus, homo, qui ſpecies ſpecialiſſima eſt, de pluribus ſpecie & pluſquam ſpecie differentibus verificari contingit: Hoc prædicabilia mea, hoc prædicamenta non habent* Rhetorica ſimiliter eo ipſo quo dicit: *Si mulier peperit, corrupta eſt; ſi genuit, à viro cognita eſt.* Virginem al quam gignere aut parere nequaquam poſſe, ſufficienter ſe concluſiſſe aut perſuaſiſſe credit: Demum vero Beatiſſimam Deiparam ante & poſt partum virginem permanſiſſe conſpiciens, præ cæteris maxime ſe confuſam depræhendit. Arithmetica ſimili modo confunditur, dum duas naturas integras, & reales in uno ſuppoſito numerari, & in hujus libri chartis conjungit. *Arithmetica contra ſuam fatetur eſſe perſpicaciam, quod in Deo partium computetur numero, quod duæ in eodem ſuppoſito naturæ integræ connumerentur.* Geometria quoque dum corpus aliquod quantitativum per aliud ſimile corpus ſine diviſione aut ruptura egredi conſpicit, incredibiliter confunditur, & præ omnibus aliis ſcientiis admiratur: *ſtupet Geometria quantitatem majorem corporis Chriſti, per aliam uteri virginalis clauſi quantitatem abſque diviſione progredi,* inquit idemmet Doctor Gerſon. Aſtrologia inſuper quia ordinarios influxus quos in aliorum hominum nativitate in Infantes derivari, opinari, in divino hoc nato infantulo locum non habere conſpicit, quod reſpondeat neſcit: *Nullas hoc loco ſuarum perſonarum & calculationem, nullas conſtellationum vires Aſtronomia perpendit.* Muſica denique cantus Angelicos, Librum hunc miraculoſe explicantes, atque tam pro majori Infantuli gloria, quam matris illum parientis honorem utriuſque laudes in terra ſuaviſſime reſonantes audiens, prorſus obmuteſcit, utpote quæ ſimilem ſimphoniam nunquam hactenus perceperat. *Muſica,* inquit idem Gerſon, *nullos prius in terris angelicos cantus audierat.* Divinus igitur ſublimiſque & impenetrabilis ſapientiæ bajulus liber hic eſt, ad cujus characterem magnitudinem humanus erigi intellectus nequaquam poteſt: *Signatum ſigillis ſeptem:*

16. Etenim quia idem Apoſtolus librum illum intus & foris ſcriptum ac exaratum eſſe dicit: *ſcriptum intus & foris.* Ideo ſciendum eſt ipſum tunc foris literis aureis inſcriptum eſſe, quando Beatiſſima Virgo ſole amicta, luna calceata, & ſtellis viſa eſt coronata, prouti illam idemmet Apoſtolus vidit & Apocalypſeos duodecimo verſu primo deſcripſit, dicens: *Mulier amicta ſole, luna ſub pedibus ejus, & in capite ejus corona ſtellarum duodecim.* Pulcherrima Sol, Luna, & ſtellæ ſunt grammata; *O quam decora litera Sol, quam pulchra litera luna & ſtella?* inquit Beatus Thomas à Villa Nova Concione prima de ſancto Auguſtino. Hæc grammata in Beatiſſima Virgine erant, quaſi literæ quædam quæ foris in frontiſpicio libri explicari ſolent, ex quibus quid in interiori libri ſinu contineatur, innoteſcit. Ut igitur ſciremus Beatiſſimam Virginem in ventris ſui hoſpitio Deum habere incarnatum, forinſecus ſolis lunæ, atque ſtellarum grammatibus inſcripta fuit. Sic enim nos Nobilis, aut Baronis alicujus ſervos foris extra domum cernentes, inde Dominum illorum intus eſſe intelligimus: ita quoque nos foris circum Beatiſſimæ Virginis uterum Solem, Lunam, & ſtellas conſpicientes intelligere poſſumus illam intus geſtare Deum, *Cui Luna, Sol, & omnia deſerviunt per tempora.*

17. Fuit quoque liber iſte intus ſcriptus, non tamen in terra, ubi alii libri ſcribuntur; ſed in cælo, ubi myſteria adeo ſublimia, magna, & ardua, atque difficilia, quæ humanam Philoſophiam, naturalemque ſuperant intelligentiam duntaxat explicantur. Eodemmet enim tempore quo Spiritus Sanctus verbum æternum, atramento puriſſimi & virginei ſanguinis in candidiſſimis Beatæ Virginis inſcribebat viſceribus, animam quoque ejuſdem ſacratiſſimæ Deiparæ, ob humilitatis ſuæ profunditatem, in Paradiſo in tertium uſque cælum evexit, in qua tunc omnes ſcientiæ, cunctaque Redemptionis noſtræ myſteria longe perfectius, in Gentium Doctore Paulo impreſſa remanſerunt Hac de re Jacobum de Valentia in capite quinto Canticorum hunc in modum diſſerentem audite: *Per ſuam humilitatem & fidem meruit tranſcendere omnem humanam ſcientiam & Philoſophiam, quando fuit obumbrata per Spiritum Sanctum in ſua Annuntiatione, & rapta uſque ad tertium cælum: Ubi vidit arcana & myſteria Incarnationis, & noſtræ Redemptionis perfectius quam*

Paulus.

*Paulus* Admirabilis prorſus liber iſte fuit tanta taliquè ſapientia refertus, atque in Paradiſi prælo impreſſus.

18 Qui fit quod quando Chriſtus in cruce moriturus ſancto Joanni Apoſtolo veluti unico cordis ſui delicio, id quo nihil in terra pretioſius habebat, id eſt, ſanctiſſimam Matrem ſuam, Chariſsimi pignoris loco reliquit, ſanctus ille Apoſtolus tanta humilitate præditus, tunc tanta ſibi collata gratia, tam inſigni ſibi dato munere, tanta denique tanti filii matre non ſe reputaverit indignum? Cur Chriſto ſibi Joann. decimo nono verſu decimo ſeptimo dicente: *Ecce Mater tua*, non ſubito reſpondit: Quando ô Domine tanta matre unquam dignus ero? Matre inquam tali, cujus filius Deus eſt? Egone pauper & indignus peccator matrem vocabo eam, quam Angeli particulari ex gratia Dominam ſuam appellant? Egone in uno cum ipſa contubernio habitabo, cui in cælo ſuper omnes Seraphim ſuum præparatur palatium? Archiepiſcopus Florentinus ſanctus Antoninus quarta parte titulo decimo quinto capite ſecundo reſpondet, quod licet Apoſtolus ſe una ex parte nobiliſsimo iſthoc dono reputaverit indignum; magnam tamen ex altera parte conſiderans utilitatem & proventum, quam ex beatiſsimæ & immaculatæ Mariæ Virginis conſortio habiturus erat, eandem ſine ulla replica aut contradictione Chriſto propoſita, lætus ac hilaris in ſua recepit. *Etſi Joannes tali ac tam digniſſima matre ſe indignum agnoſceret; intelligens ſui profectum, cum omni reverentia ex illa hora accepit eam in ſuam ſcilicet matrem.* Apoſtolus namque videns quod DEUS librum quendam ei donaret, ex cujus aſſidua lectione & ſtudio ſublimiſsimus futurus Theologus erat, eo ſibi liberaliter donato, ne verbo quidem obmuſſitare quicquam voluit. Quiſnam adeo rudis & ignarus eſt, ut ſublimitatem & ſubtilitatem ignoret ejus Theologiæ quæ eſt in ſancto Joanne. Sanctus Auguſtinus Tractatu trigeſimo ſexto in Joann. Sanctum Joannem cum aliis Evangeliſtis conferens, ipſum *Aquilam* eſſe dicit, uti communiter vocari ſolet, collatam cum aliis animalibus à terra ſe elevare aut ſubvehere minimè valentibus: *Joannes Apoſtolus non immerito Aquilæ comparatur, altius, multoque ſublimius aliis tribus erexit prædicationem ſuam. Nam cæteri tres Evangeliſtæ, tamquam cum homine Domino in terra ambulant, iſtum ducem, quaſi piguerit in terra ambulare, erexit ſe non ſolum ſuper terram, ſed ſuper omnem ambitum aeris & cœli ſed ſuper omnem etiam exercitum Angelorum, omnemque conſtitutionem inviſibilium poteſtatum.* Admirabilem nunc ſuper omnes alios Evangeliſtas profectum ſanctus Joannes ex lectione ſua libri Beatiſsimæ Virginis hauſit, in quo cæteri fortaſſe unquam ſtuduère. *Non miror,* inquit ſanctus Ambroſius Libro de Inſtitutione Virginis capite ſeptimo. *Præ cæteris locutum myſteria divina, cui præſto erat aula cæleſtium ſacramentorum* quaſi diceret. Mirum mihi nequaquam eſt quod ſanctus Joannes cæteris Evangeliſtis altius atque ſublimius prædicaverit, in cujus domo tot divinorum myſteriorum Bibliotheca erecta fuit.

19. Altior, ſubtilior, atque profundior quam quæ unquam ſive in cælo ſive in terra audita fuit, Philoſophia eſt ea, quæ à ſancto Joanne capite primo verſu primo hiſce verbis traditur: *In principio erat verbum, &c.* Adeo enim profunda hæc Doctrina fuit, ut ſicut nonnulli volunt, & nos quoque alibi diximus, Philoſophia iſthæc ad ea uſque tempora ipſis quoque Paradiſi Angelis occultata fuerit. Verum enimvero quodſi ad primum hujus Theologiæ fontem reſpiciamus, illam non ſcriptam, ſeu deſcriptam, atque ex ſacratiſsimo Beatiſsimæ ac glorioſiſsimæ Virginis libro decopiatam ſeu tranſumptam fuiſſe comperiemus. Non tam mea quam ſancti Antonini eſt hæcce opinio; *Certum eſt,* inquit ſanctus Archiepiſcopus ubi ſupra capite vigeſimo ſecundo. *Mariam fuiſſe doctricem Joannis per quam pervenit ad illud ſcire ſupremum. Mater fuit facta Joannis; Matris eſt docere filium Et quia Deus noluit Matrem ſuam publicè prædicare, omnium mulierum norma futura, quibus prædicare non licet; dedit Mariæ, ut Joannes filius edoctus ab ea per orbem poſtea verbum diſſeminaret divinum.* Quicquid ſanctus Joannes alti & profundi prædicavit & ſcripſit, id totum ex divino Deiparæ Virginis libro tranſumpſit.

20 Joannis ſexto verſu ſexageſimo nono refertur quod Chriſto admirabile illud Euchariſtiæ Sacramentum, publicante & promittente in quo homo diviniſsimam carnem ſuam manducaturus, bibituruſque erat pretioſiſsimum ſuum ſanguinem viſa fuerit opulenta hæc & dives promiſsio nonnullis res quidam dura & barbara,

bara, ita ut ipſum deinceps more ſolito conſectari detrectarint. Porro ſanctus Petrus, qui inter cæteros ſublimis hujus diſcurſus auſcultatores unus fuerat non ſolum cum aliis a Chriſto diſcedere noluit, verum etiam Chriſto ipſum, num abire vellet, interroganti, libere reſpondit: *Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes, & nos credimus.* q. d. Diſcedat a te ô Domine quiſquis volet, me quod attinet, è latere tuo nequaquam ſum receſſurus, verborum enim tuorum veritati firmiter credo, ſciens quod tu vere ſis panis vitæ æternæ, pro noſtra ſalute ad nos miſſus. Quis obſecro profundum hocce myſterium Apoſtolo revelavit, ad cujus lucem intellectus humanus haud ſecus ac noctua ad lumen ſolis caligare dignoſcitur? Joannes Gerſon Tractatu nono ſuper Magnificat reſpondet, id ei interius quidam a Deo revelatum eſſe, exterius vero edoctum eſſe per nutus a Beata Virgine, quæ una cum Apoſtolis diſcurſui huic præſens aderat: *Reſpondit Petrus intus illuminatus à Patre, fortaſſis & à Magiſtra aſtante nutibus & ſignis admonitus.* Vere igitur admirabilis liber eſt B. Virgo Maria; Liber qui profundiſſima complectitur fidei noſtræ myſteria, eademque pro communi hominum utilitate revelat & docet.

21 Quicquid olim ſciverunt omnes Apoſtoli, & Evangeliſtæ, omneſque primitivæ Eccleſiæ Doctores, ex hoc libro legiſſe & didiciſſe videntur. Sanctus Ignatius Martyr dum in Epiſtola ad ſanctum Joannem Apoſtolum Beatiſſimam Virginem Deiparam adhoc viventem videndi licentiam ab eo afflagitaret, eandem non ſine cauſa appellavit: *Noſtræ Religionis Magiſtram*, id eſt, Magiſtrum eorum omnium, qui Chriſtianam profitentur fidem, & in Jeſum Chriſtum credunt. Quicquid enim nos per fidem ſcimus & confitemur, id totum ab illa poſt divinum filium ſuum edocti ſumus. Ab ejus ore didicimus quicquid Apoſtoli aliique diſcipuli de noſtra Religione ſcripſerunt & prædicarunt. Ab ejus ore quilibet noſtrum accepit, quicquid poſtea cum tanta mundi utilitate ſparſum eſt in chartis & pulpitis. Ac proinde Homero merito comparanda venit, qui quod omnes univerſim Poëtæ tam Græci quam latini de ſuo acceperint, quicquid ſuis in Poëmatibus cecinerunt, à Palatone pictore veluti Poëmata evomens eſt depictus quem omnes per circuitum Poëtæ, ingeniorum vaſibus, quicquid ex ejus dimanabat ore recolligentes cingebant; Uti Cælius Rhodiginius ſcribit, Libro vigeſimo primo capite quadrageſimo quarto.

22. Inter cætera laudum encomia, quæ Sancta Mater Eccleſia Beatam Virginem celebrans eidem conſecrat, unum eſt, quo cæli porta appellatur. *Fœlix cœli porta.* Dic mihi cur Eccleſia ipſam Cœli portam appellat? Primo quia Deus in hunc mundum adveniens per ipſam veluti per portam introivit atque in noſtro conſortio vixit. Secundo quia per ipſam & precum ſuarum ſuffragia cælum beatificandi & cælelli gloria donandi ingredimur. Tertio ut ad præſens propoſitum noſtrum propius accedamus quia *Porta ab aſportando dicitur*, uti Richardo à ſancto Laurentio libro decimo de Laudibus Beatæ Mariæ placet, atque ideo Beatiſſima ac Glorioſiſſima Virgo porta nominatur, quia per illam ſecreta & ſacramenta cæleſtia à Deo in terram delata fuere. *Propterea enim dicitur porta cæli, quia per eam alia & ſacra cæli & ſcripturarum ac ſacramentorum myſteria reſerantur.* Inquit Sanctus Bernardinus ſerm. 61. art. 2. cap. 1. Per hujus libri lectionem didicimus quicquid in ſancta lege noſtra ſcimus & credimus. Per ipſam de cœlo ad nos egreſſa & allata eſt divina ſapientia, ipſa namque *fœlix cœli* dicitur *porta*.

23. Nemo eſt qui Chriſtum ſoli, Beatam Virginem autem Lunæ compararі neſciat. Chriſtus enim a Malachia Propheta cap. 4. v. 2. *Sol Juſtitiæ dicitur*: B. Virgo autem a ſponſo Cant. 6. verſ. 9. *Pulchra ut Luna* nominatur. Quænam autem eſt utriuſque hujus comparationis ratio? Quia nimirum tum a Chriſto, tum à ſanctiſſima ejus Matre mundus illuminatur. Sicut enim mundus diurno tempore à ſole illuminatur, tempore autem nocturno, ob ſolis abſentiam illuminatur à Luna: Ita quamdiu Chriſtus in hac mortali vita nobiſcum vivebat, ipſe omnes homines ſapientiæ ſuæ lumine illuminavit: Chriſto vero in cælos abeunte locum videlicet à terra remotiſſimum, Beata Virgo mundum illuminavit. Unde Richardus à S. Laurentio lib. 7. de Laud. B. M. de illa inquit: *Dicitur Luna, quia Luna Sole recedente mundum illuminat. Sole juſtitiæ aſcendente in cælum dimiſſa eſt Maria in mundo ad tempus, ut novellam Eccleſiam, quæ erat quaſi novus quidam mundus, ſuis illuſtraret exemplis, & inſtrueret documentis.* Ad eum fere modum quo Doctor aliquis è Schola diſcedere volens, diſci-

diſcipulorum ſuorum curam ne divagando oberrent, alteri Magiſtro cui Cathedram cedit, committit, ſimiliter Chriſtus in cælum aſcenſurus Cathedram ſuam Beatæ Virgini recommendavit, ut vice ipſius quos poſt ſe in terris relinquebat diſcipulos ſapientiæ ſuæ profunditate erudiret. Unde Beatus Thomas a Villa Nova concione tertia de Aſſumptione inquit: *Maria propter ſingularem & excellentem eruditionem, cæleſtis Magiſter ad Patrem, unde venerat; rediturus, ſcholam & cathedram ſuam reliquit, ut diſcipulos ſuos cæleſti ſapientia, quam ab eo didicerat, erudiret.* Poſtquam igitur Pater cæleſtis divinum Chriſti librum in cælorum Bibliotheca collocavit, Diſcipuli Chriſti, quicquid nos Chriſtus de ſanctæ fidei ſuæ myſteriis ſcire & noſſe voluit, ex hoc ſibi libro compararunt.

24. Niſi liber hic poſt Chriſti in cælos Aſcenſionem in hoc mundo manſiſſet reſiduus, Eccleſia utique longè majores à perverſis hæreticis paſſa ærumnas fuiſſet, quam nunc toleraſſe legitur. Niſi nos ſanctiſſima Deipara in iis, quæ ex fide credenda ſunt, ſolide erudiiſſet, hæreticæ pravitatis peſtilentiſſimus ſerpens, qui ſuo mundum veneno intoxicat, longus utique latiuſque in mundo proſerpſiſſet. Unde Eccleſia Beatiſſimæ Virgini non ſine cauſa dicit: *Gaude Maria Virgo, cunctas hæreſes ſola interemiſti in univerſo mundo*; Ipſa namque ſapientiæ ſuæ lumine fideles illuſtravit & erudivit tenebraſque errorum qui ab orco ſuſcitandi erant, ſola fugavit. Hæc itaque cauſa eſt cur Sol Juſtitiæ in cælum ſubvectus, lunam in terra ſuperſtitem eſſe voluerit. Beata Virgo enim, ut Sanctus Vincentius dicit, dum Chriſtum ex hoc mundo in Paradiſum commigrare velle vidit, eundem lachrimabunda dulciter precabatur, ubi ſibi in ejus fæliciſſimo conſortio cælorum regnum ingredi liceret. Chriſtus autem ex infinita pietate ſua utilitatem noſtram humanamque ſalutem, matris conſolationi præponens, manantes ex oculis ejus lachrimas abſtergens eidem dicebat. Erit aliquando tempus ô mea dulciſſima mater, quo meum in Paradiſo gaudebis nunc autem, ut loco mei in terris permaneas, neceſſum eſt, tum ut diſcipulorum ex meo ab illis receſſu vehementer dolentium mæſtos animos conſoleris & erigas, tum ut eoſdem fidei Chriſtianæ, myſteria edoceas, tum denique ut quas poſt meum ex hoc mundo diſceſſum multi perfidi hæreſiarchæ diſſeminaturi ſunt, falſas doctrinas diſſipes atque diſperdas: *Volebat Chriſtus*, inquit Sanctus hic Doctor ſermone de Aſcenſione *aſcendere in cælum ad Patrem, Virgo Maria dicebat ei cum lachrimis, ut placeret ſibi, quod ipſa aſcenderet cum eo Chriſtus verò detergens ſibi lachrimas, dixit: Mater benedicta, vos manebitis loco mei, conſolabitur Apoſtolos: & propter ſapientiam quam vobis dedi, deſtruetis hæreſes quæ inſurgent; propter hoc dicitur Virgini Mariæ: Gaude Maria Virgo, cunctas hæreſes interemiſti in univerſo mundo* En librum præſtantiſſimum, dignum nimirum cui præclarius hic præfigatur titulus: *Malleus hæreticorum.*

25. Porrò, ſicut in ſcriptis aut prælo editis libris multi committuntur errores, qui proinde poſtquam typis ſunt expreſsi, tandem in fine libri corriguntur, erratis omnibus, cum hoc titulo: *Errata ſic corrige* ad calcem libri rejectis. Ita nos quamdiu vivimus, velut totidem libri, multos committimus errores, atque ut in æternam cæli lucem edamus continua ſemper correctione egemus. Quantumvis enim in hic vita ſanctiſsimi & ſpeciales Dei amici, à magno tamen illo correctore, qui ut eſt in Pſalmo 93 verſ. 10 *corripit gentes* corrigi ſemper indigemus, ne in ſacroſancta illa æterni Patris inquiſitione veluti falſi, heterodoxi atque æterno igne digni, abjiciamur & reprobemur: Unde Gentium Doctor Sanctus Paulus primo Corinth. undecimo dicit: *Dum judicamur à Domino corripimur ut non cum hoc mundo damnemur.* Non igitur videamus num immaculatus hic Deiparæ liber aliquam habuerit correctionis neceſsitatem: Nullam prorſus, imò verò magnus hic liber adeò fuit ſollicitè & curioſè ſcriptus & impreſſus, ut nullus unquam in eo error, tametſi minimus, depræhendi aut corrigi potuerit. Cur etenim illam *Mariam* (quod nomen *ſtella* interpretatur) appellatam eſſe exiſtimatis? Quia videlicet veluti ſtella quædam in cunctis actionibus errare nunquam potuit. *Dicitur ſtella quia nullus in ipſa error fuit*, inquit Archiepiſcopus Genuenſis Jacobus de Voragine ſermone tertio de Nativitate Beatæ Mariæ; *ſtellæ enim in ſuo motu errare non poſſunt, cum moveantur à Deo motu ſibi concreato.* Et quidem

quomodo aliquis hoc in libro nævus aut error reperiri potuit, qui pro errorum deſtructione impreſſus atque in lucem editus fuit?

26. Etenim tametſi in nonnullis magnæ raræque ſanctitatis viris nullus umquam depræhenſus fuerit error actualis, originalis tamen à primo parente noſtro Adamo in illos transfuſus error, eiſdem nunquam defuit, ob quem ſolum, ut in magna illa gloriæ Bibliotheca collocari mererentur, correctione indigebant: ſatet autem hic Marianus liber, ex particulari quodam privilegio, adeò ab omni errore liber & immunis extitit, ut ne quidem ille ab Adamo in omnes alios transfuſus error depræhendi in eo potuerit; nimirum Chriſtus, & ſanctiſſimam matris ſuæ animam a quavis impuritate ſervaret immunem, ab hoc illam errore præſervare voluit, prouti alibi prolixè à nobis traditum fuit. Eodem met tempore, quo omnes mortalium animæ, in aquis originalis culpæ quaſi in univerſali quodam diluvio, ſubmerſæ, atque Diaboli, communis nimirum adverſarii noſtri manibus expoſitæ fuere, Chriſtus ſanctiſsimam matris ſuæ animam ſuſtinebat in alto, atque ex eodem naufragii periculo præſervabat. Porrò quando Chriſtum matris ſuæ præſervatorem conſidero ac perpendo, Julium Cæſarem Romanorum Imperatorem pro eo tempore mihi videor conſpicere, quo ad omnem exercitus ſui militem, & quicquid ab hoſtibus reportatæ prædæ in manibus habebat, deſerendum coactus, ſolo Commentariorum ſuorum Volumine appræhenſo per mare fugiebat, idemque una manu ſurſum extra aquas elevans, altera ne mergeretur ab aquis, maris undas ſulcabat. *Per ducentos paſſus ad unam navim, una manu elevata, qua Chartas tenebat, natando pervenit*, ſcribit Eutropius in Epitome de bello Judaico.

27. Nequeo hac eadem occaſione intermittere, quin quam debiti illius mentionem faciam, quo Beatæ Virgini vel ex hoc ſolum capite obſtringimur, quod Deus per illam noſter factus fuerit, quod antè non erat. Ipſa mediante tantum nobis lucrum acquiſivimus; per ipſam tantum bonum poſsidemus: per ipſam adeò divites & opulenti facti ſumus. Sicut enim eo ipſo quo illam Virginem, advocatam, ſpem & terram eſſe dicimus, illam quoque abſolutè noſtram eſſe profitemur. *Advocata noſtra, ſpes noſtra, terra noſtra*; ita quoque dum illam chartam vel librum nominamus, ipſam quoque chartam noſtram aut librum noſtrum eſſe dicere debemus: cum enim ipſa noſtra ſit quocunque tandem a nobis titulo appellabitur, noſtra ſemper erit. Cum igitur ipſa liber noſter ſit, & Spiritus Sanctus huic libro noſtro verbum æternum inſcripſerit, verbum æternum utique noſtrum fuit. Sicuti eo ipſo quo ego aliquam in tua charta ſermonem vel orationem ſcribo, ſermo vel oratio illa, non mea, ſed tua erit, cujus eſt charta, cum ſcriptura chartæ in hoc caſu cedat, eamque ſequatur: *Si in chartis membraniſque tuis*, inquit Bartolus cum Juſtiniano libro ſeptimo de acquirendo rerum dominio; *carmen, vel Hiſtoriam, vel orationem ſcripſero, hujus operis non ego, ſed tu Dominus eſſe intelligeris*. Ita quoque eo ipſo quo Deus chartæ noſtræ ſemel eſt deſcriptus, ob chartam noſtram ipſe quoque noſter factus fuit. Obligatio igitur illa qua Beatæ Virgini obſtringimur, nequit à nobis ad ſufficientiam pro dignitate ſua explicari; nec ſufficientes illi reddere gratias poſſumus à qua æterni debiti vinculo obſtricti & obligati ſumus.

28. Quod ſi denique libri hujus utilitatem conſideremus ac ponderemus, illum non utiliſsimum tantum verum etiam ſummè neceſſarium eſſe reperiemus & invenimus. Scire ne cupitis, quidnam ſit ad æterni Patris dextram ſedens Chriſtus? nihil profectò aliud quam liber quidam, *Liber eſt verbum incarnatum*, inquit Beatus Thomas a Villa Nova concione prima de Nativitate Beatiſsimæ Virginis Mariæ. Liber inquam qui coram æterni Patris, oculis frequenter aperitur & explicatur, divinoſque ſuos exhibet characteres, qui duriſsimi ferri calamo, atque pretioſiſsimi ſanguinis ſui atramento in ſacro ſuo corpore formati fuere quando pro impetranda nobis gratia, obtinendaque delictorum noſtrorum remiſsione, in cruce ſuſpenſus eſt. Verum dicat aliquis, quodnam eſt illud, quod librum hunc modo jam dicto movet & explicat, liber nimirum glorioſiſsimæ & pientiſsimæ ſuæ matris. Quia ipſa enim manus extendit, ſuaque exhibet

bet filio ſuo ubera, Filius quoque Patri commonſtrat manus ſuas & vulnera: *Securum acceſſum habet homo ad DEUM, ubi mediatorem cauſæ ſuæ Filium habet ante Patrem, & ante filium matrem. Chriſtus nudato latere Patri oſtendit latus & vulnera, Maria Chriſto pectus & ubera*, ſcribit de Laudibus Beatæ Virginis Arnoldus Carnotenſis hâc ratione liber librum aperit, uti vulgo dicitur. Sicuti igitur divina pietate magis quam pane indigemus, ita quoque Deipara Virgine opus habemus, utpote per cujus interceſſionem & Pater & Filius ad pietatem inclinantur, noſtrarumque obtinemus culparum remiſſionem.

29. Etenim ad idem propoſitum ponderari ulterius meretur, quod quando Beatiſſima Virgo manus & os ſuum in ſubſidium & ſubventionem noſtram laxat & aperit, non ſolum divini filii ſui brachia & os quoque ſolvat, verum etiam quod eodem momento omnes qui in Paradiſo ſunt ſancti, ſua quoque ora laxantes, una cum ipſa pro nobis intercedant, ſicuti ipſa tacente, omnes quoque alii obmuteſcunt. *Dicit enim quidam vir ſanctus Maria*, ſcribit Richardus de Sancto Laurentio libro quarto de laudibus Virginis Mariæ. *Scimus & credimus ô Domina quoniam te orante pro nobis ad filium tuum, omnes cæteri Sancti orabunt, omnes invocabunt: te verò tacente nullus juvabit.* Unde non ſolum dicere poſſumus: *Liber librum aperit*, verum etiam *Liber libros aperit*. Ipſa namque pro nobis intercedente, Filius quoque ejus omneſque magnæ cæleſtis curiæ aulici, & Angeli una cum ipſa pro nobis intercedunt.

30. Adeò liber hic Chriſtiano homini eſt neceſſarius, ut jure meritò Enchiridion ſeu manuale uniuſcujuſque ſalvari enixè cupientis dici mereatur. Et quotquot per ſupinam negligentiam vel incuriam ſuam librum hunc in devotionis ſuæ Bibliotheca aſſervare minimè ſatagunt, rigoroſo ſunt ob neceſſitatis ſuæ neglectum, digni ſupplicio. Sicut enim Alcibiades dum adhuc puer quandam Grammaticæ ſcholam ingreſſus Iliadum Homeri librum à ſcholæ illius Magiſtro poſtulaſſet, in ejuſdem præceptoris faciem, eo quod ſe illum non habere reſpondiſſet puerili manu pugnum impegit, veluti eundem de ſua inertia & incuria repræhenſus, utpotè qui Grammaticam docens, libro ejuſmodi profeſſioni ſuæ adeò neceſſariò careret. *Impegit illi pugnum declarans imprudenter eum docere literas, qui non ſemper Homerum haberet in ſinu* ſcribit libro quinto Apophtegmata Eraſmus Roterodamus. Ita quoque non ſolum confundi, ſed etiam caſtigari meretur Chriſtianus ille, qui veluti advocatam ſuam in ſuo ſecum cordis ſinu non habet Virginem ſanctiſſimam. Quis adeò eſt rei ſpiritualis inexpertus aut ignarus, cui notum manifeſtumque non ſit, quod qui Deiparam pro ſe ſuaque ſalute advocatam & patronam non habet, non à Deo tantum, ſed & ab univerſa cæleſti curia totaliter ſit derelictus. *Deſtituti tantæ matris auxilio*, inquit libro ſecundo de laudibus Beatæ Virginis Mariæ Richardus à Sancto Laurentio, *per conſequens deſtituuntur auxilio filii, & totius curiæ cæleſtis*. Mortuus eſt quiſquis Beatam Virginem Mariam non colit; Ipſa namque vita eſt Crude ab Eccleſia *vita, dulcedo, & ſpes noſtra appellatur*, & qui illam invenit, invenit vitam, ipſamet teſte, Proverbiorum capite octavo verſu trigeſimo quinto dicente: *Qui me invenerit inveniet vitam*; atque ideo mirum non eſt, ſi mortuus dicatur homo ille qui vitam hanc non invenit. Imò mortuo longè deterior erit, ſiquidem melius ſit eſſe mortuum, quam potentiſſima hujus Virginis protectione deſtitutum: *ô anima*, inquit mellifluus Doctor Bernardus ſuper ſalve, *cum non es potius à corpore ſeparata, quam à tua Domina exul facta!*

3. Certè adeò ingens eſt libri hujus neceſſitas, ut eo non ii duntaxat qui ſunt in terris, verum etiam qui in cælis regnant ſummoperè indigeant. Tametſi enim qui ſunt in cælo beati libris non indigeant, teſte Hieronymo in proœmio in Lament. Jeremiæ, ubi dicit: *Cùm meruerimus eſſe cum Chriſto, & ſimiles Angelis fuerimus tunc librorum Doctrina ceſſabit*: Hujus tamen libri lectione omnes cæli cives valdè egent. Non ſolum quia Angeli, ut nonnullis placet, ut id quod deſiderant, à Deo obtineant, Deiparæ Virginis interceſſione egent: *Favore Virginis arbitror ſua vota Angelos aſſequi*, inquit in capite decimo tertio Matth. Paulus de Palatio, verum etiam quia mediante illuſtrantur à Deo. Quis inficiari idipſum poterit? Sicut enim inferio-

ferio-

feriores Angeli à Deo Angelis ſuperioribus mediantibus illuſtrantur : Ita quoque Beata Virgo utpote in cæleſtibus ſedibus , omnibus Angelis ſupereminens , pluraque in Deo præ aliis omnibus clarè videns , alios id non videntes illuminabit & erudiet. *Virgo Maria illuminat Angelos eo modo , quo Angeli ab Angelis illuminantur, ſcilicet revelando Dei occulta , & loquendo quæ ipſa præ cæteris videt.* Inquit Bartholomæus Piſanus libro ſexto de Laudibus Beatiſſimæ Virginis Mariæ fructu quarto. Hinc igitur cum temetipſo loquens , hunc in modum concludas licet. Quod ſi Beata Virgo in cælis , ubi nulla eſt indigentia aut neceſſitas adeò eſt utilis & neceſſaria, quam utilis & neceſſaria in terris erit, ubi omnis neceſſitas regnat ? Omni cura glorioſiſsimam Virginem Mariam nobiſcum in hac vita habere ſtudeamus , ut ipſam quoque cum ejus adjutorio habere mereamur in altera, utpote quæ tam in cælo quam in terris valdè eſt neceſſaria. Rogemus ac obſecremus illam ut in hujus obſcuriſsimi & tenebroſiſsimi ſæculi nocte nos illuminare, & regni illius in quo regnat & Angelos illuminat, oſtendere ſemitas dignetur, ut nos ab ea una cum ipſis illuminari valeamus.

# PANEGYRICUS XL.

## De Exaltatione S. Crucis:

## THEMA.

Mihi autem abſit gloriari niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. Ad Galath. 6. verſ. 14.

## ARGUMENTUM.

*Sancta Crux quam Deus ſuper quamvis ſublimem eminentiam evexit & exaltavit, maximum eſt exaltationis noſtræ inſtrumentum.*

1. HUmanæ naturæ exaltatio ſine inſolito ſtupore nequit conſiderari. Quod cum natura humana quondam ad profundiſſimum universi locum condemnata, omni orbata bono & cujus malo, imo malo æterno & inenarrabili ſubjecta, tandem in cælo, imo ſuper omnes cælos, ſuperque omnes Angelos cæli Principes ad dexteram Dei ſedens cernatur ſublimata adeoq; exaltata, ut quamvis ſuperet ſublimitatem creatam eamque nunc omnis creatura humiliter & reverenter flexo poplite veneretur & colat, res eſt adeo peregrina, ut in ſtuporem redigere merito posſit universos. Scala autem per quam ad talem ſublimitatem pervenit hujuſque adeo obſtupeſcendæ exaltationis inſtrumentum venerabile ſanctiſſimæ Crucis lignum fuit. Quia enim Chriſtus Crucem ſuſtinuit, ideo Deus hominem adeo ſublimiter exaltavit, ſancto Paulo Apoſtolo id atteſtante qui ad Philipp 2. verſ. 10 inquit: *Chriſtus humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod & DEUS exaltavit illum, &c.* Quanto igitur jure homo in Cruce gloriari, & cum eodem Apoſtolo ad Galath. ſexto verſ 14 dicere debet: *Mihi autem abſit gloriari niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Utpote quæ præcipuum fuit exaltationis ſuæ inſtrumentum. Operæ igitur pretium eſſe videtur, ut in hoc feſto non de ſola

exaltatione Crucis, verum etiam de noſtra per Crucem exaltatione ſermonem inſtituam. *Crux attollitur*, inquit Andreas Cretenſis apud Surium decimo quarto Septembris: *Et ſimul extollit humi jacentem humanitatem*. Primus itaque locus feſto hodierno ita exigente Crucis exaltationi tribuatur, exaltationi verò noſtræ per Crucem tribuatur ſecundus, videamuſque primo quantopere Deus exaltaverit Crucem, deinde verò ad quantam nos crux Chriſti ſuſtulerit ſublimitatem.

2. Nicephorus Calliſtus libro octavo capite vigeſimo tertio Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ refert Conſtantinum Magnum ſanctiſſimæ Crucis ſignum in urbe Romana, in altiſſimam quandam ex Porphyrio lapide extructam vexiſſe columnam, eandemque Crucem appellaſſe *victoriam*: Heraclytum quoque eodem in loco in columnam marmoream aliam quandam extuliſſe Crucem, quam appellavit *Invictam*. Et paulò pòſt ſubjungit, Crucem hanc quotannis ter ab Angelo quodam ad inſtar fulgoris alicujus de cælo deſcendentem fuiſſe circumdatam, qui facta illi profundiſſima reverentia, poſtquam coram illa adoleviſſet incenſum, eandemque ſuaviſſimis licet valde demiſſis vocibus laudaſſet, in Paradiſum mox denuò revertebatur. In qua hiſtoria ad propoſitum meum aliud conſiderare non attinet, præterquam ut rationes inveſtigem ob quas duo hi devotiſſimi Imperatores, ſanctam Crucem ſuper duas illas columnas tam glorioſè evexerint. Quidnam obſecro duæ columnæ iſtæ ſignificabant? quodnam in illis latebat myſterium? aut cujus rei ſymbolum erant? Nimirum ſymbolum erant ſummæ gloriæ, exaltæ in illis Cruci attributæ. Quia enim olim in certis quibuſdam columnis multæ cernebantur Imperatorum aliorum illuſtrium virorum erectæ ſtatuæ (ſic enim Senatus Romanus mortuo Imperatore Auguſto ſtatuam ei ſuper duas, quæ poſtea collapſæ ſunt, columnas erexit, quarum aliæ quoque duæ etiamnum Romæ, una videlicet Trojano, altera verò Adriano Imperatoribus Romanis erectæ & conſecratæ, ſuperſtites remanent) per ſymbolum iſtud, inquit libro quadrageſimo nono Pierius, ſumma eorum quibus conſecrabantur, veluti ſpeciali præ aliis excellentia decoratorum ſignificabatur gloria: *Columnarum ratio fuit, ut cujus nomini dedicatæ eſſent, gloria ſuper cæteros mortales attolleretur*. Chriſtianiſſimi igitur hi Imperatores ſummam ſanctæ Crucis gloriam & exaltationem promovere ſatagentes, eandem communi conſenſu ſuper duas erexere columnas, per hoc illam glorificatam & ſupra quamvis rem terrenam exaltatam eſſe innuere volentes. Etenim an nondum toties per diem Crucis ſignum fronti noſtræ imprimimus eandem ſuper columnam quandam erigimus & collocamus, ejuſque ſuper quidlibet aliud præcellentem gloriam & exaltationem publicè proteſtamur? *Crux in fronte noſtra*, inquit Divus Chryſoſtomus adverſus gentiles, *quaſi in columna quotidie figuratur*.

3. Quod ſi ſublimiſſimum in omnibus hujus mundi regnis, locum ſcire cupitis, ſecurè dicam talem eſſe Principis locum, cum enim Princeps veluti maximus inter omnes emineat, ſublimiſſimus utique locus ei quoque debetur: *Major debet eſſe in altiori, & eminentiori loco*, dicunt Legiſtæ apud Chaſſanæum in Catalogo parte prima Conſ. 13. Unde ejus quoque ſedes vel thronus, ut in magnis feſtivitatibus publiciſq; parlamentis cernitur, inter omnes ſedes alias ſublimius eminet. Quod ſi ulterius quiſnam ſit in Principe ſublimior locus, quæratur, illum inprimis capitis verticem eſſe dicam, cum enim caput veluti Rex quidam totum corpus regat & gubernet, ideo ſublimiſſimum quoque inter omnes corporis partes locum obtinet. Poſt caput autem altior corporis pars eſt regium quo vertex capitis cingitur diademate, cũ enim hoc capiti ſuperimponatur, altiorem quoque præ capite locum habebit. Unde patet coronam præ omnibus mundi rebus velut ſublimiſſimam eminere. Atque ideo cum Reges & Imperatores ſupra coronam ſanctam erigere ſoleant Crucem D. Chryſoſtomo teſte, qui ait: *In diademate fulget Crux*. Et Sancto Auguſtino dicente: *Crux de pœnis latronum, tranſit in frontes Imperatorum*; Crux adeò exaltata & ſublimata eſſe videtur, ut cuncta excedat mundi altiſſima culmina, quaſi nulla eſſet celſitudo, quæ ad ipſius ſublimitatem pertingere poſſet.

4. De Sabborum Regina refertur quod dum viſitato Salomone, Dei templum ingreſſa Crucis lignum ibidem conſpexiſſet quod utpote nulla

aullatatione templi fabricæ deſerviens ( vel enim breve erat nimis, ubi illud longum eſſe deſiderabant, vel è contra erat procerum, ubi illud brevius eſſe deſiderabant ) tandem veluti inutile lignum in locum aliquem rejectum erat, ubi ſcamni ſeu ſedilis loco populo deſerviebat, ipſa eidem ad inſtar aliorum inſidere noluerit, ſed vaticinata fuerit futurum ut in ligno iſto Dei moriturus filius eſſet. *Eo adducta Regina conſidere noluit, ſed ſpiritu Dei plena prædixit, quòd in eo ligno venientibus ſæculis mortem oppetiturus eſſet.* inquit Gretſerus libro primo de Cruce capite quarto apud Pinedam de rebus Salomonis libro quinto capite decimo quarto. Regina hæc ſupra Crucis lignum ſedere, aut illud corpori ſuo, etiam priuſquam ſanguine pretioſiſsimo Filii Dei conſecrata eſſet ſubſternere aut ſubjicere noluit, utpote divinâ inſpiratione edocta, lignum illud adeò futurum eſſe glorioſum, adeòque ſupra omnes homines exaltandum, ut in ſublimi Regum vertice collocari, ſupraque omnes homines ſublimari meretur.

5. De eadem quoque ſancta Cruce refertur, illam adeò in monte Calvariæ plantatam fuiſſe, ut Adami ibidem ſepulti ( à cujus Calvaria Calvarius mons eſt appellatus ) capiti ſuperimponeretur. *Audivi quendam expoſuiſſe Calvariæ locum, in quo ſepultus eſt Adam, & ideo ſic appellatum eſſe, quod ibi antiqui hominis conditum ſit caput. Favorabilis interpretatio, & mulcens aurem populi*, inquit Sanctus Hieronymus libro quarto in capite vigeſimo ſeptimo Matthæi. Verum inquies, quamobrem Chriſtus ſuper capite Adami Crucem erigi voluit? Nimirum ut illam ſuper omnia terrena glorificaret & exaltaret. Adamus namque magnus quidam fuiſſe videtur totius mundi Monarcha, utpote à Deo omnibus in mundo ſenſibilibus rebus præfectus, quique magnifico Majeſtatis ſuæ veſtigio beſtias terræ, piſces maris, & cæli volucres habebat ſubjectos, & quicquid terra, mari aut aëre continebatur, prouti in privilegio ipſi conceſſo & Geneſeos capite primo hiſce ipſiſsimis verbis regiſtrato liquido apparet. *Dominamini piſcibus maris, & volatilibus cæli, & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram.* Ideo Chriſtus ſuper tanti Monarchæ capite Crucem ſuam ſanctiſsimam plantare & erigere voluit, ut illam ſuper omnem cujuſvis terrenæ rei ſublimitatem ſuſtolleret, & elevaret, utpote qua nihil inveniri in terra ſublimiùs poſſet.

6. Sanctus Joannes Chryſoſtomus adverſus Gentiles admirabile adducit Crucis encomium, dum inquit: *Ipſum hoc lignum, in quo poſitum eſt ſanctum Corpus Domini, habere totus orbis ita contendit, ut qui parvum quiddam ex eo habent, hoc auro includant, tam viri quam mulieres, & cervicibus ſuis aptant* Etenim tametſi liquidum ſatis atque perſpicuum ſit, Crucem ob inæſtimabile ſui pretium auro veſtiri. *Crux eſt res magna & pretioſa*, inquit Andreas Cretenſis ubi ſupra, ſicuti & gemmæ auro ob rarum earundem pretium includuntur; non tamen adeò liquet ratio, ob quam humani capitis vertici ſuperimponatur: *Cervicibus ſuis aptant*: Eſt autem hujuſce hæc ratio, ut nimirum per hoc ejus inſinuetur ſublimitas, & dignitatis exaltatio, utpote cui nullus in terra condignus inveniri locus poſsit, ſed in cælo, neque enim res quædam adeò glorioſa & pretioſa deorſum in terra, ſed ſurſum in cælo collocanda erat. Porrò quia homo breve quoddam eſt totius mundi compendium, qui proinde à Græcis *Microcoſmos*, id eſt, *parvus mundus*, & à Chriſto Marci decimo ſexto verſu decimo quinto: *Omnis creatura* appellatur, utpote cujus omnes partes omnibus mundi partibus correſpondent, & quidem caput ejus ob ſui altitudinem reſpondet cælo & Paradiſum in ſe refert teſte Cælio Rhodiginio qui libro tertio capite vigeſimo tertio de capite hominis loquens dicit: *Portionem hanc cæli ſimilitudine quadam poſſidemus ſublimem*: Ideo dum Chriſtiani ſanctam Crucem cervicibus ſuis ſuperimponere ſatagunt: *Cervicibus ſuis aptant*, eandem ſupra cælos elevare velle videntur, quaſi cum ob admirabilem ſui excellentiam, nullus in terra locus ſit qui ipſam dignè ſatis capere poſsit, in cælum uſque, imò ſupra cælum evehi & exaltari debeat. *Cervicibus ſuis aptant.*

7. Methodius in ſuis Revelationibus ſcribit, quod quando Antichriſtus in fine mundi illa ſanctæ Eccleſiæ illaturus eſt mala, quæ à Chriſto in Evangelio fuêre prædicta, futurum ſit, ut Rex ille Romanorum, qui tempore eodem Romanorum moderabitur imperium, conſcenſurus ſit montem Calvariæ, ibidem-

ibidemque depoſitum è capite ſuo Diadema regium, ſupremo ſanctiſſimæ Crucis vertici ſumma cum reverentia ſit impoſiturus, eamque hoc modo coronatam in cælum viſibiliter exaltandam eſſe. *Aſcendet*, inquit, *tunc Rex Romanorum ſurſum in Golgatha, in quo confixum eſt Lignum S. Crucis, in quo loco pro nobis Dominus mortem ſuſtinuit: & tollet Rex coronam de capite ſuo, & imponet eam ſuper crucem, & aſſumitur Crux in cælum ſimul cum corona Regis.* Rex coronam regiam de capite ſuo ſublatam ſupra Crucem collocabit, ut per hoc ſummam Crucis gloriam & exaltationem demonſtret. Quia enim corona ſublimiſſimis hujuſmodi rebus innititur, uti diximus, ſub Cruce conſiſtat, oportet, cum Cruce nihil altius ſit aut ſublimius, atque eandem ob cauſam in cælum tandem ſubjecta eſt, ut unuſquiſque condignum ejus locum non terram, ſedem nimirum nimis demiſſam & humilem, ſed cælum eſſe intelligat, quo nihil ex iis quæ Deus creavit, altius eſt aut ſublimius. *Aſſumetur Crux in cælum.*

8. Non eſt hoc loco prætereunda doni illius accuratior conſideratio, quod Bonifacius VIII. Pontifex Optimus Maximus, Ut Henrico Imperatori, quem Romæ propediem præſtolabatur, præſentaretur fabricari conſtituit; pomum videlicet vel pila aurea variis pretioſiſſimiſque gemmis diſtincta ac ornata, cujus ſupremum apicem Crux Chriſti in eo erecta adornabat: *Inſigne præcepit fabricari, quaſi aureum pomum, atque circumdari per quadrum pretioſiſſimis quibuſdam gemmis, ac deſuper Crucem auream inſeri*, inquit Glaber Rudolphus libro octavo in fine. Quidnam obſecro pila hæc ſive pomum aureum ſignificabat? pomum iſtud quoddam erat univerſi mundi Hieroglyphicum. *Erat autem*, inquit idemmet author, *inſtar ſpeciei hujus mundanæ molis, quæ videlicet in quadam rotunditate circumſiſtere perhibetur.* Univerſam itaque terram, omnem quaqua verſum diffuſum aërem, totum cælum, & quicquid mundi nomine comprænenditur, pila hæc ſive pomum aureum ſignificabat. Supra ingentem verò hanc machinam ſapientiſſimo Pontifici ſanctam Crucem erigere placuit, ut hac ratione innueret, eandem non in terra loco nimirum nimis depreſſo & humili, ſed in cælo, imò ſupra cælos collocandam eſſe.

9. Quidnam prodigioſam illam Davidis cytharam, quacum ut legitur primo Regum decimo ſexto verſu vigeſimo tertio. Dæmones Saulem Regem ſuum torquentes affligebat, & propulſabat, ſignificaſſe exiſtimatis? Nimirum ſanctiſſimam Chriſti Crucem repræſentabat. *Cythara ſignificabat lignum Dominicæ Crucis*, inquit ſupra illa Pſalmi trigeſimi ſecundi. *Confitemini Domino in cythara*, famoſiſſimus ille Carmelitani Ordinis incognitus Pater Michael de Bononia. Cum enim ſacroſancta Chriſti membra ſuper Crucis ligno extenſa, dulciſſimo ſono Dei iram tot annis adverſum genus humanum conceptam placarint, omniumque humanorum errorum veniam & remiſſionem obtinuerint, ſanctiſſima Crux utique dulciſona quædam eſſe cythara debuit. In ſacra hac cythara Deum continuò laudamus, eidemque pro tot illa mediante conceſſis favoribus gratias agimus, frequentiſſimè eidem dicentes: *Adoramus te Chriſte & benedicimus tibi, quia per ſanctam crucem tuam redemiſti mundum.* Verùm enimverò, quonam fine hæc a me dici exiſtimatis? Videlicet ut ex iis quæ dixi hanc inferam conſequentiam: Quod ſi cythara Orphei poſt ejus mortem, ex eo ſolum motivo quod in illa Jovem collaudaſſet & Appollinem inter ſtellas cæleſtes collocata & connumerata fuit, ut Hyginius pret. Aſtron. lib. 2. ſcribit quis Crucis Chriſti cytharam, poſt ejus mortem in terra remanſiſſe credat? In cælum utique & ſi quid cælo altius eſſe poſſet, evehi, ſublimari, & ſuſtolli debebat. In cujus ſignum aſtrum quoddam ex multis ſtellis Crucis ſignum formantibus compoſitum, & cruciera appellatum in Indiis Orientalibus frequentes conſpicuèque apparebat.

10. Sanctus Marcus capite decimo ſexto verſu ſexto ſcribit, quod cum tres illæ Mariæ Chriſti divinum corpus uncturæ ad ſanctum appropinquaſſent ſepulchrum, ibidem candida veſte indutum offenderint Angelum, lætum illis de Reſurrectione Domini ſui nuntium hiſce verbis inſinuantem: *IESVM quæritis Nazarenum crucifixum? ſurrexit, non eſt hic: ecce locus ibi poſuerunt eum.* quaſi dicere illis voluiſſet: Nolite, quæſo, ô devotæ mulieres Chriſti crucifixi, jam verò a mortuis reſuſcitati corpus mortuum requirendo defatigari, ecce enim vacuum &

inanem locum in quo ſepultus jacebat. Verùm enimverò in hiſce Angeli verbis obſervandum eſt, quod Chriſtum non Dominum aut Deum appellarit, ſed crucifixum. Neque enim dicit: JESUM quæritis Dominum meum aut DEUM meum, ſed crucifixum: *IESVM quæritis Nazarenum crucifixum.* Cur ipſum crucifixum appellavit, nomine videlicet; eo tempore adeò vituperoſo & vili, quem excellentiori, magiſque honorifico poterat nomine indigitare? Nimirum quia Chriſtus Crucem tanti faciebat, eamque adeò arbitrabatur glorioſam, ut illam veluti diadema quoddam regium in capite ſuo circumtulerit, atque ideo Chriſtum potius crucifixum quam alio quovis glorioſiori nomine appellare voluit Audite hac de re loquentem in Catecheſi decimo tertio Sanctum Cyrillum Hieroſolymitanum: *Non pudeat Crucem Chriſti confiteri, Angeli enim gloriantur, dicentes: IESVM quæritis crucifixum? Non potuiſſet dicere, ô Angele, ſcio quod quæritis meum Dominum, ſed confidenter dicit, ſcio quod quæritis crucifixum. Corona enim eſt Crux* Sanctiſſimum igitur Crucis lignum adeò à Deo glorioſè exaltatum, ut non ſolum mundani homines terræ hujus habitatores, verum etiam cæleſtes Angeli Paradiſi incolæ eandem veluti Coronam quandam in capite Regis conſtitutam reverenter obſervent.

11. Adeò ingens eſt in Chriſto Majeſtatis eminentia, ut David Chriſtum non ſolum Pſalmo ſeptuageſimo ſeptimo verſu trigeſimo quinto appellet excelsū: *Deus excelſus Redemptor noſter,* vel etiam Pſalmo vigeſimo ſecundo verſu decimo quarto ipſum altiſſimum tantum eſſe dicat: *Altiſſimus dedit vocem ſuam,* verùm etiam ipſiſſima dicatur altitudo, quo nomine illum Habacuc Propheta capite tertio verſu decimo inſignivit, dicens: *Altitudo manus ſuas levavit.* Ob hanc tantam celſitudinis ſuæ eminentiam, Angeli, tametſi altiſſimi ſint, utpote in altiſſimo mundi loco collocati, ad ejus contactum pertingere nequaquam poſſunt. Exercitus Angelorum, qui ſunt ſcabellum pedum Chriſti, procidentes nec videre poſſunt, nec contingere. Ad hanc autem adeò ſublimem Chriſti Majeſtatem, adeò celſam, ut ipſamet dicta ſit altitudo, quam altiſſimi licet Angeli contingere nullatenus poſſunt, ſanctiſſimæ Crucis lignum vel arbor pertingere fæliciſſimè potuit. Unde Eccleſia de Cruce religioſiſſimè in Dominica Paſſionis concinit:

*Arbor decora & fulgida*
*Ornata Regis purpura,*
*Electa digno ſtipite*
*Tam ſancta membra tangere.*

Adeò igitur ſancta Crux exaltata à Deo fuit, ut eo pertingere potuerit, quod cæleſtibus Angelis aſſequi minimè permittitur.

12. Dicite, nunquid quotieſcunque oculos veſtros ad ſanctiſſimam Chriſti Crucem intuendam in altum tollitis, in eaque illum quem ſponſa Cant. 1. verſu 14. *Botrum Cypri* vocat, ſuſpenſum videtis, illam veram quandam vitem eſſe judicatis? *Vitis namque vera æſtimanda eſt,* inquit S. Ephrem de Cruce, *quæ optimum vitæ noſtræ racemum generavit.* Cum enim arbor quævis non alios quam ſuos fructus producat teſte S. Jacobo capite tertio verſu duodecimo dicente: *Nunquid poteſt fratres mei ficus uvas facere, aut vitis ficus,* Crux quæ Paradiſi botrum produxit, vera cenſeri vitis debuit. Vera igitur vitis ſanctiſsima Crux fuit; *vitis* enim, ut Varroni placet, ab *invitando* dicitur; Eo ipſo enim quo Crux hominem ad laborem invitat & ad pœnitentiam, eundem quoque ad æternam, beatitudinem, ad Angelorum aliorumque ſanctorum fæliciſsimam ſocietatem, ad glorioſam denique Dei viſionem invitat. Crux vitis dicitur, quia arbor eſt fertiliſsima, cum tot filiorum fæcundiſsima mater exiſtat, quod hodie animæ in cælis glorioſè regnant. Crux vitis appellatur (*vitis* enim à *vi tenendo* dicitur) quia quoties homo aliquis ſanctus illi alligatur, tanto mox ipſum gaudio & delectatione afficit, ut illam nonniſi cum propriæ vitæ diſpendio deſerere ullatenus poſsit Denique rectè Crux vitis dicitur ob admirabilem ejus exaltationem; vitis enim adeò in altum exceſcit, atque in ſublimè fertur, ut nullum unquam creſcendi finem faciat. *Vitis avidiſſimè creſcit,* inquit Petrus Berchorius Reductorii moralis lib. 12. cap. 175. *finem enim non habet in creſcendo limitatum à Natura, quia ſemper creſcit & ſe extendit: ideo uſque ad altiſſimas ſummitates arborum aliquando ſcandit.* Nonnulli de vite tradunt, quod ſi fulcrum aliquod ad cælum uſque ſeſe extendens haberet, ipſa quoque

quoque in cælum uſque excreſceret ſeſeque erigeret Divina hæc ſanctiſſimæ Crucis vitis ob altiſſimum ſacri corporis Chriſti fulcrum, adeo ſe in ſublime cælum verſus extulit, ut ad illius uſque contractum pertingere potuerit, quem ipſimet Paradiſi ſpiritus aſſequi haud quaquam poſſunt.

13. Porro majori cum proprietate cedrus vocari poterit, cum paſſim omnibus Chriſti Crucem ex Cedro ſimul, cypreſſo, Palma & Oliva formatam fuiſſe conſtet

*Ligna Crucis Palma, Cedrus, Cypreſſus, Oliva*

Vera autem cedrus ſancta Crux vocari meretur. Primo, quia ſicut Cedrus venenoſa animalcula fugit ; ita quoque Crux Dæmonem pellit, ſpirituali veneno, quod quovis corporali toxico deterius eſt, magiſque nocivum, pleniſſimum. Secundo quia ſicut Cedrus, arbor eſt pulcherrima ; ita quoque ſancta Crux ab Eccleſia appellatur :

*Arbor decora & fulgida.*

Tertio ſicut Cedrus fructum quendam producit omnino dulciſſimum : ita Crux æternæ vitæ fructum, qui omnem dulcedinem ſuperat, progerminat. Quarto ſicut Cedrus quædam eſt mortuorum vita. *Defunctis pro vita eſt*, inquit cum Plinio Ruellius libro primo de ſtirpibus capite ſeptuageſimo ſecundo parte prima. Ita quoque Crux mortuos reſuſcitavit, eiſque ſempiternam vitam attulit, unde & paſſim vitæ quoque arbor ab omnibus dicitur. Quinto ſicut Cedrus quendam ſtillat liquorem, quo ſi quis perungatur, à tinea nequaquam læditur : ita quoque Crux ſancta pretioſum ſtillat, ſacrumque ſanguinis Chriſti liquorem, quo ſi homo vel ſemel tingatur, a peccati æternæve mortis tinea nequaquam offenditur. Sexto ſicut Cedrus adeo eſt incorruptibilis, ut æternitate prædita eſſe cenſeatur, quæ cauſa eſt quod communiter accipiatur veluti verum & proprium quoddam æternitatis Hieroglyphicum : ita quoque ſancta Crux adeo eſt incorruptibilis & æterna, ut cælum potius & terra peritura ſint, quam ut ipſa ad interitum vadat. Unde quando Chriſtus Redemptor noſter humani generis Matthæi quinto verſu decimo octavo Apoſtolis ſuis dicit : *Amen quippe dico vobis, donec cælum & terra tranſeat, jota unum aut unus apex non præteribit à lege donec omnia fiant.* Nihil aliud dicere voluit, quam Cælum potius & terra quam Crux mea interitura erunt. *Iota* enim litera Græca veluti linea quædam recta ab alto deorſum protracta ſcribitur : Apex autem eſt alia quædam ſimilis linea ab uno latere in aliud protenſa, ex quibus duabus literis ſimul per tranſverſum conjunctis Crucis ſignum propriè formatur. *Cælum & terra tranſibunt, & hujus mundi figura præterit,* inquit Gregorius Nyſſenus de Reſurrectione Chriſti ; *Iota autem aut unus apex ex lege non præterit : Linea recta è ſublimi in imum deſcendens, jota dicitur, obliquè autem ad latera pertingens, apex nominatur, & Crucis figuram tanquam ænigmate quodam oſtendunt.* Septimo denique ſicut tanta eſt Cedri ſublimitas, ut omnes arbores altitudine & proceritate ſua tranſcendens, Arborum Rex merito appelletur, utpote quæ veluti Rex quidam omnibus ſupereminet : ita quoque tanta eſt Crucis ſublimitas, ut admirabili quodam exceſſu quodvis eminens atque ſublime tranſcendat.

14. Ehem cum quanta omnium luminarium invidia Deus ſolem lumine velut immenſo magnificavit & extulit ! Qualis & quanta eſt luminaris iſtius dignitas, quod in cælo comparens cuncta cæli lumina adeo obfuſcat & ad nihilum redigit, ut velnti ſi extincta eſſent, non ſolum non reſplendeant, ſed nequidem ex veſtigio conſpici ullatenus poſſint ! Num igitur in mundo fortaſſis aliquid ſoli comparatum ſimile aut excellentius eſſe poterit ? Poterit omnino. Eſtque ipſamet Crux Chriſti ſanctiſſima. Noſtiſne cauſam cur in fine mundi tempore judicii univerſalis Sol, Luna, & ſtellæ lumen ſuum totaliter ſint amiſſuræ, ut dicitur Matth. c. vigeſimo quarto verſu vigeſimo quarto. *Statim autem,* inquit Chriſtus, *poſt tribulationem dierum illorum Sol obſcurabitur, Luna non dabit lumen ſuum, ſtellæ cadent de cælo.* Ratio hujus eſt, quia nimirum Crux eo tempore in cælis eſt comparitura. *Tunc apparebit ſignum filii hominis in cælo*, ſubjungit Chriſtus, *Crux enim ſole fulgentior videbitur*, inquit Divus Chryſoſtomus Homilia ſeptuageſima ſeptima in Matth. *Obſcurabitur autem Sol, Crux apparebit : quod fieri non poſſet, niſi ſolares radios ſplendore ſuperaret.* Tantus igitur tamque immenſus eſt Crucis ſplendor, ut ipſum ſolis ſplendorem

ſuo

ſuo ſit ſplendore longe ſuperatur: Ipſa namque ad ſolem comparata eodem ſe modo habet quo Sol ſi cum ſtellis comparetur habere ſe ſolet. Sanctiſſima Crux in noviſſimi Judicii die, in admirabilis exaltationis ſuæ ſignum, ipſomet ſole illuſtrior, ſplendidior, [illegible] glorioſior apparebit, tametſi ad ſolis [illegible]entiam alias nihil quantumvis fulgidum [illegible]deſcat. Unde Petrus Damianus ſermone [illegible]drageſimo octavo hunc in modum ipſam [illegible]quitur: *O Crux luna micantior, ſole ſ[illegible]or, quæ præ divini magnitudine luminis, ſtellarum jubar, & [illegible] cæli aſtra præcedis*

15. Fuit quondam [illegible] à nonnullis propoſita quæſtio; Quiſ[illegible] in mundo palmo non amplior locus eſſet, in quo tamen Deus tanta operatus eſſet prodigia miraculoſa, qualia alibi patraſſe nuſpiam legitur: *Quis locus unius pedis eſſet, ubi Deus in terris majora miracula oſtendiſſet.* Cui equidem quæſtioni tametſi ſecundum variam circumſtantium opinionem variè reſponſum fuerit; tandem nihilominus locum hunc ſanctiſſimam Chriſti Crucem fuiſſe concluſum fuit, uti Author Hiſtoriæ Lombardicæ de ſancto Bartholomæo refert. Vere etenim ſanctiſſima Chriſti Crux, locus ille fuit palmo nequaquam amplior, in quo tamen Deus majora quam in omnibus aliis mundi partibus patrare dignatus eſt miracula. Ibi namque Sol obſcuratus eſt, ruptum eſt velum templi, petræ ſciſſæ ſunt, ibidem converſus eſt petra durior latro ſepulchra ibi ultro aperta ſunt, deſtructus Infernus, Diabolus catenis vinctus, cæli quoque portæ ibi ſunt apertæ, ibi paſſus eſt impoſſibilis, mortuus immortalis, placatus eſt Deus alias implacabilis, ibi denique tot tamque ſtupenda patrata ſunt miracula ut humana lingua explicari prorſus nequeant. Quod ſi Deus propter unicum duntaxat patratum miraculum, locum illum, in quo illud operari dignatus eſt, adeo reddidit famoſum & illuſtrem, quanta dignitate conſpicua ſanctiſſima Chriſti Crux erit, quæ tot tantorumque miraculorum fuit officina. Valde in ſcripturis mare rubrum extollitur, & celebratur, quod populus Dei ſecus per illud pedibus ſalvus tranſierit, forti Pharaonis exercitu, in eodem ſubmerſo & perdito. Illuſtre quoque valdeque in ſcripturis famoſum eſt Arabiæ deſertum, eo quod cælum ibidem panem depluerit Angelorum. Montes quoque Sina & Thabor conſpicui facti ſunt & glorioſi, eo quod in illo Moyſi lex data fuerit, in hoc vero transfiguratus ſit Chriſtus. Quam igitur illuſtris & glorioſa Crux Chriſti erit, in quo tot tantaque qualia nuſpiam in toto mundo patrata ſunt miracula?

16. Regius Propheta David, Pſalm. 95. verſ. decimo tertio dicit quod in judicio univerſali quando Chriſtus mundum judicaturus adveniet, ipſa quoque ſylvarum ligna, rara quædam & inſolita datura ſint lætitiæ & gaudii ſigna: *Tunc exultabunt omnia ligna ſylvarum à facie Domini, quia venit, quoniam venit judicare terram.* Cur obſecro tunc ligna potius ſylvarum, quam ſtellæ cæli, pecora campi, piſces maris, aut quæ in aëre ſunt volucres præ lætitia exultabunt & geſtient? Cauſa lætitiæ qua ligna afficientur ſylvarum erit, viſio ſanctiſſimæ Crucis, quæ ut diximus in die illo in cælo apparebit ſacroſanctum enim Crucis lignum ex lignis ſylvarum, non vero ex ſtellis cæli, beſtiis terræ, aut piſcibus maris, vel cæli volucribus genitum fuit atque productum, atque ideo in glorioſo illo ſpectaculo ſolæ ſylvæ jubilabunt & lætabuntur, Deoque pro eo quo illas dignatus eſt ſummo honore, quas poſſunt gratias agent *Illa potiſſimum Deo afferent hymnum, quandoquidem ex ipſis ſalutare lignum fuit, in quo ſalvatoris corpus ſuffixum fuit.* Inquit in pſalmo nonageſimo quinto Theodoretus. Quia ſylvæ in die illa viſuræ ſunt ſacroſanctum lignum ab iiſdem productum, tanto honore à Deo exaltatum & glorificatum, quaſi tantæ eſſent exaltationis participes inſolita edituræ ſunt ſolemniſſimi gaudii & feſtivitatis ſenſibilia ſigna. *Tunc exultabunt omnia ligna ſylvarum.*

17. De ſingulari quadam Chriſti Salvatoris noſtri exaltatione Apoſtolum ad Philipp 2. Loquentem audite: *Chriſtus*, inquit, *humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod & Deus exaltavit illum, &c.* Quaſi dicere vellet: Chriſtus priuſquam pateretur in Cruce, adeo fuit humilis & ſubmiſſus, ut non ſolum nequaquam Deus ſed nec homo eſſe videretur, unde ſemetipſum nec Deum nec hominem ſed viliſſimum voluit cenſere & nominare vermem pſalmo vigeſimo primo verſ. 7. dicens: *Ego autem ſum vermis & non homo.* Quantum vero antea humiliatus fuerat, tantum fuit poſt ſuperatam Crucem exaltatus. Adeo namque poſt

Poſt Paſſionem ſuam ſublimatus eſt & glorificatus, ut omnes Creaturæ tam cæleſtes quam terrenæ & infernales, Angeli inquam, homines, & Dæmones humillime & reverenter ei genua ſua flectant, eumque adorent. Unde quæſo hæc Chriſto nata eſt exaltatio & gloria? A cruce quam appræhendit & fortiter ſuſtinuit. Quodſi hæretici ideo Crucem oderunt, inquit, libro primo Epiſt. apud Chaſſanæum in Catal, p. 1. Conſiderat. 99. Petrus Abbas Cluniacenſis, quia torſit & occidit Chriſtum eandem quoque amare debent, quæ exaltavit & glorificavit Chriſtum. *Si idcirco hæretici Crucem odiunt, quia Dominum torſit, diligant eum, quia ipſi gloriam peperit. Peperit inquam gloriam Crux Crucifixo, ſicut ſcribitur ad Philippenſes: Factus eſt obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod & Deus exaltavit illum,* Adeo mirificè Crux exaltare & glorificare potuerit, imo quod plus eſt, ipſum quoque exaltare & glorificare potuerit Chriſtum, qui quod ſummè glorioſus exiſtat, nedum glorioſus, ſed ipſamet quoque gloria appellatur.

18. Confirmatur idipſum per quendam ex ſancto Joanne capite duodecimo verſu vigeſimo octavo deſumptum locum, in quo refertur quod Chriſtus poſtquam Jeroſolymorum urbem glorioſe fuiſſet ingreſſus, mox quandam audierit Patris æterni vocem de cælo lapſam, dicentem ſibi: *& clarificavi & iterum clarificabo.* Quaſi Deus Pater dicere voluiſſet: Et glorificavi unigenitum filium meum tempore præterito, & iterum eundem non intermittam glorificare tempore futuro. Etenim tametſi ſatis conſtet Deum dilectum filium ſuum tot hactenus prodigiis & miraculis glorificaſſe, utpote quæ illum coram totius mundi oculis ipſomet ſole glorioſiorem reddebant & clariorem; Difficile tamen eſt intelligere quomodo illum in futurum deinceps exaltare potuerit & glorificare? Reſpondet autem in ejuſdem loci Commentario Andreas Cretenſis: Factum id eſſe mediante ſanctiſſimæ crucis inſtrumento: *Dum dicit, clarificabo illam innuit clarificationem, qua tunc facta eſt propter Crucem.* Lumen gloriæ crucis adeo eſt ingens ut Deus per illud ipſummet quoque filium ſuum glorificare potuerit, tametſi ejus gloria eo quod infinita ſit major fieri aut augeri minime potuerit.

16. Chriſtus Crucem ſuam adeo exaltare voluit, ut eandem non ſolum illius gloriæ, de qua hactenus locuti ſumus, participem reddiderit, verum inſuper videatur gloriam ſuam cedere voluiſſe gloriæ crucis. Pro cujus meliori intelligentia, attendenda ſunt illi ſancti Andreæ Apoſtoli verba, quibus mox ut præparatam ſibi crucem vidit, eandem devotiſſime ſalutavit: *Salve Crux quæ in corpore Chriſti dedicata es, & ex membris ejus tanquam margaritis ornata.* Et quidem in jam dictis verbis obſervandum eſt, quod membra Chriſti crucis ornamenta fuiſſe dicat, non vero crucem aſſerat ornamentum fuiſſe membrorum Chriſti. Cur obſecro hunc in modum loquitur? Nimirum ut hac ratione innuat, tantam eſſe crucis gloriam, ut ipſa quoque Chriſti gloria illi cedere videatur. Juriſtæ L. de aur & arg Legat. vigeſimo primo & vigeſimo ſecundo docent, quod ſicut acceſſorium principali ſuo cedit, ita quoque ornamentum cedat rei ornatæ. Sic Margaritæ veſti alicui ornamenti loco adjectæ, veſti adornandæ cedere merito debent: *Ornamentum ſequitur rem ornatam Argento cedit quod ad ſpecium argenti junctum eſt Si Margarita auro ornandi gratia addita ſunt, auro cedunt.* Cum igitur Chriſtus quoddam ſit ut ſanctus Andreas Apoſtolus dicit, crucis ornamentum, cruci pariter cedere voluiſſe videtur.

26 Poſteaquam Sacroſanctum crucis lignum in valle Joſaphat coram magno illo judice ab omnium oculis viſum fuerit, ab Angelorum exercitibus in cælum denuo ſumma cum reverentia in medio Paradiſi cæleſtis, haud ſecus ac arbor vitæ in medio terreſtris Paradiſi plantanda reportabitur. Verum inquies, quidnam crux in cælo faciet? Peculiaris & eximius erit cæli ornatus, atque ideo velut res totius mundi pulcherrima & pretioſiſſima in illo loco collocabitur, ubi quicquid pulcherrimum eſt aſſervatur, ut magis venuſtetur & adornetur. Neque id mirum alicui videatur, inquit in capite 22. Matth. Paulus de Palatio. Quodſi enim crux Sacroſancta glorioſum corporis Redemptoris noſtri cælum adornare potuit, ideoque à Chriſto tot votis concupita & deſiderata fuit, multo magis materiale cælum decorare valebit. *Profecto baptiſmo Chriſtus baptizari voluit in Crucis torculari*, inquit hic Doctor, *& coarctabatur ſpiritus ejus donec perficeretur. Optabat igitur Chriſtus*

Cruc

*Cruci affigi, optabatque cælum illud nobile & ſpirituale ſuum ſcilicet corpus cruce inſigniri. Quid igitur mirum ſi cælum hoc materiale eadem cruce velit exornari.* O ſtupenda admirandaq; divinæ omnipotentiæ miracula! Lignum quoddam quod utpote ſemper & ab omnibus æſtimatum vile & infame, cuivis horrendum & abominabile fuit, quod quilibet non ſolum videre, ſed & tangere exhorreſcebat, adeo factum eſt pretioſum nobile & pulchrum, ut ipſam quoque Paradiſi gloriam & Regnum decoris exornare potuerit.

21. Exodi Librum legentes invenietis Deum præcepiſſe ac mandaſſe Moyſi, ut duos fabricaret Cherubim, eoſque ab utroque arcæ latere, verſis illorum in propitiatorium vultibus, collocaret, ſic enim dicitur Exodi capite vigeſimo nono, verſu vigeſimo nono. *Duos Cherubim aureos & productiles facies ex utraque parte oraculi. Cherubim unus ſit in latere uno, & alter in altero; reſpiciantque ſe mutuo, verſis vultibus in propitiatorium.* Circa quem locum meritò quærendum & inveſtigandum venit, quidnam propitiatorium illud, quod duo illi beati ſpiritus qui Deum continuò vident, fixis adeò oculis reſpiciunt, ſignificarit? Significabat ſanctam Crucem, inquit Petrus Damianus ſermone quadrageſimo octavo. *Crux eſt propitiatorium, quod duo Cherubim verſis in ſe invicem vultibus aſpiciunt.* Sola enim cauſa, ob quam uti diximus, Crux judicato jam mundo in cæli medio collocabitur, hæc eſt, ut illius viſione & jucundo aſpectu lætificentur & beatificentur beati; atque ideò beati hi ſpiritus verſos habent in hoc Crucis propitiatorium vultus, quaſi ſingularem ex ejus aſpectu haurirent lætitiam & beatitudinem. *Explet itaque inductio*, inquit idemmet Doctor, *cum ipſa Cruce omnes juſti ſimul provehuntur ad regnum, cujus olim ſive in pace, ſive in perſecutione pertulere ſupplicium. In illa igitur immortalitatis gloria, Crucem ſplendidiſſimam ſemper aſpiciunt, ſignumque victoriæ, quo redempti ſunt, mundumque vicerunt, habere ſe præmium ineffabiliter gratulantur.* Id quod ſupra quamvis aliam hactenus adductam rationem inſignem ſanctæ Crucis exaltationem adeò ſtupendam demonſtrat, ut majorem ſibi humanus intellectus imaginari non poſſit. Eo ipſo enim quo Deus illam Beatorum oculis continuò videndam objecit, illam veluti deificavit, & quoddam Beatitudinis objectum eſſe voluit.

22. Tandem quia de Crucis exaltatione juxta capacitatem noſtram ſufficienter hactenus locuti ſumus, reſtat, ut ſicut promiſimus, de noſtra quoque per Crucem nobis comparata Exaltatione tractemus; atque ideo ſciendum inprimis eſt, quod eo tempore, quo peccati eramus mancipia, verè fuerimus mortui, imò nihil, & ſi quid nihilo minus eſſe poteſt. *Quando tot in hoc mundo homines peccatores conſpicio ac intueor*, inquit in caput ſextum Matthæi Paulus à Palatio, *Videre videor quandam rempublicam mortuorum.* Quis enim peccati ſervos, non dicat eſſe mortuos, quando ex determinatione legum civilium, Lege duodecima de Captivitate. Homo aliquis in manus inimicorum lapſus & in ſervitutem redactus civiliter cenſeri mortuus debet: *Qui moritur apud hoſtes, fingitur mortuus prima hora captivitatis.* Ob eandem quoque cauſam nihil eramus, ſiquidem ſervi ab iiſdem legibus pro nihilo habentur. Unde Cælius Rhodiginus libro decimo ſeptimo, capite vigeſimo nono dicit: *Quod attinet ad jus civile, ſervi pro nullis habentur.* Imò nihilo deteriores ſumus, cùm enim peccator peccati, quod nihil eſt, ſervus exiſtat, ſervus autem Domino ſuo inferior ac minor cenſeri debeat, ſequitur manifeſtè peccatorem minus eſſe quàm nihil. *Porrò, cùm peccatum*, inquit parte tertia ſerm. Penth. articulo primo, capite ſexto Mellifluus Doctor Sanctus Bernardinus, *nihil aliud ſit, niſi privatio ipſius boni, manifeſtè clareſcit, quod peccator quodammodo minus quàm nihil eſt, cùm peccatum ſit Dominus ejus.* Quiſnam ab hac tali ſervitute malorum omnium cauſa liberare nos potuit? Crux Chriſti, quæ à Divo Chryſoſtomo Eccleſiæ Doctore Homilia de Cruce, tomo tertio, *ſervorum libertas* appellatur. Crux liberatrix noſtra extiterit. Ipſa namque à morte nos exaltavit ad vitam, ex nihilo, & quod nihilominus eſt, nos à peccati catena ſolvens tales effecit ac tantos, ut Angelis cæli nos adæquaverit & principibus Paradiſi.

23. Porrò ſi ad hominis figuram benè attendamus, inveniemus illum per Crucem duntaxat à cæterorum irrationalium & brutorum figura differre. Deus enim hominem ad inſtar Crucis cujuſdam efformavit, prouti videre poterit, ſi hominem expanſis brachiis & erecto corpore in pedes ſuos erigatis, qualem formam cætera animalia nequaquam referunt. *Humana figura*, inquit Juſtinus Martyr Ap. 2. *non alia re à belluis differt quàm per ſignum Crucis.* Quidnam obſecro Deus homini innuere voluit, quando illum ſub hac figura plaſmavit? Nimirum indicare illis contendit, illos ſine cruce beſtias, ignorantes, & ſtolidos, cum cruce

vero homines eſſe ſapientes & prudentes. Vnde à Chryſoſtomo ubi ſupra etiam *Inſenſatorum ſapientia* vocitatur. Crux nos ex beſtiis homines effecit: Crux vultum noſtrum in cælum erexit & ſuſtulit, quem antea veluti beſtiæ in terram habebamus defixum. Sine illa nec finem, ob quem à Deo conditi ſumus, aſſequi, nec ſperare Paradiſum potuiſſemus.

24. Quando Deus veluti in foro inter nundinas conſtitutus per os ſanctiſſimi Eccleſiæ Doctoris ſui Auguſtini ad nos clamans dicit: *Venale habeo regnum cœlorum*, atque ideo quiſquis illud ſibi comparare cogitat, me conveniat: quod idem eſt, ac ſi diceret: Quiſquis magnus quidam Rex fieri, atque glorioſo diademate coronari deſiderat, mihi appropinquet, ego enim ſum, qui coronas venales habeo pretioſiſſimas: ad hoc tantum collimare videtur, ut nos confundat, noſque de mercibus ſuis quas vænales habet, comparandis deſperare faciat. Quis enim adeo erit opulentus, cui tanta ſit pecuniarum copia & quantitas, quanta ad diademata & regna ampliſſima comparanda requiritur. Quod ſi enim Pſalmiſta David, tametſi Rex eſſet multorumque Regnorum Monarcha potentiſſimus, tantiſque eſſet divitiis cumulatus, ut argentum veluti lutum nihili faceret, pro hujus tamen vaſtiſſimi atque ampliſſimi Regni cælorum comparatione, pauperem ſe eſſe profitebatur & egenum, adeo ut tametſi à prima juventute ad canos uſque annos duris ſe & non ferendis conſumpſiſſet laboribus, ne vel minimum tamen pro hoc cælorum regno comparando lucrari denarium potuerit, Pſalmo octuageſimo ſeptimo, verſu decimo ſexto. *Pauper ſum ego, & in laboribus à juventute mea*: quis aliorum hominum invenietur, qui de cæleſti regno comparando cogitare auſit? Veruntamen optimi Auditores, nemo diffidat, nemo deſperet, nemo de pretio, quod pro cælorum regno comparando requiritur, habendo ſollicitè nimis cogitet, quaſi in crucem oculos ſuos nonnihil elevet, pretium pro tam ingenti regno ſufficientiſſimum, ipſamet Eccleſia teſte, ſtatim inveniet, hæc enim in Hymno de cruce, ita canit:

*Beata cujus brachiis*
*Sacli pependit pretium.*

Quæ proinde etiam à Divo Ioanne Chryſoſtomo ubi ſupra: *Conſolatio pauperum* appellatur ac nuncupatur; & quidem non immeritò: Magna enim, imò maxima eſſet hominibus inconſolabiliter & indeſinenter dolendi occaſio, dum ſe ob naturalem ſibi paupertatem & inopiam, qua premuntur ad cælorum regnum comparandum impares vident, & inſufficientes, niſi crux eoſdem omnia illis ad cælum acquirendum requiſita, ſubminiſtrando, conſolaretur. Quantum igitur nos ſanctiſſima crux dignificat & exaltat, quando nobis extremè agenis & Iro pauperioribus ad cælum comparandum denarios & pretium ſufficiens & abundans ſubminiſtrat, noſque magni illius Regni Monarchas & Reges potentiſſimos conſtituit.

25. Dicite mihi, quidnam Chriſtus dare nobis intendebat, quando crucem nobis amplectendam eſſe docens, Matthæi capite decimo ſexto, verſu vigeſimo quarto dicit: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum & tollat crucem ſuam, & ſequatur me*: Nimirum Paradiſi cæleſtis poſſeſſionem & dominium nobis dare volebat: Nam ut Sanctus Vincentius Sermone de Sancto Bartholomæo inquit: *Crux Chriſti, clavis eſt Paradiſi*: Qui autem Palatii, vel civitatis, vel Gazæ alicujus clavem alicui donat, illius poſſeſſionem ei dare cenſetur, nam ut ait Bartolus, Lege ſeptima de acquirendo rerum dominio: *Per traditionem clavium tranſit poſſeſſio*. Vnde Chriſtus crucem nobis imponendo, cæleſtis regni poſſeſſionem nobis dare cenſetur. Per crucem igitur regni cælorum dominium acquirimus: per crucem potentiſſimi Reges creamur; per crucem denique, uti vulgo dici ſolet è *remo ad tribunal* ingenti cum ſtupore evehimur.

26. Advertendum inſuper, ac vigilantibus oculis inſpiciendum, quod crux à Sancto Ioanne Chryſoſtomo celeberrimo Eccleſiæ Doctore, & acerrimo Catholicæ fidei propugnatore, loco ſupius citato *Claudorum baculus* nominetur; Qui uti credo in hoc Epitheto aſſignando illis Pſalmo 22. verſ. 5. Verbis innititur: *Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt*. Cur obſecro crucem baculum appellat? Vt hominis exaltationem à Cruce procedere inſinuet. Quid enim aliud eſt homo, quàm vitis quædam, quæ niſi baculo aut arundini innitatur, per terram ſerpat neceſſum eſt? Quid homo eſt aliud quam Elephas quidam, qui niſi à trunco ſuſtentetur ſomni quietem capere non poteſt? Quid denique aliud eſt homo quam ſeniculus aliquis decrepitus, qui niſi fulcro ſeu ſcipioni innita-

tur per terram uti beſtia repere debet, quia ut homo erecto corpore ambulare non valet? Baculus igitur ſanctiſſimæ crucis de terra nos erigit, pro quiete capienda nos deorſum ſuſpenſos tenet, atque ne in beſtias & bruta animantia degeneremus, homines nos efficit rationales, *Claudorum baculus.*

27. Princeps aliquis majorem nequit habere aut deſiderare gloriam, aut honoris dignitatem, quàm ſi per frequentes adverſus fortiſſimos hoſtes ſuos obtentas victorias eouſque pertingat, ut glorioſum Invicti nomen ſibi acquiſiverit. Sicut enim ſemper vinci grandis eſt injuria, ita admirabilis eſt gloria, & decus, ſemper eſſe & manere victorem. Homo autem ut invictus fiat, aliis potentioribus armis, quam ſancta cruce uti nequit; atque ideo facilè quilibet poteſt conjicere, quantum illa nos exaltet, glorioſosque efficiat. Id quod in ſingulari illo, quod Davidem adoleſcentem magnanimum inter & Goliath monſtroſiſſimam terræ molem, interceſſit certamine ſive duello manifeſtius vos cernere volo, cui David impacto in frontem ejus ex funda emiſſo lapide, vitam ſimul cum capite vituperoſiſſimè ſuſtulit. *Tulit unum lapidem, & funda jecit, & circumducens percuſſit Philiſthæum in fronte, & infixus eſt lapis in fronte ejus, & cecidit in faciem ſuper terram*, inquit de Davide ſacer ſcripturæ textus, libro primo Regum, capite decimo ſeptimo, verſu quadrageſimo nono. Quod ſi quis ex me quæſierit, cur David Goliathum gygantem non in pede vel manu aliqua, aut in ventre vel pectore, vel alia quavis corporis parte, ſed in fronte præciſè percuſſerit; Rationem hujus hanc eſſe dicam, quod ipſum in alia corporis parte, præterquam in fronte percutere vel lædere nequaquam potuerit, utpote qui in omnibus corporis ſui partibus munitus atque armatus, in ſola autem fronte ſua inermis erat; nam ut Sanctus Ambroſius ſermone vigeſimo quarto de Sanctis dicit, ipſe veluti gentibus & idololatra, fortiſſima ſanctæ Crucis armatura ſpoliatus erat, qua Chriſtiani frontem ſuam communire & defendere ſolent. *Quamvis enim Goliath*, ita inquit Sanctus Eccleſiæ Doctor: *Vndique armorum protectione munitus, frons tamen ejus patebat ad mortem, quia ſignaculum Salvatoris non geſtabat.* Quod ſi hic Gygas Chriſtianus fuiſſet, frontemque ſuam Chriſtianorum more admirabili hoc crucis ſigno communiſſet, utique cum ipſiſſimis quoque damnatis Inferni ſpiritibus confligens, generosè pugnans, eoſque glorioſiſſimè debellans, & in turpiſſimam fugam agens, remanſiſſet invictus, laurumque victoriæ reportans. Id quod certiſſimum eſt; cum enim David Dæmonum generoſiſſimus debellator & triumphator, ipſum communitum non potuerit proſternere, multo id minus Dæmonibus juratis humani generis hoſtibus fieri potuiſſet. In hujus armaturæ inſuperabili fortitudine fiducialisſimè gloriabatur, atque inter inimicorum jacula invictus permanſit Sanctus Martinus, dicens: *Ego ſigno Crucis non Clypeo protectus, aut galea, hoſtium cuneos penetrabo ſecurus.* Quidnam ſanctum hunc Martyrem, generoſisſimumque Chriſti athletam jamjam conflicturum, inter arma potentisſima, truculentisſimaque, quæ infernus ad hunc Chriſti athletam tanto cum ſtudio adinvenit, conſtantem, magnanimiter debellantem, invictum conſervavit? Certè aliud omnino nihil quam ferrea ſanctisſimæ Crucis Lorica. *Hac thoracis loco amicti milites Chriſti, ſancti Martyres, quaſcunque artes & adinventiones, audaciamque truculentiſſimorum tyrannorum ſuperarunt ac defluxerunt, & audacter ac intrepidi Chriſtum Ieſum Dominum ac Redemptorem Crucifixum prædicaverunt*, inquit Sanctus Ephrem de Cruce. Digniores igitur aut nobiliores nos ſancta Crux efficere minimè valet, quam dum invictos nos efficit.

28. Cur obſecro Clerus, dum mortui alicujus cadaver ad tumulum deducit, ante feretrum ejus crucem deferre conſuevit? Vera hujus Ceremoniæ ratio eſt, ut per illam inſinuetur, quod licet porta mortis ante crucem ſtricta fuerit, difficilis & periculoſa, ideoque ob formidinem in Dæmonum infernalium prædonum poteſtatem incidendi, quilibet illam pertranſiturus timuerit & tremuerit? Veruntamen quia via ad mortem poſt perpeſſam à Chriſto Domino & Redemptore noſtro mortem crucis, adeo fuit ab omnibus periculis liberata & expurgata, nemini hanc mortis partem tranſituro, ulla mali alicujus pertimeſcendi ratio amplius ſubeſſe poteſt. Quia cum Chriſtus mortem ſuam in cruce ſuſtinuit, ideo qui crucem ſecum portat, Chriſtum ſecum habeat, qui illum aſſociat, defendit & protegit, ſalvumque ad ſalutis portum perducit. Ita Hugo Cardinalis in caput 46. Geneſeos diſcurrit dicens: *Ante mortem Chriſti anguſta erat porta iſta, & periculoſum exire per ipſam: ſed Chriſtus in ritus factus eſt ductor, propugnator hoſtium, qui inſidiantur in*

*tur importa*, *ideo Dominus tanquam Dux præcedit. Unde & in funeribus præcedit Crux.* Crux igitur in tantam nos magnanimitatem extulit, ut mortem jam non timere, ſed contemnere nos faciat, licet ſit omnium horribilium horribiliſſima. *Ex quo Crux erecta fuit*, inquit Andreas Cretenſis, *mors habita fuit contemptui*, illa ſola intrepidos, generoſos & invictos nos efficit.

29. Id quod in hac materia præcipuè advertendum venit, eſt, quod ſancta Crux nos non ſolum ad tranſeundum per doloroſiſſimas & tremendas mortis portas animos faciat & intrepidos, verum etiam quod nos inſuper adeo confortet & corroboret, ut jubilando & canendo moriamur. Apoſtoli mortem ob oculos habentes, non ſolum non timebant, ſed lætabantur etiam. *Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati*, inquit Sanctus Evangeliſta Lucas, Actorum capite quinto, verſu quadrageſimo primo. Sanctus Stephanus Protomartyr horrendos lapides illos quibuſcum tanta cum crudelitate ſaucitatus & occiſus fuit, non ſolum non eſt expertus amaros, verum etiam dulces eſſe reperit & ſuaves. *Lapides torrentis illi dulces fuerunt*, inquit de eo ſancta mater Eccleſia. An non Agatha quoque virgo teneriima atque caſtiſſima mortem haud ſecus intrepido animo acceſſit, quàm ſi deliciosiſſimas aditura nuptias eſſet: *Quaſi ad epulas lautiſſimas invitata agonem ſuum Domino commendabat*, inquit eadem ſancta mater noſtra Eccleſia. Unde hæc tanta cordis dulcedo & exultatio præterquam à Sanctiſſima Chriſti cruce naſci potuit: Lignum illud, quod Deus olim in Veteri Teſtamento Ductori Populi Iſraelitici Moyſi demonſtravit, quocum amariſſimas maris aquas miraculosè dulces reddidit & ſuaves (*oſtendit ei lignum*, inquit Sacer textus, Exodi capite decimó quinto, verſu vigeſimo quinto, *quod cum miſiſſet in aquas, in dulcedinem verſa ſunt*) crucem expreſsè ſignificabat: *Per lignum aquas dulces fecit, præfigurans gloriam & gratiam Crucis*, inquit cum vetuſtiſſimo Origene Gloſſa in caput decimum quintum Exodi. Crux enim per lignum iſtud ſignificata, aquas torrentis mortis, ab antiqua & ſolita amaritudine expurgans, admirabili illas dulcedine imbuitura erat. De Cruce quadam in altiſſimis Æthiopiæ montibus ſituata ſtupenda & prodigioſa refert Petrus Berchorius in Dictionario V. Paradiſus: *Narratur*, inquit hic ſcriptor, *quod in partibus Æthiopiæ eſt Crux viſa in quibuſdam montibus arduis conſtituta: quam quicunque locum illum aſcendendo tranſierit, ſtatim ridere compellitur, ac ridendo ſenſim trahitur, & ad cacumina montis amplius non rediturus violenter aſcendere comprobatur: exiſtimant enim fatui quidam, quod ibi ſit Paradiſus.* Crux hæc veriſſimum eſt ſacroſanctæ crucis Chriſti Domini & redemptoris noſtri hieroglyphicum, utpote quæ ſola *Crux viſus* dici meretur, eo quod homines ridentes & jubilantes, in afflictionibus ad mortem uſque faciat, eoſdemque in verum Paradiſum ad ſocietatem Angelorum & Beatificam Dei viſionem, ut æternum ridere poſſint, evehat & exaltet.

30. Certiſſimum eſt, hominem poſtquam Divinis præceptis obedire noluit, adeo factum eſſe vilem, abjectum & ignobilem, ut David illum beſtiæ alicui aſſimilare non dubitaverit, Pſalmo quadrageſimo octavo, verſu decimo tertio dicens: *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Imo adeo factus eſt vilis, ut ei qui hominem viliter nominare & contemnere vult, ſufficiat ſi hominem illum vocet. Sic Divus Paulus Apoſtolus prima ad Corinthios, capite tertio, verſu ſecundo, Corinthios homines appellans: *Cum ſint inter vos contentiones, nunquid non homines eſtis?* illos viles imo viliſſimos appellare volebat. *Homines eſtis*, inquit Paulus de Palatio in caput decimum tertium Matthæi Evangeliſtæ, *id eſt, viliſſimi eſtis.* Cum igitur homo ſit Creatura adeo ignobilis & vilis, unde hoc habet, quod adeo honoretur, & veluti ſi cæleſtis quædam creatura eſſet, in cælum uſque inter nobiliſſimos regni cæleſtis principes evehi & ſublimari mereatur? A ſancta cruce utique tantum ſibi honorem acquiſivit. Ab eo namque tempore, quo Chriſtus Dominus noſter in crucem aſcendit, homines ab antiqua ſua vilitate & ignominia perfectè purgavit. *Glorificatur Chriſtus in Cruce*, inquit Andreas Cretenſis ubi ſupra, *& eorum, qui propter peccata ceciderunt, deletur ignominia.* Unde liberè dici poteſt, Crucem ſolam eſſe, quæ ut dicitur, Pſalmo centeſimo decimo ſecundo, verſu ſeptimo: *De ſtercore elevat pauperem, ut conſtituat eum cum principibus, cum principibus populi ſui.* Crux Chriſti nos qui adeo viles & abjecti eramus, adeo dignificavit & extulit, ut jam cæleſtis gloriæ principatum & dignitatem obtinere poſſimus, & de facto obtineamus.

31. Majeſtas Angelorum erga homines in antiquo teſtamento exhibita, admirabilis prorſus erat, imo talis ac tanta, ut ne quidem ſe ab hominibus videri permitteretur. Quod enim angelus ille, qui integra nocte cum Iacobo Patriarcha luctatus fuerat, illuceſcente aurora, Patriarchæ, Geneſeos capite trigeſimo ſecundo, verſu vigeſimo ſexto dixerit: *Dimitte me, jam enim aſcendit aurora*, id alia de cauſa factum non fuit, quam ne à Iacobo perſpicuè videre, aut nimium ipſi familiaris fieri poſſet: *Nolebat cognoſci quantum ad effigiem*, inquit Oleaſter in caput trigeſimum ſecundum Geneſeos, *nolunt enim ſuperiores cives, ſe tam palam oſtendere, ne familiarius cognoſcantur.* Erant tunc homines adeo vituperoſi & abjecti, ut Angeli pro gravitate & majeſtate ſua conſervanda, cum hominibus familiarius agere & converſari erubuerint. Poſtea vero tanta fuit Angelorum cum hominibus mutua familiaritas, quanta antea erat eorum majeſtas & gravitas. Poſtea namque Angeli ſe non ſolum ab hominibus permiſerunt conſpici, aut cum iiſdem dignati ſunt converſari, imo longas cum iiſdem peregrinationes & prolixa itinera conficere, verum quod plus eſt, tanta præſtiterunt hominibus obſequia & ſervitia, qualia ſervi ſuis exhibere Dominis & Patronis ſolent. Idipſum Ioannes de Turre Cremata in cap. Quid ſit. de Conſecrat. diſtinctione ſecunda obſervans, dicere præſumpſit: *Angelica natura ſervit homini.* Numquid enim legiſtis vel audiviſtis Angelum quendam Sancto Antonio Paduano veluti literarum portitorem miniſtraſſe: Unde tanta Angelorum erga homines familiaritas & amicitia ſuam traxit originem? *A Cruce*, inquit Andreas Cretenſis ubi ſupra. Neque id mirum alicui videri debet, quia ſi Crux homines DEO familiares efficere prævaluit, multo magis eoſdem cum Angelis DEI ſervitoribus familiares reddere potuit. *Ex quo Crux*, inquit hic Doctor modò nominatus, *erecta à Chriſto Domino noſtro fuit, verſantur homines ſimul cum Angelis, & Deus ab hominibus capitur, & cum eis congreditur & conjungitur*: Quanta igitur eſt noſtra erga ſanctam Crucem obligatio, quæ nos cùm adeo viles & abjecti eſſemus, à tanta vilitate & ignominia expurgavit, noſque cum cæleſtibus Angelis, imo, quod & majus eſt, cum Angelorum ſupremo Domino & Rege conjunxit.

32. Nemo Angelos per ſanctam Crucem hominibus familiares factos eſſe miretur, quando homines, ejuſdem ſanctæ Crucis virtute & efficacia in Angelos transformantur. *Hæc Crux*, inquit os aureum Divi Chryſoſtomi, Homilia quinquageſima quinta in Evangeliſtam Matthæum, *terram in cælum reſtituit, & ex hominibus Angelos effecit.* Crux Chriſti eandem habet cum illa Hiberniæ arbore conditionem, quæ certas quaſdam aves fructuum loco producit, quæ roſtris à ligno, à quo antea ſuſpenſæ pendebant, ſolutis liberè per aera volitant, uti Giraldus Hiſtoriarum Scriptor celeberrimus, de mirabilibus Hiberniæ ſcribit. Omnes quotquot hodie in cælis in Angelos ſunt transformati, & cum Angelis Deum clarè videntes beatificantur, filii ſunt ſanctæ Crucis. Crux illos in utero ſuo portavit, crux illos peperit, & enutrivit: *Venter qui beatos genuit, Crux eſt: Mater quæ peperit, Crux eſt: Pectus quod lactavit, Crux eſt*, inquit in caput vigeſimum quartum Matthæi Apoſtoli & Evangeliſtæ, Paulus de Palatio. Cùm igitur crux homines in Angelos transformarit, adeo utique eos in altum dignitatis faſtigium evexit, quantum cælum à terra ſubvehitur.

33. Tanta eſt, quam per ſacroſanctum admirabilis Euchariſtiæ paſtum conſequimur, dignitas, & excellentia noſtra, ut eam nulla poſſit lingua creata explicare. Quod ſi enim alia, quæ à Deo conſecuti ſumus beneficia, ineffabilem nobis contulere dignitatem, teſte Sancto & Angelico Doctore Divo Thoma Aquinate Opuſculo quinquageſimo ſeptimo? *Immenſa divinæ largitatis beneficia, exhibita populo Chriſtiano, inæſtimabilem ei conferunt dignitatem*, qualem & quantam nobis dignitatem admirabile hoc beneficium contulerit, in quo ad animæ noſtræ nutrimentum omnium divinorum recipimus datorem, per quod panem manducantes Angelorum, Angelis non ſolum facti ſumus æquales, verum inſuper in Deum transformati deificamur, & veluti, quot ſumus de hoc Angelorum pane manducantes, totidem Dii efficimur? Rupertus in caput ſextum Ioannis Evangeliſtæ dicit, Chriſtum, quando Ioannis capite ſexto, verſu 57 dicit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo*, idem dicere voluiſſe, ac ſi dixiſſet: *Quid enim ego, niſi Deus, niſi Dei ſapientia, niſi vera, ſumma, ſempiterna Deitas? Ergo is in quo maneo ego, Divinitatem in ſe transfuſam habens, Deus factus eſt.* Verum dicat aliquis, è cujus manibus ineffabile hoc beneficium recepturi ſumus? à manibus Crucis, Deus enim

agnum Paſchalem, Euchariſtiæ figuram, in duobus bacillis aſſari voluit, quorum unus a pedibus trajiceretur ad caput, alter vero tranſverſos armos penetraret. *Agnus in Crucis forma expenſus aſſabatur, ita ut bacillus rectus ab imo uſque ad caput trajiceretur, alter tranſverſus armos diſtenderet*, inquit apud Ioannem Lorinum in cap. 9 Numerorum v.10. Iuſtinus Martyr. Cur id præceptum fuiſſe exiſtimas? ut Agnus Paſchalis ad menſam appoſitus è crucis manibus reciperetur, utpote qui crucis virtute fuerat præparatus. Audiſtiſne quantum nos per ſanctam Christi crucem ſublimari & evecti ſimus. Neque enim nos à nihilo, aut ſi quid eo minus eſſe poteſt, liberavit; nec tantum nos, qui beſtiæ eramus, homines reddidit, & in Angelos transformavit, verum etiam divinum carnis Chriſti cibum manducandum nobis præbens, totidem quaſi Deos effecit. Sit igitur glorioſiſſimum crucis lignum ſemper benedictum, laudatum, & glorificatum ſemper, utpote ſummæ gloriæ noſtræ efficaciſſima cauſa, & nobile inſtrumentorum.

(✠✠✠)
✠

# PANEGYRICVS XLI.

## De S. MATTHÆO Glorioſiſſimo Chriſti Apoſtolo & Evangeliſta.

## THEMA.

Cùm tranſiret inde IESVS, vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi: ſequere me, Matth. 9. verſ. 9.

## ARGVMENTVM.

*Stupenda Sancti Matthæi Apoſtoli excellentia & ſublimatio divinis Chriſti attribuenda eſt oculis.*

QVemadmodum Sanctus Petrus Apoſtolus Divinæ Chriſti dexteræ eſt obligatiſſimus, quæ ipſum de profundo aquarum, ne mergeretur erexit, de morte item ad vitam, deque infidelitate ad fidem reduxit. Similiter ſicuti Sanctus Ioannes Apoſtolus & Evangeliſta, obſtrictiſſimus eſt pectori Chriſti, in quo de terra in cælum, imo ſuper omnes cælos ad ineffabilem myſterii glorioſiſſimæ Trinitatis ſcientiam fuit elevatus. Sicut item Maria Magdalena devinctiſſima eſſe debet ſacris Chriſti pedibus, per quos à Lupanari in ſublime caſtitatis cælum evecta fuit. Adhæc ſicuti Sanctus Thomas Apoſtolus gratiſſimus eſſe debet ſacratiſſimis Chriſti vulneribus, à quibus veluti à totidem ſolaribus ac radiantibus aſtris, ab erroris ſui tenebris expurgatus atque in ſacramento reſurrectionis Chriſti illuſtratus & corroboratus fuit. Denique quemadmodum juſtus latro umbræ corporis Chriſti obligatiſſimus eſſe debet, utpote qua mediante de peccato ad gratiam, de tormento ad præmium, de terra ad cælum inuſitato quodam miraculo evectus fuit. Ita quoque Sanctus Matthæus Apoſtolus obligatiſſimum ſe agnoſcere debet divinis Chriſti oculis, à quibus omnes ejus honores, omnis gloria, exaltatio ſuam ſumit originem. Poſtquam enim Chriſtus illum ſemel dignatus eſt reſpicere, poſtquam Matth. cap. 9. verſ. 9. *Vidit hominem ſedentem in telonio,* eundem mox tantis honoribus auxit atque magnificavit, quantus etiamnum in terra ſimul & in cælo inter Angelos & æternæ gloriæ beatus cumulatus eſſe conſpicitur. Porro veritatem iſtam ad majorem ejus, nec non Dei Optimi Maximi tantis eum favoribus & gratiis proſequi dignantis gloriam, aliquan-

aliquantò prolixiùs hoc Panegyrico perſtringamus.

2. Porrò quia Matthæus eodem prorſus tempore quo locupletiſſimus erat, atque in telonio ſedens auro abundabat & argento, ut Chriſtum expeditus ſequi poſſet, omne quod poſſidebat aurum & argentum, & quidquid hic in terris habebat, ultro citroque deſerens, ſubitò factus eſt pauperrimus, teſte Sancto Luca Evangeliſta, qui capite quinto Evangelii ſui, verſu vigeſimo octavo de ipſo dicit: *Relictis omnibus ſurgens ſecutus eſt eum.* Meritò non nemo ſciſcitari ex me poſſet, quidnam ipſum adeo ſubito omnibus quas habebat facultatibus ſpoliatum, ad tantam redigere paupertatem potuerit? Huic igitur, id oculos Chriſti feciſſe, reſpondeo; Hi enim ipſum omnibus divitiis ſuis exuerunt, & fecerunt pauperem. Quia enim præteriens, Jeſus *Vidit hominem ſedentem in telonio*, ideo mox ex hujus divini aſpectus virtute: relictis omnibus ſecutus eſt eum. Idque aliter fieri haudquaquam poterat; Cum enim oculi noſtri veri latrones ſint qui animam noſtram bonis ſpiritualibus ad ſalutem noſtram adeo neceſſariis, deſpoliant, & in extremam virtutum & gratiarum inopiam reducunt, ut proinde Jeremias Thren. 3. verſu quinquageſimo primo merito dixerit: *Oculus meus deprædatus eſt animam meam:* æquum erat ut oculi Dei nos bonis corporalibus cælo comparando adeo contrariis exuerent. Atqi ideo cùm Deus potentior eſſe debeat in bonis eliciendis, quam nos in faciendis malis, oculi autem ad ingens damnum noſtrum in tantum prævaleant, ut animam iis bonis exuunt, quæ ad cælum nos perducunt, merito oculi Divini nos corporis bonis ſpoliant, quæ pondere ſuo ad infernum inclinant.

3. Etenim neceſſum erat, ut Chriſtus Matthæum reſpiciens, illum ſubito faceret pauperem, Matthæus namque Cryſtallinum, terſum, & politum quoddam ſpeculum erat: *Erat enim ipſe tanquam ſpeculum perlucidum*, inquit de ſancto hoc Apoſtolo loquens Rupertus libro octavo in Matthæum. Sicut enim homo qui ſpeculum intuetur ſuam illi imaginem imprimit, pulchram quidem ſi pulcher eſt: turpem vero ſi turpis: Lætam quoque ſi ſpeculum inſpiciens lætus eſt; ſi denique pauper eſt & ſqualidus pauperem quoque & miſeram, & ſic deinceps de aliis hominum conditionibus diſcurrendo: Ita quoque Chriſtus pauper & inops oculorum ſuorum obtutus in Matthæum defigens, in eo utique paupertatis imaginem fortiter impreſſam reliquit, & pauperem effecit. Sancti in tantum ſunt pauperes, in quantum Chriſti ſpecula fuere, in quibus Chriſtus eadem inſpicere dignatus, imaginem ſuam impreſſam reliquit. Unde pauper quoque ſpeculum Chriſti recte vocatur: *Cùm pauperem videris*, dicebat Seraphicus Parens noſter apud Bartholomæum Piſanum libro primo Conformit. fruct. 12. p. 2. *Speculum tibi proponitur Domini*, cui Chriſtus illud reſpiciens imaginem ſuam, id eſt, paupertatem ſuam impreſſam reliquit.

4. Sciendum etiam eſt, quod per duodecim fontes Helim, juxta quos Hebræorum populus Ægyptum egreſſus, inter alia deſerti loca, uti Numerorum capite trigeſimo tertio, verſu nono legitur, quievit, communiter intelligantur duodecim Apoſtoli: *Duodecim fontes deſignant duodecim Chriſtiani gregis Doctores, id eſt, deſignant duodecim Apoſtolos*, dicit libro de quatuordecim manſionibus Manſione ſexta. Sanctus Ambroſius, atque ideo fons quidam cenſendus eſt Sanctus Matthæus Apoſtolus & Evangeliſta. Hic autem fons ante converſionem ſuam amariſſimis & damnoſiſſimis humanarum divitiarum aquis peſſimè redundabat, quæ deorſum impetuoſiſſimè decurrentes, rapidiſſimo curſu ſeu potius lapſu ſuo ejus animam ad infernalem rapiebant abyſſum; qui mox ut illum Chriſtus inſpexit, aquis noxiis ſubito & mirabiliter diffuſis atque diſperſis, aquis impletus eſt ſapientiæ ſalientis in vitam æternam. Etenim dum Sanctum Matthæum in ſua converſione conſidero, illum certo cuidam in Scotia ſcaturienti fonti ſimilem eſſe comperio, qui quietus & tranquillus aquas ſuas in ſinu ſuo continet, quamdiu non aſpicitur, mox vero ut homo illum inſpicit veluti furibundus aquas ſuas repentino & ingenti cum impetu eructat & foris evomit: *Si faciem in fontem quis vertat, aqua quaſi fontis pluvia diſpergitur*, inquit Berchorius in Dictionario V videre. Quamdiu Chriſtus Dei Ter Optimi Maximi filius atque humani generis reparator, Sanctum Matthæum Apoſtolum & Evangeliſtam non reſpexit, ipſe divitiarum ſuarum aquas quietè & pacificè ſecum ſemper retinuit, mox verò ut Chriſtus Jeſus illum vidit, veluti moleſtum & oneroſum illarum pondus faſtidiens mira cum ſollicitudine, quotquot habebat diſtribuit & dimiſit. Mox ut illum Chriſtus Dominus noſter vidit: *Cùm tranſiret inde Jeſus*, vidit hominem, telonium & univerſa ejus lucra, cunctaque bona terrena dimiſit; *& relictis omnibus* nudus nudum ſecutus eſt Chriſtum.

5 Verùm enimverò quia nonnemini ex iis quæ hucuſque diximus, videri non immeritò poſſet, Chriſtum, qui unico tantum oculorum obtutu Matthæum reſpiciendo eum ex divite pauperem reddidit ) Matthæum non illuſtraſſe aut extuliſſe, ſed potius dejeciſſe & ad ima uſque humiliaſſe, ſicut enim divites tanquam magni & illuſtres ſuſpiciuntur ab omnibus, ita pauper veluti humilis & abjectus à ſingulis contemnitur, ideo mira hæc & ſubita S. Matthæi converſio attentiùs à nobis conſideranda erit, ſic enim clarè & perſpicuè intelligemus, quod quando Chriſtus Matthæum vidit & divitem invenit, is reverà nequaquam dives, uti quidem exterius eſſe videbatur, ſed pauper abjectus & humilis fuerit: econtra verò quando illum oculorum ſuorum occulta virtute pauperem effecit illum mirè locupletatum magnum & illuſtrem reddiderit. Tunc fortaſſe ad divitem pertinere exiſtimas, quod tanta cum ſiti & deſiderio quæſivit, nec minori cum affectu etiamnum cenſerunt & poſſident? Falleris utique ſi id tibi perſuades. *Avarotam deeſt quod habet, quam quod non habet*, inquit Seneca. Dives ita verè pauper eſt cum nihil habeat. Tametſi David Rex fuerit opulentiſſimus & potentiſſimus, attamen divitias præ umbra ad nihilum propius accedere intelligens, ſe verè cenſebat pauperem Pſalmo trigeſimo nono verſu decimo octavo dicens: *Ego autem mendicus ſum & pauper, ſciebat enim:* inquit in Pſalmo trigeſimo nono Sanctus Chryſoſtomus, *omnia humana eſſe umbra imbecilliora*. Si verò deinceps pauperem Chriſtianum conſideremus, qui à Chriſto pauper ſpiritu dicitur, id eſt, eum qui omne quod in mundo eſt deſeruit & contempſit, meraque fruitur & contentus eſt paupertate illum opulentiſſimum eſſe comperiemus. *Hæ ſunt maximæ divitiæ*, inquit Seneca de moribus, *non deſiderare divitias*. Idemque alibi libro de paupertate inquit: *Qui cum paupertate benè convenit, dives eſt*. Imò hic adeò eſt opulentus & locuples ut omnes mundi hujus divites ne minimam quidem divitiarum ſuarum attingere particulam valeant. Talis namque per paupertatem ſuam cæleſtis gloriæ regnum comparare poterit, & de facto comparat, quod omnes in hoc mundo divites, qui ſunt, fuerunt & erunt cum univerſis theſauris ſuis comparare minimè potuerunt. *Felix eſt magna Chriſtianorum*, inquit ſermone vigeſimo octavo de verbis Apoſtoli Sanctus Auguſtinus, *quibus datum eſt, ut paupertate faciant pretium regni cælorum. Non tibi diſpliceat paupertas tua nihil ea poteſt ditius inveniri. Vis noſſe quam locuples ſit? Cælum emit. Quibus theſauris conferri poſſit, quod videmus paupertati indultum.*

6. Omninò mihi perſuadeo quod homo mundanus, cui una ex parte notum eſt, quod oculi Dei defixi ſint in pauperem, Davide atteſtante qui Pſalmo decimo nono verſu octavo ait: *Oculi ejus in pauperem reſpiciunt*, ex parte verò altera eoſdem oculos Matthæum virum divitem, omnibuſque bonis copiosè abundantem quales mundus ſuſpicere ſolet, intueri conſiderat, in admirationem raptus Deo in corde ſuo dicturus ſit. Qui fit ô Domine, quod tu alias in pauperem reſpicere conſueviſti, nimirum Jacobum in ſimeto, in lacu leonum Danielem, Paulum in deſerto, & ſub paupertatis flagello conſtrictum quemvis alium hominem, nunc econtra oculos tuos in Matthæum defigas hominem opulentum & divitem? verùm enimverò quod ſi quiſquis hæc in corde ſuo Matthæum in telonio argento abundantem accuratè circumſpiceret, illum utique Jobo in ſimeto conſidente longè videret pauperiorem, & conformiter ad ea quæ hactenus docuimus, confiteretur & Chriſtum in Matthæum reſpicientem, verum quendam reſpexiſſe pauperem diceret, eo tamen fine ut illum locupletaret, eumque paupertate relevaret. Divini igitur Chriſti oculi, dum Matthæum reſpiciendo illum pauperem faciunt, eundem non ſolùm non humiliarunt, & ad paupertatem redegerunt, verum inſuper eundem exaltarunt, tantiſque divitiis abundare fecerunt ut tale comparare ſibi regnum potuerit, cujus comparationi nullus unquam ſufficere poteſt denarius.

7. Jeremias Propheta Threnorum capite tertio verſu quadrageſimo nono duram illam, qua populus Domini in Babylonia premebatur, ſervitutem rectè conſiderans continuò, amareque plorabat à lachrimis illis nequaquam remiſſurus niſi Deus tantum de cælo malum dignaretur reſpicere, dicebatque: *Oculus meus afflictus eſt, nec tacuit, quod non eſſet requies, donec reſpiceret & videret Dominus de cælis.* Quidnam obſecro boni à Deo de cælis reſpiciente ſperare poterat? utique populi ſui ſperabat conſolationem & liberta-

bertatem. Quaſi diceret, inquit Rupertus Abbas libro primo capite ſeptuageſimo quinto in Jeremiam *Cujus aſpectus & viſus, & antiqua captivitatis ſolutio & præſentium captivorum, qui in Babylone ducti ſunt, conſolatio eſt.* Quaſi dicere voluiſſet: Quod ſi Deus miſerabilem hunc populum, tam dura ac intolerabili ſervitute preſſum vel ſemel aſpicere dignabitur certus ſum omnes ejus catenas fore ſolvendas, aperiendos carceres, & deſideratam reſtitutum in libertatem. Etenim an non Matthæum telonii curis adhuc vacantem conſiderantes eundem mundi cenſebitis mancipium, avaritiæ ſervum, Dæmoniſque captivum ? Nullum hac de re dubium eſt veruntamen Chriſto illum reſpiciente ſubito , & in unico momento deplorandis ſuis ſolutis vinculis in priſtinam denuò repoſitus eſt libertatem. Ehem quanta ſibi bona adſcivit, qui hanc talem ſibi libertatem acquirit? utique omnium totius mundi bonorum ſibi vendicat maximum : *Omnium humanorum bonorum libertas maximum putatur*, inquit Dionyſius Halicarnaſſæus lib. 12.

8. Porrò ad hoc vos inſuper attentos eſſe volo , quod ſcilicet Chriſtus poſtquam Matthæum à diris tantæ ſervitutis catenis exſolvit & liberavit , illum in ſuam mox ſervitutem redegerit. Nunquid enim videtis, quod eo ipſo quo ipſum aſpicit , ſimul cum ejus aſpectu ejuſdem capiat poſſeſſionem, qui proinde veluti unus ex ſervis aut mancipiis ſuis ſubitò illum ſequitur ? Tametſi enim ad capiendam rei alicujus poſſeſſionem , pedis in rem poſſidendam requiratur immiſſio. ( Neque enim *poſſeſſio* aliud quidpiam eſt , quam *quædam quaſi pedum poſitio*) Oculi tamen in illam obtutus ad ejuſdem rei poſſeſſionem habendam abunde ſufficiunt : *Oculis & aſpectu acquiritur poſſeſſio rei*, inquit Bartholus leg. 1. de acquir. poſſeſſ. Verum dicat aliquis quid Sanctus Matthæus ex hoc retulit utilitatis quod ab antiqua ſervitute factus ſit liber & immunis, quando poſtea in alteram mox deturbatus eſt ſervitutem , & minimè liber remanſit; Reſpondeo id ei adeò utile fuiſſe , ut majorem deſiderare utilitatem minimè potuerit. Eo ipſo enim quo Chriſtus illum diviniſſimorum oculorum ſuorum acie à mundi ſervitute exſolutum ſervum ſuum creavit, adeò illum ſublimavit, ut vix poſſet evehi altius Tantæ namque eſt dignitatis ſervum Dei eſſe ut Deus ad ſuam ſervitutem vel obſequium neminem ſine particulari gratia & privilegio recipiat , ipſe etenim ad qualemcunque favorem homini præſtandum imò ad hoc ut homini inſerviat ejuſque ſervus fiat, magis inclinatur, quam ut ipſum in ſuam ſervitutem admittit, & ſervum Dei faciat *Proclibilis inclinatur ſumma majeſtas ad creaturam, ſi obſequia ejus non recuſaverit , quam ſi ſua ſupererogans beneficia , humanis votis poſtulata præbuerit. Uſu nempe jam & conſuetudine Deus nobis gratis ſervire didicit, raro autem nec ſine privilegio gratiæ ab aliquo reciprocè ſervitium exigit*, Petrus Abbas Cellenſis libro de Tabernac.

9. Exiſtimo omninò vos ſæpius ad conſiderationem veſtram reflexiſſe, quod videlicet priuſquam Salvator noſter, quinque illos panes & duos piſces , quos tot hominum millibus manducandos apposuit , multiplicaſſet in deſerto, oculos ſuos prius in cælos elevarit : *acceptis quinque panibus, & duobus piſcibus*, inquit Sanctus Matthæus capite decimo quarto verſu trigeſimo nono, *Aſpiciens in cælum benedixit , &c.* Quidnam per hanc oculorum ſuorum in cælos elevationem uſum innuere voluiſſe exiſtimatis demonſtrare voluit , quod per illos oculorum ſuorum radios , virtutem multiplicandi panes , iſtudque miraculum operandi de cælo ſibi attraheret. En Originem in eandem nobiſcum ſententiam deſcendentem qui in Commentario ejuſdem loci ita inquit ; *Salvator primum ſuſpexit in cælum , nimirum oculorum ſuorum radiis veluti deducturus illinc potentiam , robur additurum quinque panibus , & duobus piſcibus ad nutriendum quinque hominum millia.* Oculi Chriſti Domini magnetes quidam ſunt , qui pro illis , quos dedignantur aſpicere locupletandis , bona cæleſtia continuò attrahunt. Unde facilis eſt conjectura, quot gratiis , quantiſque bonis & favoribus Sanctus Matthæus cumulatus fuerit , quando ſuper eum opulentiſſimi aperti ſunt theſauri, qui omnigenis Paradiſi bonis hominem locupletare ſolent.

10 Porrò quia Sanctus Matthæus jam à Chriſto vocatus , Dominum ſuum in domum ſuam invitatum ſplendido quodam excepit convivio. Lucæ capite quinto verſu vigeſimo nono : *Fecit ei convivium magnum levi in domo ſua* , eum utique domi ſuæ recepit , quem cæli cælorum capere

pere non poſſunt, & in quem Angeli proſpicere deſiderant, eum inquam, qui in ſanctiſſimæ matris ſuæ utero receptus, eundem in Paradiſum transformavit (omnis namque locus in quem ipſe pedem ſuum figere dignatus, Paradiſus efficitur: *Ubi enim Chriſtus ibi cælum*, inquit Sanctus Athanaſius apud Lippomannum octavo Decembris Atque ideo meritò quærendum nobis eſt, unde Sancto Matthæo tanta obtigerit gratia, tam dignum magnumque in domo ſua hoſpitem recipiendi, cujus præſentia adeò eſt favorabilis? Ab oculis divinis ipſum dignanter reſpicientibus gratiam iſtam ſibi obtinuit. Quia enim à Chriſto videri meruit, aſpectus hic illum benignum & urbanum reddidit, ac proinde ab hac benignitate motus Chriſtum in domum ſuam invitando & ſuſpiciendo, tanto ſe favore dignum reddidit. Ad eum ferè modum quo Poetæ de Jove fingunt, quod poſtquam ille ſuos in Libiam oculos defixiſſet, mox Didoni Reginæ mitem, benignum & urbanum inſeruerit animum, quo ipſa mora errabundum Æneam in domum ſuam ſuſciperet *Videmus apud Maronem*, inquit Pierius libro decimo quinto, *Ubi Iupiter Libiæ defixit lumina regnis, Reginam ritè quietum accipere in Teucros animum, mentemque benignam* Sic igitur Chriſtus etiam verus & non fabuloſus Jupiter, poſtquam divina ſua in Sanctum Matthæum lumina defixit, eundem per oculorum ſuorum aciem veluti per duos benignitatis fontes hoſpitalem & benignum reddidit, qui proinde hac benignitate & benevolentia imbutus eum quem cæli capere non poſſunt, & qui omnem, in quem pedes ſuos figit locum in Paradiſum convertit, in domum ſuam recipere præſumpſit.

11. O quam admirabilis atque ſtupenda fuit hæc Sancti Matthæi converſio; quam prodigioſa & memorabilis! Eodem prorſus tempore quo Publicanus graviſque peccator, injuſto & ſordido loco totaliter deditus pecuniis corde affixus, mente quoque tenaci maledictæ avaritiæ luto involutus erat, factus eſt ſanctus, factus eſt Apoſtolus, & prorſus alter & diverſus ab eo qui antè fuerat. Verùm enimverò cuinam ſtupendum illud converſionis hujus prodigium, maximèque miranda Metamorphoſis adſcribenda erit? Potentiſſimis utique Chriſti oculis. Vix enim ſanctiſſimi Salvatoris noſtri oculi in aliquem defiguntur, qui eundem mox hominem adeò totaliter mutent & convertant in virum alterum, ſibimetipſi prorſus per omnia diſſimilem. *Oculi tui in me, & non ſubſiſtam*, dicebat Job Deo capite ſeptimo verſu octavo quaſi diceret. Quod ſi majeſtas tua ô Deus pientiſſimos in me oculos figere dignabitur, adeò mox transformabor, ut jam deinceps non ſim futurus qui antea fui. *Non ſubſiſtam*. Alius omninò ero. Porrò Sanctus Matthæus poſtquam à Chriſto viſus fuit, verè alter & non idem extitit, qui proinde juxta recenſitiorem Archepiſcopi Genuenſis Jacobi de Voragine ſermon de Sancto Matthæo, haud immeritò dicebat: *Iam non Publicanum gero, jam non porto levi, exui levi poſt Chriſtum.* Quaſi diceret, poſtquam Chriſtus me dignatus eſt aſpicere, ita ſum totaliter & perfectè mutatus in virum alterum, ut ne priſtinum quidem mihi nomen reſervaverim. *Iam non porto levi, exui levi.* Non jam deinceps ſum Publicanus, non peccator, non jam amplius ſum levi, ſed ſanctus ſum, amicus Dei ſum, Apoſtolus ſum.

12. Noſtis utique Regium Prophetam Davidem Apoſtolos ſuos appellare patres Locus enim ille pſal 44. v. 17 *Pro Patribus nati ſunt tibi filii*, de Apoſtolis communiter exponitur, qui tametſi à Judæis haberentur pro filiis, attamen quia Deus illos Patriarcharum loco collocavit, nequaquam filii ſed patres erant *Nam etſi filii Iudæorum Apoſtoli fuerint, à lege Moſaica editi patres tamen facti ſunt, ac Abrahæ locum obtinuerunt.* inquit libro decimo in Joannem capite vigeſimo tertio Cyrillus Alexandrinus Unde quilibet eorum illud ſancti Apoſtoli ad Galathas capite quarto verſu decimo nono dicere poterat: *Filioli mei quos iterum parturio, donec efformetur in vobis Chriſtus.* Fæcundiſſimi patres fuère Apoſtoli, utpote qui innumeros Chriſto genuère filios: S. Matthæus præcipuè, qui non ſolum in Judæa & Ægypto, verùm etiam in Æthiopia viginti & uno annis continuò ſudando, laborando, & prædicando tot filios genuit, quot ſtellas cælum habet. Verùm unde tanta in S. Matthæo Apoſtolo naſcitur fæcunditas? à divinis oculis. Ex quo enim Chriſtus S. Matthæi domum tranſiens illū vidit: *Cùm tranſiret inde Ieſus vidit hominem*, mox factus eſt tot filiorum fœcundiſſimus parens. An enim ignoratis id quod dici ſolet ſcilicet: Oculus horum

horum Dominantium, à quo omnis alia ubique procedit fœcunditas. Chriſtus in Matthæum veluti in amplum quendam ſpatioſumque campum oculos ſuos direxit, eumque adeò reddidit fœcundum atque frugiferum, ut toti mundo ſtupor, Angeliſque prodigium eſſe viſum fuerit.

13. Ingens quoddam & inauditum foret prodigium ſi infernus malis omnibus imaginabilibus refertus, in Paradiſum omnibus excogitabilibus bonis cumulatiſſimum mox converteretur. Ejuſcemodi autem hodie in converſione Sancti Matthæi prodigium cernitur. Quis enim dubitat quin Chriſtus Sanctum Matthæum aſpiciens, infernum quendam inſpexerit. *Mirum eſt*, inquit Paulus de Palatio in caput nonum Matthæi: *quod amantes oculos Chriſtus in inſignem peccatorem conjiciat, ſumma gratia eſt, in tam fœtidum infernum inſpicere.* Hic autem infernus jucundiſſimus mox factus eſt Paradiſus tot virtutum floribus, tot ſanctorum bonorumque operum fructibus refertiſſimus. At verò quiſnam infernum iſtum transformavit in Paradiſum? Divini oculi Chriſti Domini id fecerunt. Cauſa ob quam terra promiſſionis, lacte, melle, omnibuſque aliis dilitiis affluens, quaſi Paradiſus quidam fuerit, atque à ſacris ſcriptoribus ſæpè adducatur in medium velut ſymbolum quoddam Paradiſi, non erat ipſa loci natura, ſed oculi divini, qui in illam de cælo ſemper proſpiciebant. *Fluebat lacte & melle, non quidem loci natura, ſed Dei benedictione quam Dominus ſemper inviſebat & oculis ſuis intuebatur*, inquit in Pſalmo quadrageſimo ſeptimo Genebrardus.

14. Mirum non eſt, quod Matthæus à Chriſto viſus, mox effectus ſit Paradiſus, quippè quem illi oculi viderant, è quibus continuò egreditur Paradiſus. Spiritus Sanctus animæ Chriſti velut dilectiſſimæ ſponſæ colloquens eidem Canticorum capite quarto verſu tertio dicebat: *Emiſſiones tuæ Paradiſus* q.d. quicquid ex foribus ſive portis tuis alio foras emittis, merus eſt Paradiſus. Unde quia portæ animæ ſunt oculi, teſte Alberto libro primo de animalibus capite tertio qui Pelemonem Philoſophum oculos: *Fores animæ* appellaſſe ſcribit, conſequenter Chriſto dicere voluiſſe videtur, quotieſcunque tui ſeſe oculi pandunt, radiiſque ſuis quos foras emittunt, aliquem intueri dignantur, mox illum faciunt eſſe Paradiſum, id eſt, adeò ipſum pulchrum efficiunt, adeò ſplendidum, adeòque opulentum, ut illum in verum quendam transforment Paradiſum.

15. Ad idem quoque propoſitum attendendum eſt, quod quando Sanctus Germanus in libro de rerum Eccleſiaſt. Theorematibus Sanctum Marcum vinum, quod Sanctum Lucam lac, Sanctum Joannem oleum fuiſſe aſſerit, Sanctum Matthæum quoque mel eſſe affirmet: *Matthæum ſi vis interpretari, mel eſt; Marcus vinum, Lucas lac, Ioannes oleum.* Vere mel quoddam Matthæus fuit, quia ſicut mel inter omnia dulcia, dulciſſimum eſt, ita quoque Sanctus Matthæus ad ſtuporem uſque dulcis fuit. Poſtquam enim Chriſtus illum oculorum ſuorum, veluti duorum divinorum ſolarium aſtrorum virtute ex amariſſimis priſtinæ peccaminoſæ vitæ aquis marinis extraxit, atque in conſortii ſui cælum illum redegit, adeò factus eſt dulcis, ut non ſolum nullum ſibi reſervaverit antiquæ amaritudinis guſtum, verum etiam ſola ſua memoria, quam Eccleſia adveniente feſtivitate ſua, quovis anno renovat indulceſcere corda noſtra faciat: *O quam dulcis quam jucunda, quam delectabilis eſt iſta feſtivitas*, inquit ſermone primo de Sancto Matthæo, Sanctus Petrus Damianus de feſto hodierno loquens, quo hujus Sancti Apoſtoli memoria celebratur. Adeò dulcis fuit Sanctus hic Apoſtolus, ut ipſos quoque cæleſtes Angelos qui omni deſiderabili dulcedine perfruuntur, ſingulari potuerit dulcedine imbuere. Quod ſi enim Angeli in cujuſvis peccatoris converſione jubilant, feſtivaque gaudia celebrant, qualibus illa gaudiis plenos fuiſſe credendum in converſione talis peccatoris, qui exemplo & doctrina ſua peccatores converſurus erat innumeros. Tanta fuit dulcedine imbutus, ut ipſimet etiam Deo, qui ſumma dulcedo eſt, quandam accerſere dulcedinem potuerit. Majorum namque Chriſtus in converſione ſua, quam in ſplendido; quod illi tanta cum magnificentia poſtea præparavit convivio delectationem habuit. *Nullum cibum lautiorem Chriſto appones*, inquit Paulus à Palatio in capite nono Matthæi: *quam publicanos ſi convertantur.* Meritò igitur ob hanc tantam dulcedinem, Sanctus Matthæus cenſendus & appellandus

laudus eſt Paradiſus. Paradiſus enim ſic dicitur ob ſuaviſſimam quam ſecum adfert & ſpirat dulcedinem. *Dicitur Paradiſus* inquit ſanctus Bernardinus Tomo tertio ſermone ſeptimo de Beatitudine articulo tertio capite tertio, *à dulcedinis ſuavitate.*

16 Nequaquam intermittenda eſt rationis illius inveſtigatio, ob quam idemmet Evangeliſta de ſua converſione loquens dicat: quod eo tempore quo viſus eſt à Chriſto, homo fuerit, & in telonio ſederit: *Vidit hominem ſedentem in telonio.* Haud dubiè enim nonnullis videbitur ſuperfluum ſanctum Matthæum appellari hominem, cum id ex ſe omnibus conſtet. Neque enim aliud quam homo eſſe poterat, quando in telonio ſedebat. Nihilominus tamen homo appellari voluit; ut per hoc inſinuaret, quod licet quando in telonio ſedebat, homo fuerit. Chriſtus etiam eum illo in loco videns, hominem aſpexerit: attamen poſteaquam à Chriſto viſus fuit, de telonio ſurrexit; & quicquid in mundo habuit dereliquit, jam deinceps homo non fuit. Verum inquies fortaſſe quid igitur fuit, ſi non fuit homo? Angelus quidam fuit. Num enim illum hominem eſſe cenſebitis, qui in hoc mundo vivens nihil de hoc mundo habuit; talis utique Angelus potius quam homo cenſeri debet. Non homines ſed Angeli ſunt, qui licet in terra vivunt, nihil tamen terreni poſſident. *Qui terrena nec concupiſcere neque poſſidere noverunt, Angeli ſunt terreſtres*, inquit Sanctus Bernardinus parte tertia ſermone ſecundo articulo tertio capite primo de paupertate. Quiſnam obſecro ſanctum Matthæum in Angelum tam ſubito transformavit? Sacratiſſimi Chriſti oculi hoc efficere prævaluerunt. Quando ſponſa Canticorum ſexto verſu quarto Chriſto dicebat: *Averte oculos tuos à me quia ipſi me avolare fecerunt*, tunc utique à divinis oculis iſtis in Angelum transformata fuerat. Unde ſenſus verborum illorum hic erat, ac ſi dixiſſet: ſufficit mihi ô Domine, quod hactenus me reſpexeris, jam enim in Angelum evaſi, jam alas mihi acquiſivi ad volandum idoneas, jam terram, & quicquid in terra eſt, dereliqui & in cælum evolavi. Ex quo ſanctus Matthæus ſemel per Chriſti oculos in ſe defixos factus eſt pauper, ipſum conſequenter Angelum effectum fuiſſe dicere debemus, Angeli enim pauperes ſunt, & nihil terreni poſſident.

17. Noſtiſne optimi auditores quonam inſtrumento Deus Angelos qui in Paradiſo ſunt, condiderit? ſolo verbo illos creavit. Quicquid eſt in univerſo mundo ſive viſibile ſive inviſibile, materiale vel ſpirituale, terrenum & cæleſte: & Angeli & homines, & cælum & terra, & quicquid eſt in cælo ſive in terra, omnia inquam ille opera à ſolo verbo Dei producta: *ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandavit & creata ſunt*, inquit Pſalmiſta pſalmo centeſimo quadrageſimo octavo verſu quinto. Advertendum tamen eſt, Deum non ore duntaxat ſed & oculis loqui, tametſi enim oculi linguam non habeant, ſuum tamen loquendi modum habent. Quando ſanctus Petrus à maledicta illa ancilla oſtiaria ſubverſus Chriſtum negavit, atque à divinis Chriſti oculis conſpici meruit, ut dicitur Lucæ vigeſimo ſecundo verſu ſexageſimo primo. *Converſus Ieſus reſpexit Petrum.* Per illum obtutum tunc Chriſtus, ut vult ſanctus Joannes Chryſoſtomus homilia octuageſima ſexta in Matth. Petro locutus fuit: *Quamvis gallus cantaſſet, caſum ſuum tamen à ſeipſo non ſenſit, ſed magiſtri admonitione indiguit, cujus inſpectio vexilli facta eſt*, inquit ſanctus hic Doctor. Cum igitur Deus Angelos per verba & oculorum obtutu loquendo, crearit non nunnos Angelos oculis quam ore loquendo creare potuit, potuit itaque etiam ſanctum Matthæum illum tantum reſpiciendo ex homine Angelum efficere, & de facto fecit.

18. Non eſt dubium, quin oculi, qui ut ſpecies viſibiles illis imprimi poſſint, aqueo humore pleni ſunt, quaſi duo fontes in capite conſtant. Unde oculi apud Hebræos idem cum fonte nomen obtinent: *Oculorum nomen idem eſſe quod fontis, conſtat ex Deuteronomio*, inquit Pineda in Job capite decimo ſexto verſu decimo ſeptimo numero ſecundo. Unde Salvatoris noſtri oculi veluti duo fontes erant, ſed fontes miraculoſi & ſtupendi, qui lumine ſuo quod diffundebant & communicabant, humanæ ignorantiæ depellebant tenebras, mentes noſtras illuſtrabant reddebant ſapientes. Similes illi Cadmi fontibus. *Qui dicuntur literarum inſpirationem facere*, uti ex Solino refert Petrus Berchorius Reductorii moralis libro octavo capite ſecundo numero vigeſimo. Vix duo hi fontes radiorum ſuorum curſum in Matthæi animam converterant, cum ecce ſubito illum divina imbuentes ſapientia verbi incarnati ſcelere Chroniſtam,

cæli ſecretarium, ſcribam doctiſſimum, Evangeliſtarum Principem & conſequenter Angelum quendam terrenum. Eo ipſo enim quo Divini Chriſti oculi Matthæum Evangeliſtam effecerunt, illum quoque formarunt Angelum, cum Ly *Evangeliſta* idem ſit quod *Angelus.* Audi S. Petrum Daminianum ſerm. 56. de S. Matthæo loquentem: *Simul & in Apoſtolicum adoptatus eſt ordinem, & Ang lcam adeptus eſt dignitatem. Quis enim neſciat, Evangeliſtam ab Angelico vocabulo derivari.*

19. Ratio ob quam Deus Angelos quaſi ventos facere dicitur Pſalm. 103. verſu quarto. *Qui facis Angelos tuos ſpiritus* eſt cæleſtium illorum ſpirituum in divinorum præceptorum executione velocitas & obedientiæ promptitudo. Atque ideo Paraphraſis Chaldaica ita vertit: *Qui facit nuntios ſuos veloces ſicut Spiritus.* Subito poſtquam Deus Angelis ſuis ad aliquid præcipit, illi vento velocius ſeſe movent, & quicquid illis impoſitum eſt promptiſſime exequuntur. Cum igitur ſanctus Matthæus ad primam Chriſti vocem, ad unicum tantum & ſimplex *ſequere me* adeo fuerit obediens & promptus, ut ſine ullis induciis quaſi ventus, abſque ulla vel unius horulæ mora, omnia quæ habebat relinquens Chriſto obediverit, eumque ſecutus fuerit: *Relictis omnibus ſecutus eſt eum* quemnam illum hominem ne vel Angelum fuiſſe dicetis? Angelus utique & non homo cenſendus erit, qui velociſſimum ſe ventum eſſe probavit. Unde liquet qua ratione impius & perverſus ille Julianus Apoſtata ſtulte ratiocinatus fuerit, quando ſanctum Apoſtolum ad primam Chriſti vocem dum adhuc neſciret quis eſſet, relictis omnibus eum prompte ſecutum fuiſſe legens, eundem ſummæ ſtultitiæ arguere præſumpſit. Ex quo enim ſanctus Matthæus ob oculis divinis in Angelum converſus & vento ſimilis factus fuerit, quicquid à Deo juſſus fuit facere, non niſi cum ſumma velocitate & acceleratione exequi potuit.

20. Quando ſanctus Joannes quatuor Evangeliſtas ſub quatuor animalium ſpecie vidit, ſanctum Matthæum nimirum habentem faciem hominis, Marcum habentem faciem Leonis, Lucam referentem faciem bovis, & ſemetipſum Aquilæ ſpeciem præferentem, de Matthæo loquens illi non faciem hominis abſolutè, ſed faciem quaſi hominis attribuit Apocalyp. 4. verſ. 7 *habens faciem quaſi hominis.* Id quod diligenter conſiderandum eſt, inquit Richardus de ſancto Victore libro ſecundo capite ſecundo Apocaly. *Diligenter attendendum quod non ait, habens faciem hominis, ſed fa iem quaſi hominis.* Cur illum qui verus homo fuit, non dicit habuiſſe faciem hominis, ſed faciem quaſi hominis? Quia nimirum homo quidem eſſe videbatur exterius ſed homo non erat quoad vitam & converſationem: Oculis quidem hominum, aliis hominibus videbatur ſimilis, carne circumdatus, ob admirabiles tamen virtutes ſuas, quæ in hominibus locum facile non habent & coram oculis Dei, non homo, ſed Angelus eſſe videbatur Paradiſi, *Habens faciem quaſi hominis.*

21. Dicite mihi ſi poteſtis, quidnam homo ille alatus, qui juxta ſanctum Matthæum, veluti apes tum illi librum ob oculos tenens, vel calamum ei ad ſcribendum porrigens depingi ſolet, ſignificare vobis videatur? Ipſummet ſignificat Sanctum Matthæum Apoſtolum. Sicut enim juxta ſanctum Marcum Leo pingitur quia per Leonem ſignificatur: & ſancti Lucæ qui per bovem ſignificatur, bos depingitur, & prope ſanctum Joannem per Aquilam ſignificatum Aquila adnectitur, ita juxta ſanctum Matthæum pingitur homo, quia per hominem ſignificatur. Homo tamen ille qui prope ſanctum Matthæum pingitur non eſt ſimplex homo, ſed homo alatus, quaſi ſanctus Matthæus non homo, ſed Angelus quidam fuiſſet, qui in ſpecie depingi ſolent hominis alati. Idque ut per hoc inſinuaretur, quod licet vere homo fuerit, non tamen cenſeri debeat homo aliis hominibus per omnia ſimilis, ſed homo quidam Angelicus & ſpiritualizatus, id eſt non homo terræ incola, ſed Angelus cæli civis indigena credendus.

22. Sicuti qui ab oculis Dei meretur conſpici, ab omni malo quod coinquinare animam poteſt expurgatur, ita quoque omnibus iis virtutibus, quæ conſpicuum poſſunt facere hominem Chriſtianum decoratur: *Donatus bonu malis caret, quem viderit Deus* inquit ſermone ſeptuageſimo quarto Divus Petrus Chryſologus. Oculi enim altiſſimi animam illam quam dignantur intueri, florido cuidam prato, roſis, liliis, violis, aliiſque Chriſtianorum virtutum floribus conſito ſimillimam efficiunt. Porro ſanctus Evangeliſta non immerito *Matthæus* dicitur, quod interpretatur *Donatus,* mox enim ut eum Salvatoris noſtri oculi viderunt, omnibus quoque virtutibus donatum reliquerunt, adeo ut factus ſit veluti campus quidam omnis generis

floribus decoratus, id eſt roſis amoris Dei & proximi, puritatis liliis, violis humilitatis, Hyacinthinis cæleſtis contemplationis, Achanto incorruptibilitatis innocentiæ, infinitiſque aliis quæ omnem numerum longe excedunt. Huccine autem hominem talem ac tantum, tot tantiſque virtutibus decoratum tu hominem appellabis? Falleris ſi id facis. Non homo ſed Angelus cenſeri meretur, virtutes namque homines in Angelos transformant. *Virtus Angelos facit, etſi non natura, certe propoſito, & electione*, inquit Chryſoſtomus hom. 32 in Act. Apoſtolica.

23. Etenim quia per quatuor è Paradiſo emanantia flumina, quatuor Evangeliſtæ, S. Matthæus, Marcus, Lucas, & Joannes communiter intelliguntur, neceſſum eſt, ut cum Matthæus primum obtinuerit inter Evangeliſtas locum, per Phiſoni quoque primum videlicet ex Paradiſi fluminibus, intelligatur. Vere Phiſono quidam, quod nomen *oris mutatio* interpretatur, fuit ſanctus Matthæus Apoſtolus. Is namque poſtquam à Chriſto viſus fuit, faciem ſuam adeo immutavit, ut non jam amplius idem qui ante fuerat, eſſe videretur. *Sicut Phiſon primus inter Paradiſi fluvios legitur, ſic & Matthæus inter ſanctos Evangeliſtas primus invenitur: Et bene ſibi hæc comparatio congruit: Phiſon ſiquidem oris mutatio interpretatur, os enim ſuum ipſe mutavit*, inquit ubi ſupra S. Petrus Damianus. Poſtquam Chriſtus Matthæum vidit, is non idem, ſed alius quidam homo, imo non homo ſed Angelus apparuit: ex quo enim à Chriſto regnaturus fuit, non de terra uti alii homines, oriri, ſed quaſi Phiſon quidam de Paradiſo, unde ſuam quoque originem Angeli habent, videbatur ſcaturire.

24. Quemadmodum ſanctus Matthæus tanquam Evangeliſta per unum è Paradiſi fluminibus intelligitur ita quoque veluti Apoſtolis, per unam è duodecim gemmis, quibus Dei civitas inædificata legitur, non incongruè exponitur. Et quidem ut vult Joachimus Abbas in Apocal. per Chryſolitum qui ſeptimum inter prædictas gemmas locum obtinet, congruentiſſime ſignificatur. Verus namque Chryſolitus fuit S. Matthæus Apoſtolus. Sicut enim Chryſolitus coram ſolis oculis expoſitus, non jam gemma, ſed aurea quædam ſtella eſſe videtur. *Chryſolitus lapis eſt, qui ad oculum ſolis micat, ſicut ſtella aurea*, inquit Albertus lib. de reb. Metal. lit. C. Ita S. Matthæus poſtquam ſub aſpectum venit ſummi ſolis, non jam amplius homo videbatur de terra formatus, qualis antea erat, ſed cæleſtis quædam ſtella, id eſt, Angelus Angeli enim haud raro in ſcriptura ſacra per ſtellas intelliguntur, Deum prouti in libro Jobi legitur, aſſiduè collaudantes Job. trigeſimo octavo verſu ſeptimo. *Cum me laudarent aſtra matutina*. Ex quibus ſtellis ſuperbus & arrogans Lucifer tertiam ſecum partem de cælo detraxit, quæ temerarias ejus cum ipſo cogitationes ſunt conſectatæ.

25. Nemo ex iis qui ſponſam de ſole lamentantem & conquerentem audiunt, quaſi is unica & vera fuerit cauſa ob quam adeo nigra facta fuerit & deformis Canticorum primo verſu quinto. *Nolite me conſiderare, quod fuſca ſum, quia decoloravit me ſol.* Inſtar & rationabiles ejus quærimonias eſſe cenſebit Sol enim candidis, ſplendidiſque radiis ſuis non ſolum quæ pulchra ſunt pulchriora reddit, verum etiam ea quæ nigra ſunt & obſcura venuſtat. *Pulchritudo ejus omnia pulchrificat*, inquit Beatus Thomas a Villa Nova Conc. 1. de ſancto Auguſtino. Vix ad orientem Sol revertitur, cum ecce cum omni poſſibili decore illuſtrat & exornat, quicquid noctis tenebræ denigrant.

*Caligo terræ ſcinditur*
*Rebuſque jam color reddit*
*Vultu nitentis ſyderis, ut canit Eccleſia:*

Veruntamen quodſi ſponſæ intentionem attendamus, ipſam haud injuſte de ſole conqueſtam fuiſſe inveniemus, non quidem de ſolis præſentia, qua quicquid à ſole aſpicitur decoratur, ſed de ſolis nimia diſtantia, cum obſcurum & deforme ſit, quicquid Sol aſpicit. Conceptus hic ex translatione ſancti Ambroſii elicitur, qui in Apolog. David lib. 1. cap. 8. ita legit. *Nolite aſpicere me, quia fuſca ſum, quia non eſt intuitus me Sol.* Et paulo poſt ſubjungit: *Ergo obfuſcamur, quando non videmur à Chriſto, ſed quando videmur dealbeſcimur.* Quidnam exinde inferre contendo? Nihil profecto aliud, quam quod S. Matthæus priuſquam ſub oculos cecidiſſet. Creatoris ſolis, totus niger fuerit, veluti ex pice conflatus. Talis enim & non alius eſſe debebat inquit S. Vincentius ſerm. de ſancto Matthæo quamdiu manibus pecunias, quæ nihil aliud quam pix quædam ſunt, contrectabat. Quis enim eum qui picem tangit, nigreſcere aut cumulari ignorat?

Qui

*Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea* Eccleſiaſt. 13. v. 1. *Pix dicitur moneta*, inquit præfatus Sanctus Doctor, *quia multas nigredines demittit in animas tractantium pecuniam. In ſignum hujus, moneta ſive aurea, ſive argentea, quando tractatur relinquit maculas magnas in manu hominis.* At vero poſtquam à divinis illis radiis illuſtrari meruit, & una cum pecuniis quas omni hora tractabat, omnia terrena bona dereliquit, adeo factus eſt candidus & albus, ut ea etiam quæ impoſſibile eſt dealbari, niveo potuerit candore imbuere. An neſcitis quod latini, ut rem aliquam factu impoſſibilem factu eſſe dicant, dicere ſoleant. *Æthiopem dealbas?* Impoſſibile enim eſt æthiopem dealbare. Et tamen ſanctus hic Apoſtolus, non unum duntaxat æthiopem, ſed univerſam dealbare potuit Æthiopiam. Quando enim Æthiopiam Chriſti doctrina illuminavit, eandemque ab Idololatriæ expurgavit fuligine, vere illam dealbaſſe cenſetur. *Matthæus Æthiopiam nigram, candidam doctrina fidei fecit*, inquit Chaſſanæus in Catalogo part. tertia conſid. 29. Cum igitur Apoſtolus per ſummi ſolis oculos adeo factus ſit candidus, ut ipſoſmet quoque candidos facere potuerit æthiopes, cum inquam adeo fuerit ſanctus, adeoque ab omnibus culpis humanis fuerit purus & immaculatus, ut tot ſanctificare potuerit peccatores, certe Angelus & non homo cenſeri debebit, Angeli enim ſoli non vero homines eſſe poſſunt tanti candoris participes.

26. Adhæc alium quendam locum Canticorum capite tertio verſu primo huic Panegyrico valde neceſſarium, velim attendamus, ubi hunc in modum ſponſa loquitur: *In lectulo meo per noctem quæſivi quem diligit anima mea.* Quaſi dicere vellet: Tametſi ejus qui tam ardenter me diligit, delitiis per univerſum diem pro libitu & arbitrio meo perfruar, qui tamen iiſdem nocturno quoque tempore potiri deſidero, ideo illum in lectulo meo per noctem requiro. Circa quem locum haud immerito nonnemo quærere poterit. Quonam fine ſponſa ſponſi ſui dilitiis nocturno tempore gaudere concupiverit, quando eidem hiſce ſummi boni ſui delitiis per univerſum diem perfrui ampliſſime licebat? Huic ergo reſpondeo: ſponſa nocturno quoque tempore ſponſo ſuo potiri deſiderabat, quia tametſi illo die gauderet, quia tamen delitiæ illæ quibus per diem perfruita fuerat ei minimè ſufficiebant, nocte dieque & omni hora ac momento illas deſiderabat. Quia enim à divinis oculis iſtam in animam ſuam quidam transfundebatur Paradiſus, qui illam compotem faciebat viſionis facei illius, quæ ſolis in cælo Angelis exhibetur, ideo tantum erat cordis ſui deſiderium, tantus mentis ſuæ jubilus, tantæque inde manabant, quas experiebatur, delitiæ, ut ne vel unico momento delitioſo illo privari ſe pati poſſet ſpectaculo. *Non enim ſufficiebat dies*, inquit Rupertus Abbas Tuitienſis libro ſecundo capite ſecundo in Cant. *ad tantum deſiderium, ſed totis noctibus in lectulo meo, in cubiculo meo pervigil fovebam & ardorabam eum quia per oculos corporis transfunderet mihi ſuæ divinitatis aſpectum.* Oculi Redemptoris noſtri, duæ erant portæ Paradiſi, qui iis quibus aperiebantur, Paradiſum monſtrabant, id eſt Divinam faciem, in cujus viſione Paradiſus conſiſtit. Dum igitur iidemmet oculi, qui ſponſam intuentes, ipſam videre faciebant faciem illam, quam videntes Angeli beatificantur, Matthæum quoque aſpexerunt, facile inde conjicere licet, quod ipſum quoque videre fecerint beatificam illam eandem faciem ipſumque beatificarint. Hoc tamen & nihil aliud dicere voluit magnus ille Chryſologus quando ſermone tertio de hoc Sancto Apoſtolo tractans, illaque verba: *Vidit hominem* more ſuo ſolito prudenter & graviter ponderans dicit *Vidit illum Deus, ut ille videret Deum.* Id eſt in tantum Deus dignatus eſt videre Matthæum, in quantum Matthæus viſurus erat Deum. Quaſi clarius dicere voluiſſet: Ex quo per oculos Chriſti, tanquam per duas Cæli feneſtras eadem mortalibus oſtendebatur Dei facies, quæ Angelis exhibetur, ad eum modum quo id permittit præſens mortalium ſtatus ideo divinam oſtendere ſancto Matthæo faciem, eique ut Deum videret, concedere volens, ſuos ſuper illum aperire oculos, eumque aſpicere dignatus eſt: *vidit illum Deus, ut ille videret Deum.* Atque ideo ſanctus Matthæus non ſolum ex particulari oculorum Chriſti favore, in hoc mundo, uti diximus, quaſi Angelus verum etiam velut Angelus quidam glorioſus & beatus apparuit.

27. Præterea Apoſtolus à divino oculorum Chriſti obtutu adeo exaltatus & ſublimatus fuit ut non ſolum viſus fuerit eſſe quidam ex vulgaribus & inferioribus Angelis, ſed potius aliquis, altioris & ſupremi ordinis Seraphinus. Lentulus in Epiſtola quam ad Senatum Rom. exaravit, ſtupenda quæ Chriſtus Hieroſolymis patra-

patraverat prodigia ſcribens, divinam quoque Chriſti perſonam ejuſdemque effigiem delineavit, atque inter alia ipſum glaucos habuiſſe oculos aſſeruit, ut videre eſt apud Chaſſanæum in Catalogo, ubi ſequentia reperies: *Aſpectum habet ſimplicem & maturum, oculis glaucis & claris exiſtentibus.* Oculi glauci colorem referunt ex albo & viridi mixtum, qui proinde à latinis Cæſii vocantur, eo quod veluti ſi ignei eſſent, certum quendam de ſe ſplendorem foras emittant. Unde & nonnulli Philoſophi, ſimilis coloris oculos multo igne plenos eſſe exiſtimarunt: *ſententia Empedoclis eſt*, inquit Albertus libro octavo de animalibus capite tertio, *quod glaucitas oculi ſit ex multitudine ignis*: Cum igitur Redemptoris noſtri oculi talis coloris extiterint, duæ flammæ igneæ eſſe debuerunt, prouti illos revera fuiſſe Apocalypſæos primo verſu decimo quarto dilectus Chriſti diſcipulus vidit & deſcripſit dicens: *Oculi ejus tanquam flamma ignis*, qui quotquot afficiebant, inflammabant, & accendebant. Sic Chriſtus Mariam Magdalenam quondam aſpicere ſemel dignatus, illum tanto igne accendit, quanto deinceps, uti novimus, cum ſtupore exarſit:

*Cum Magdalenam reſpicis*

*Flammas amoris excitas*: inquit Eccleſia ad Chriſtum.

Petrum quoque, poſtquam ab illo perfidè abnegatus eſſet, reſpiciens, tanta cum ardoris vehementia accendit, ut in lacrimas reſolutus totus colliqueſceret. Unde ſequitur, quod Matthæum pariter aſpiciendo eodemmet igne accenderit. Niſi enim Matthæus hoc ſacro igne accenſus fuiſſet, vitam ſuam pro Chriſti amore nequaquam prodegiſſet, id quod maniſeſtiſſimum eſt ardentis amatoris ſignum ipſomet Salvatore teſte, qui Joann. vigeſimo quinto verſu decimo tertio dicit? *Majorem dilectionem nemo habet, ut animam ſuam det pro amicis ſuis.* Cum igitur Matthæus tanto à divinis Chriſti oculis igne exarſerit, nequaquam homo, ſed Seraphim aliquis cenſeri debebit, qui interpretatur *accenſus*.

18 Proinde Matthæus ſummam atque ſtupendam quam à Chriſti oculis receperat exaltationem probè cognoſcens, illa verba Canticorum ſexto verſu quarto Chriſto ex humilitate motus dicere poterat: *Averte oculos tuos à me, quia ipſi me avolare fecerunt*, vel uti ex Hebræo Cyprianus Monachus legit: *Averte oculos tuos à me, quia ipſi me ſuperbire fecerunt*, quaſi clarius dixiſſet: Domine non ſum dignus quin à divinis oculis tuis conſpiciar, tantiſque afficiar honoribus, nimis enim oculi tui me exaltarunt, unicus enim oculorum tuorum radiolus in valde eminentem ſublimemque ac ſuperbum me locum collocavit, unico tantum obtutu me in Angelum converterunt, mihique ſublimiſſimorum cæleſtis magnæque curiæ tuæ ſpirituum alas addiderunt, ut proinde non ſicut alii homines terreni per terram gradiar, ſed veluti Angelus & Seraphinus quidam cæleſtis cælos pervolem. Matthæus utique Angelus ille erat, quem ſanctus Joannes in Apocalypſi capite decimo quarto verſu ſexto per medium cæli evolantem viderat: *Vidi alterum Angelum volantem per medium cæli, habentem Evangelium æternum.*

29. Verum enimvero non hic terminantur honores illi, quos Deus incarnatus miraculoſis diviniſſimorum oculorum ſuorum inſtrumentis ſancto Matthæo eſt dignatus concedere. Illis namque mediantibus non ſolum factus eſt ex homine Paradiſus, atque in Angelum imo Seraphim quendam eſt transformatus, uti vidimus, verum inſuper effectus eſt quaſi alter quidam Chriſtus. Eo ipſo enim quo Apoſtolus erat, quidam factus eſt Chriſtus *Apoſtoli enim quidam ſunt Chriſti*, inquit in capite decimo Matth. Paulus de Palatio. Ideo tamen factus eſt Chriſtus, quia à Chriſti oculis fuit viſus. Pro cujus meliori intelligentia notandum eſt, quod author Sylvæ Allegoriarum, Aretæ opinionem ſequens, ſanctum Matthæum ſub Topazii gemmæ pretioſiſſimæ ſymbolo intelligat, & merito quidem cum in hoc Apoſtolo omnes reperiantur gemmæ hujus proprietates. Topazius igitur gemma quædam eſt aurei coloris, luminis lunæ motum per omnia ſequitur, aquæ bullienti injecta eandem refrigerat, eſtque inventu difficillima. Matthæus Topazius quidam fuit, primo quia aureo fuit colore imbutus, quando enim ab oculorum Chriſti radiis fuit illuſtratus, haud ſecus ac aurum ſplendeſcere debuit.

debuit. Deinde quia lunæ motum ſequitur; illius inquam Lunæ, quæ Canticor. ſexto verſu nono *Pulchra ut Luna* deprædicatur, id eſt, Beatiſſimæ & Immaculatæ Virginis Mariæ, Magnæ Maximi Magiſtri ſui Parentis. Sanctus Matthæus enim lumen ſapientiæ quo Beatiſſima & Glorioſiſſima Virgo Maria effulſit, ſtrenuè eſt ſubſecutus. Niſi enim ab illa inſtructus & edoctus fuiſſet, Genealogiam ſuam, ſponſalitium ſuum, divinum partum ſuum, virginitatem denique ſuam, aliaque ſimilia ad Deiparam Virginem proxime ſpectantia ſcribere aut prædicare nequaquam potuiſſet; atque ideo magno ſui elogio dictus eſt Glorioſiſſimæ & Immaculatæ Virginis Mariæ Cælorum Reginæ auguſtiſſimæ Notarius & Secretarius *Fuit enim Matthæus Beati Virginis Notarius & Secretarius, quia multa, maxime in principio poſuit, quæ non niſi ab ipſa ſcire potuit*; inquit Illuſtriſſimus Archiepiſcopus Genuenſis Jacobus de Voragine ſermone primo de ſancto Matthæo. Tandem quia poſtquam ingreſſus eſt Æthiopiam, quæ quod pernitioſiſſimo igne illo quo luxurioſorum corda infæliciter bulliunt, peſſime bulliret, *ardens*, ſive *incendium* interpretatur, eandem adeo ab hoc turpi ardore refrigeravit, ut primus fuerit, qui inter alios Apoſtolos mulierum perpetuam Virginitatem profitentium monaſterium erexit. Denique valde difficilis eſt inventu, adeoque difficilis, ut mundum alterum quendam Matthæum, aut ſanctum aliquem Matthæo parem habere poſſe, videatur impoſſibile; ut proinde de illo dici poſſit illud Sapientis: *Non eſt inventus ſimilis illi.* De hac gemma ſcriptores inſuper referunt, quod ſi ex oppoſito Topazii alia quædam ſtatuatur gemma, hic haud ſecus ac ſi ſpeculum quoddam eſſet gemmæ illius colorem & ſplendorem in ſe recipiat: *Gemmarum ſibi objectarum recipit claritatem Topazius*, inquit Petrus Berchorius Reductorii moralis, libro undecimo capite 125. Eodem prorſus modo quando ex oppoſito pretioſiſſimi hujus Topazii, conſtituta fuit illa gemma gemmarum præſtantiſſima, pretioſum inquam Unigeniti Filii Dei monile, divini Chriſti vultus colores, ſplendores, & formam, quaſi terſiſſimum quoddam ſpeculum adeo perfecte in ſe expreſſit, ut non jam Matthæus, ſed qui in ipſo cernebatur, Chriſtus eſſe omnibus videretur. Quodſi enim veritati id conſonat, quod Gilbertus Abbas ſermone decimo octavo in Cantica, Chriſto dicere minime dubitat, ſcilicet: *Similem tibi reddis quem irradias.* Sanctus Matthæus utique a ſacris illis radiis illuſtratus Chriſto aſſimilari, & alter quidam Chriſtus fieri debebat. *Similem tibi reddis quem irradias.*

30. Quia facies illa hominis, quam unum ex quatuor illis animalibus, Auguſtiſſimum Dei currum præeuntibus, quæ Ezechiel Propheta, & ſanctus Joannes Evangeliſta, vidit, referebat, quoque uti jam diximus ſanctum Matthæum ſignificat, non eſt alia, quam ipſiſſima facies Chriſti; ideo quodſi ſcire deſideretis qua ratione Chriſti facies in Matthæo exprimi, ipſeque Chriſtus quidam fieri potuerit, Rupertum Abbatem, libro octavo in Matthæum id explicantem audite, qui id ita factum eſſe dicit, cum enim ſanctus Matthæus terſiſſimum quoddam & lucidiſſimum fuerit ſpeculum, hinc mox ut Chriſtus myſticum hocce ſpeculum dignatus eſt inſpicere, propriam ſuam ei faciem impreſſit: *Ubi eum vidit Ieſus, ubi eum vidit ſalus, & Sol verus reſplenduit ex aſpectu ejus, & quia vidit eum talis filius hominis, reddit imaginem ejus, & formata eſt in ipſo facies hominis.*

31. David Propheta regius infælicem illam attendens miſeriam, cui ob peccata ſua immerſus erat, Deum lacrimoſis oculis precabatur, ut manum ſuam è cælo extendere eumque à tanto dignaretur malo liberare, dicebatque, pſalmo centeſimo quadrageſimo tertio verſu ſeptimo *Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis.* Et quia per Dei manum Chriſtum intelligebat: *Emitte manum tuam de alto, id eſt, Chriſtum de cælo*, ideo conſequenter quia ut ſe à tanto ſublevaret malo, aliud habere remedium non poterat, verbis illis Propheta verbi incarnationem poſtulabat. Obſervandum eſt autem quod dum Chriſtum à Deo expoſcit, ipſum non unigenitum Dei filium, non divinam ſapientiam, non Jeſum, aut Chriſtum, ſed manum Dei appellet: *Emitte manum tuam.* Cur obſecro illum Dei manum nominat. Jure merito hoc illi nomen imponit: Quia ſicut nos manu noſtra omnia opera noſtra facimus: ita Deus per unigenitum ſuum, quaſi per propriam manum ſuam, omnia opera ſua fecit, cælum ſcilicet & terram, & quicquid ſive in cælo ſive in terra habet repoſitum. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*, inquit Evangeliſta Joannes capite primo verſu tertio. Hinc autem

autem intelligitur , quantum Deus ſanctum Matthæum Apoſtolum glorificare voluerit, utpote eidem nomen impoſuit, quod unigenito Filio ſuo donavit. Sanctus Matthæus enim nihil eſt aliud, *quam manus Dei. Dicitur Matthæus,* inquit Hiſtoria Lombardica , *à manu & theos, quod eſt Deus, quaſi manus Dei.* Deus Apoſtolum ſuum adeo voluit naturaliter referre aut repræſentare Chriſtum , quaſi alter quidam Chriſtus eſſet, ut eidem , idem quoque Chriſti nomen imponere voluerit Ut vocaretur Matthæus , *manus Dei.* Verum enimvero ſupereſt ut diſcurſui huic finem imponamus. Sanctum igitur Matthæum Apoſtolum devotè invocemus, ut ipſe apud Deum pro nobis intercedat, ut nos eodem cum effectu , quo ipſum intuitus eſt , reſpicere dignetur, noſque per ejus merita tum a peccatorum tenebris liberet , tum quoque ineffabili lumine ſuo nos illuſtret, quo ipſe hodie fruitur, ſemperque fruetur in æternum.



# PANEGYRICVS XLII.

## DE SANCTO MICHAELE glorioſiſſimo Archangelo.

## THEMA.

Quis putas major eſt in regno cælorum, Matth. 18. verſ. 1.

## ARGVMENTVM.

*Sanctus & glorioſiſſimus Michael Archangelus, tam ob admirabilem pulchritudinem & ſummam præſtantiam ſuam, quam ob ardentem quo erga nos fertur affectum, inter omnes cæleſtis exercitus ſpiritus, meretur vocari omnium primicerius.*

1\. OMnes Angelos alioſque ſanctos Paradiſi cives magnos eſſe, adeò eſt omnibus perſpicuum & clarum ut dubitari non poſsit, civitas enim cæleſtis, civitas eſt grandium, ubi nulla inter ſedes illas videtur perſona humilis aut parva, cum omnes ibi magni ſint, etiam ii, qui alias parvi exiſtunt: *Quilibet enim ibi magnum eſt*, inquit Plotinus de intellectu pulchritudin. capite quarto de cælo loquens, *& parvum illic eſt magnum*. Paradiſum nobis aliter imaginari non debemus, ac olim antiqua fuit civitas Romana, cujus cuncti cives magni erant, omnes Regibus pares, imò adeò magni, ut cum ad illam videndam Cineas Pyrrhi orator acceſſiſſet, ſe ibidem *Multorum Regum conceſſum* vidiſſe dixerit, ut Plutarchus in Pyrrho refert. Unde cum Scriptura Sacra Eccleſiaſt. 11. verſ. 1. dicere vellet quod Deus Pater unigenitum filium in Beatorum medium collocaturus eſſet, eoſdem Beatos juxta Purpurati Hugonis interpretationem, *Magnates* appellavit dicens. *In medio magnatorum conſidere illum faciet.* Quia verò inter tot magnos, nonnulli majores, alii quoque maximi ſunt, ideo quod ſi quis ex devota quadam curioſitate me interrogaret, quiſnam inter tot magnos major, quiſve maximus eſſet, uti olim Matth. 18 v. 1. ab Apoſtolis quærebatur: *Quis putas major eſt in regno cælorum?* Utique reſponſurus eſſem. Maximum inter omnes eſſe ſanctum Michaelem Archangelum. Ipſe enim duntaxat veluti primus cæleſtis omnibus cæli magnatibus à Deo præpoſitus eſſe legitur, atque ideò ab Eccleſia *Præpoſitus Paradiſi* appellatur.

latur. Ipſe ſolus Princeps, magnus glorioſo titulo nominatur: *Conſurget Michael Princeps magnus*, inquit Daniel cap. 12 verſ. 1. Princeps vere magnus eſt glorioſiſſimus Michaël Archangelus, quia enim omnium eſt maximus, primum inter tot magnos locum obtinet: neque enim Princeps aliud ſignificat, *quam primum locum tenens*, ſecundum Juriſtas apud Chaſſanæum in Catal. p. 1. Conſid. 52. *Primum locum obtinet inter mille millia, & decies mille myriades Angelicorum ordinum*, inquit de ſancto Michaële, Panthaleon Diaconus oratione 1. apud Lipom. 29. Sept. Sanctus Michaël inter omnes Angelos magnus, maximus eſt & excellentiſſimus, tum ob admirabilem ſubſtantiæ ſuæ pulchritudinem, tum ob ſummam ei ab omnipotenti Deo conceſſam poteſtatem, tum denique ob ardentiſſimum, quo erga nos accenſus eſt affectum. In hiſce prærogativis Michaël omnes Angelos ſuperat, eſtque magnorum omnium maximus, uti in præſenti Panegyrico fuſius deducemus.

2 Quodſi inprimis præſtantiſſimum illud nomen *Michael* interpretari velimus, inveniemus, illud in ſermone latino idem ſignificare quod *Dux exercitus Dei, Michael ſi interpreteris, dicitur Dux exercitus Dei*, inquit ubi ſupra Panthaleon. Et re vera Michaël, uti nomen ipſum demonſtrat, Princeps eſt exercitus Dei, nam & ipſemet Deus ipſi dixiſſe legitur: *Archangele Michael conſtitui te Principem*. Unde tanquam omnium Angelorum Princeps, nobiliorem & honorificentiorem inter omnes locum obtinet. Tres illi Angeli, quos Deus uti videre eſt Gen. 18. dimiſit, ut Abrahæ miraculoſam annunciarent Iſaaci filii ſui conceptionem, erant Michaël, Gabriel, & Raphael, in quorum medio Michaël conſtitutus erat. *Dicunt Hebræi*, inquit in cap. 18. Geneſeos Nicolaus de Lyra *quod iſti tres fuerunt, Michael, Gabriel Raphael, & quod Michael erat in medio*, tanquam verus Princeps, *primum locum tenens*. Cum igitur Michaël omnium fuerit Angelorum Princeps omnium quoque pulcherrimus fuerit, neceſſum eſt. Imperium namque & principatus ei tantum debetur, qui inter cæteros eſt elegantior & major, idque non inter homines duntaxat, cujuſmodi mos Æthiopibus, Trojanis & Indiæ populis ſolemnis erat, verum etiam inter apes, quæ à naturæ magiſterio edoctæ ei qui pulchrior & venuſtior eſt inter omnes principatum ſuum attribuunt.

3. Quod Provincia Arabiæ, cum particulari aliarum mundi partium invidia, arbores producat elegantiſſimas, fructus dulciſſimos, plantas & ſtirpes aromaticas, flores ſupra omnem modum jucundos & gratos, ſummi ſplendoris & coloris gemmas, aves ſmaragdo & purpura veſtitas, denique quod maximam præ aliis mundi partibus in ſe exhibeat pulchritudinem, attribuendum, id eſt, maximæ ejus ad ſolem propinquitati. Sol enim Arabiæ præ reliquis terræ partibus propinquior eſt atque vicinior, prouti compatriota meus Diodorus Siculus libro ſecundo capite duodecimo optime concludit, atque determinat. Quodſi igitur major ad ſolem materialem vicinia atque propinquitas, majoris mundi pulchritudinis eſt cauſa, quantam, optimi auditores, cauſabit pulchritudinem major ad ſummum ſolem, ſolis omniumque quæ in mundo ſunt creatorem approximatio & vicinia, à quo velut à primitivo fonte naſcitur & dependet omnis ſolis & cujuslibet alterius Creaturæ pulchritudo? illa utique Creatura pulchrior erit atque venuſtior quæ Deo vicinior eſt atque propinquior. In Canticis capite ſecundo verſu decimo tertio invenietis quod Spiritus Sanctus Eccleſiam Dei pulchram nominare volens, illam appellaverit ſpecioſam: *ſurge amica mea*, inquit *ſpecioſa mea, & veni*. Vultiſne rationem audire, cur Spiritus Sanctus pulchritudinem ejus deprædicare volens, illam non pulchram, vel decoram ſed *ſpecioſam* appellet? Hoc elogio utitur, ut illam non ſicut alias Creaturas pulchram fuiſſe, ſed cunctis aliis pulchriorem fuiſſe inſinuet, utpote quæ omnium in ſe poſſibilium virtutum plenitudinem contineat, *ſpecioſa eſt*, inquit Richardus à ſancto Laurentio libro quinto de Laudibus Beatæ Mariæ, *id eſt, omni ſpirituali ſpecie repleta, quia ſecundum Grammaticos nomine deſinentia in oſus ſignificat plenitudinem*. Quodſi vero ulterius unde Eccleſia hanc habuerit omnium virtutum plenitudinem & complementum ſcire deſideretis, dicam hanc illam conſequi ex majori ad ſuum dilectum ad ſummum ſolem, ad magnum Deum approximatione & propinquitate: *Specioſa eſt Eccleſia*, inquit Origenes Hom. 3. in Cant. *quia proxima eſt Chriſto*. Quia igitur ſanctus Michael inter omnes Angelos, & cæleſtes Paradiſi Spiritus ſummo Dei throno vicinior eſt atque proximior: *Michael prope thronum aſſiſtit Dominicum horrendum & terribilem, & proxime citra ullum ſtuporem canit ter ſanctum & admirabilem hymnum*, inquit ubi ſupra Panthaleon,

utique in pulchritudine omnes ſuperat cæleſtis exercitus Angelos, eſtque pulchrior inter omnes ſpirituales ſubſtantias.

4. Quia non errantes vocant, gubernari exiſtimant, ideo quotieſcunque cæleſtes Planetas in forma currus alicujus depictos & in eorum medio pulchrum juvenis cujuſdam habenas illius tenentis & gubernantis videbitis imaginem illam motricem intelligentiam & Angelum Planetam illum gubernantem ſignificare ſcire debetis. Et ſicut juxta opinionem Rabbi Abraham apud Chaſſanæum in Catal p.12. conſid 8. Caſiel Saturni ſtellam, Saliel ſtellam Jovis, Samael ſtellam Martis, Annael ſtellam Veneris gubernant, & ſic per alios diſcurrendo, ita ſtellam Mercurii Michael moderatur. Ratio autem ob quam Michael ſtellæ Mercurii aſsiſtere eandemque regere dicatur, mihi, quantum capere poſſum, hæc eſſe videtur, ut vel hac ratione ſumma ejus innuatur pulchritudo, quæ ob maximam quam cum ſummo ſolo Deo habet vicinitatem, præ omni alio creato ſpiritu maxima eſt, cùm nulli niſi ſoli Deiparæ Virgini, Dominæ & Reginæ ſuæ cedat, utpotè quæ ſicut Deo proximior, ita quoque pulchrior eſt. Aſtrologi enim Mercurium ſoli adeò vicinum eſſe exiſtimant, ut niſi unicum tantum ſolem inter & ipſum intercederet ſignum, omnium viciniſsimus foret, *Mercurius* inquit Boccacius in ſua Coſmographia lib. 4. cap. 5. *uno ferè ſigno recedit à Sole.* Quando itaque Michael Regiam ſuam in ſtella Mercurii habere dicitur, per hoc ipſum adeò ſummo ſoli vicinum eſſe inſinuatur, ut niſi Deipara Virgo, quæ Apocal. 12. v. 1 *ſignum magnum appellatur*, inter Deum & ipſum interjiceretur, futurus eſſet Deo præ omnibus creaturis vicinior, & conſequenter inter omnes creaturas Dei pulchrior, & illuminatior. *Uno ferè ſigno recedit à Sole* Soli igitur B. Virginis pulchritudini S. Michael Archangelus cedit, & nemini alteri totius magnæ curiæ cæleſtis, cum nullus alius increato ſoli, unde omnis dependet pulchritudo creata, propinquior ſit aut vicinior.

5. Porrò cum Sanctus Michael præ cæteris Angelis Deo ſit vicinior, neceſſum eſt, ut præ omnibus quoque aliis ſpiritibus plus ardeat, divinoque ſit igne accenſus Id quod nullum protſus dubium habet, cum Deum ignem quendam eſſe, omnibus conſtet: *Dominus Deus tuus ignis conſumens eſt*, dicebat Moyſes ad populum Hebræum, Deuter. 4. v. 24. nec minus certum ſit eum qui igni eſt vicinior præ aliis quoque incaleſcere. Cum igitur Sanctus Michael præ cæteris Angelis ſit increato ſoli vicinior, conſequens eſt præ cæteris quoque omnibus calidior, ferventior atque in amore Dei ſit ardentior. *Amant enim & ardent*, inquit Petrus Damianus ſerm. de Sancto Michaele, de Angelis loquens, *& deſiderant in eum proſpicere, cujus amore fæliciter incenduntur, quam enim propriores tanto ferventiores.* Adeò eſt in divino amore accenſus glorioſiſsimus Archangelus, ut cum ſe Moyſi die quadam ſpectandum exhiberet, velut ingens quædam maſſa ignis viſus fuerit. Ipſe utique ignis ille fuit, quem Moyſes in rubo ardentem, ſed non conſumentem conſpiciebat: *Michael*, inquit ubi ſupra Panthaleon, *Legiſlatori Moyſi in monte Chorin apparuit totus igneus.* Dum igitur Michaelem præ cunctis Angelis cæteris, divino videmus amore accenſum, quid dicere aliud poſſumus, niſi quod cæteris omnibus quoque pulchrior extiterit & elegantior? Pulchrum enim reddit amor divinus amantem?

*Namque hic ſolus amor formoſum reddit amantem*, inquit Gregorius Nyſſenus Carm. de virginit. Quiſquis Deum ardentius amat, majorem quoque præ alio minus amante pulchritudinem habebit. Præ omnibus itaque aliis Angelis S. Michael Archangelus pulcherrimus, quia Creatorem ſuum plus omnibus amavit.

6. Quiſnam obſecro Angelus ille fuit, qui dum Gedeoni apparens, eundem in Ducem & liberatorem populi Dei eligeret ab eodem Gedeone veluti ſi Deus quidam fuiſſet, ſacrificiis publicè eidem oblatis adoratus fuit? *Fuit S. Michael*, inquit Panthaleon ubi ſupra. Verum inquies quomodo Gedeon ſimplicem quandam adorare Creaturam potuit, cum adoratio ſoli competat Creatori? Reſpondeo, adeò ingens fuit, quam Gedeon in Archangelo vidit pulchritudo, ut ipſi eadem non creata ſed increata pulchritudo & conſequenter Michael non Angelus ſed Deus quidam eſſe videretur, ideoque illum eum honore proſequi voluit, quocum ſolus honorari & coli Deus conſuevit. Talis inquam ac talis fuit illa pulchritudo, ut ſoli ſimilis eſſe videretur, inquit idem Panthaleon Diaconus ubi ſupra dicens: *Michael ad Gedeonem ſolaris inſtar radii venit, & ab ipſo tanquam divinus & cæleſtis Angelus fuit adoratus.* Unde facilè colligitur pulchritudinem Sancti Michaelis inter cæteros Paradiſi Angelos fuiſſe, ſicut pulchritudo ſolis ad alias ſtellas comparata. Michael inter Angelos ſol eſt inter ſtel-

las, præ cæteris enim ſuprema atque cæleſti pulchritudine reſplendet *Solaris inſtar radii venit*.

7. Quotieſcunque Sacræ Scripturæ paginas pervolvendo, Deum hominibus apparuiſſe, cum iiſdem tractaſſe, interque eos commoratum fuiſſe inveniris, illum qui Deus credebatur Angelum quendam fuiſſe, qui in Dei perſona divinam Majeſtatem repræſentabat, perſuadere vobis debetis. Unde cum in Exodo, Deum Moyſi in monte Sina legem dediſſe, eundemque in eodem monte quadraginta diebus ſecum detinuiſſe legitis, Angelum illum qui tunc Dei perſonam referebat, Sanctum Michaelem fuiſſe credere debetis, qui proinde glorioſiſſimus Archangelus à Panthaleone ubi ſupra: *Magiſter divinæ legis, quæ data fuit in Sina*: honorificentiſſimo elogio nominatur. Unde magnitudo ſplendoris & decoris qui in S. Mich. facie refulgebat facilè colligi poteſt. Quam ſpecioſa enim facies illa eſſe debebat, quæ novum quendam eximiis ſplendoribus ſuis Solem efficiebat. Quod ſi Moyſes modico illo tempore quo in Principis hujus fæliciſſimo commoratus fuerat conſortio, adeò fuit illuſtratus, ut novum quendam ſecum attuliſſe ſolem videretur, adeò ut in Moyſis de monte deſcendentes faciem, quæ Sole ſplendidior erat, ob nimios ſplendoris radios nullus ex toto populo Dei fixis & irretortis oculis reſpicere potuerit, ut proinde illi cum populo negotia tractatura, eidemque quæ à Deo ſibi revelata perceperat, communicaturo neceſſum fuerit velo faciem ſuam obtegere. Exodi trigeſimo quarto verſu trigeſimo quinto: *Operiebat ille faciem ſuam, ſi quando loquebatur ad eos*. Quantus igitur fuiſſe debuit Sancti Michaelis decor & pulchritudo, utpote qui alios tantæ ac tam incredibilis pulchritudinis poterat reddere participes? *Loquebatur Moyſes cum Angelo in monte Sinai diebus quadraginta, ut ſuſciperet legem, deſcendentes de monte ex illius colloquio tam immenſo fulgore facies ejus reſplenduit, ut non poſſent intendere in eum filii Iſrael ſed impoſito velamine ſuper oculos, cum eis loquebatur*, inquit Beatus Thomas à Villa Nova de Divo Michaele Archangelo. *Admirandum certè, ſtupendum miraculum. Penſate fratres, quantus erat fulgor in Angelo, qui talem impreſſit ſplendorem in vultu?* Sanctus Michael Sol quidam eſt adeò ſplendens & fulgidus ut ſuis potuerit radiis alios transformare in Soles.

8. Quod ſi nobis concederetur cæleſtes in Paradiſo videre Angelos, totidem ibidem viſuri eſſemus humiles, quot magnos. Nihil enim eſt in cælo aliud, quam humilitas, nec alii in magna illa Regia reperiuntur aulici proceres præterquam humiles: *Iam quod credis in cælo eſſe?* inquit Paulus de Palatio in capite vigeſimo tertio Matth. *Certè eſt humilitas, omnis illa beatorum curia humilium eſt*. Et quia ſicut in cælo magni ſunt & maximi, ita quoque humiles & humillimi reperiuntur. Ideo quod ſi quis ex me fortaſſe ſciſcitaretur, quiſnam ſit inter Angelos humillimus? mox hunc eſſe Sanctum Michaelem, reſponderem. Ipſe namque eſt Angelus adeò humilis, ut ob profundiſſimam ſuam humilitatem, dicatur *Michael*, quod in ſermone latino *humilitas* quoque interpretatur. Ubi benè ponderandum eſt, quod non *humilis*, ſed *humilitas* dicatur, adeò namque humilis exiſtit, ut ipſiſſima eſſe videatur humilitas. In cujus ſignum ei aſſignata eſt, ut diximus ſupra Mercurii Planeta, qui omnium Planetarum eſt minimus. Cum igitur Sanctus Michael ſit omnium Angelorum humillimus & minimus, utique omnium quoque pulcherrimus erit. Deus enim, ut idem Doctor dicit, pulchritudinem ſuam rebus minimis communicare conſuevit, atque ideo quanto res minor eſt, tanto quoque pulchrior erit, parva enim præ magnis à Deo magis decorantur & exornantur: *Si vis ut Deus*, inquit ubi ſupra Paulus de Palatio, *pulcherrimum in te opus perficiat humilitate, videat te in oculis tuis viliorem, hoc præclarius abſolvet opus*, quaſi dicere vellet. Quod ſi à Deo fieri pulcherrimus deſideras, te quantum potueris humilia, quanto enim magis humiliaberis, tanto quoque pulchrior eris, Deus enim majorem decoris ornatum iis qui humiliores ſunt conferre conſuevit.

9. Advertendum eſt præterea, quod ſanctiſſimus Archangelus à Panthaleone Diacono ubi ſupra proponatur velut *lucidus & candens ſpiritus, multoſque habens oculos*. Eo ipſo autem quo ipſum oculis undique refertum eſſe tradit, illum veluti pavonem quendam, in plurimis ſuis oculis undique coopertum deſcribere velle videtur. Neque enim fruſtra dici ſolet, ut refert Petrus Berchorius Reductorii Moralis libro ſeptimo capite vigeſimo ſexto: *Pavo habet plumas Angeli*, ſiquidem pavo glorioſiſſimum Michaelem

Archan-

Archangelum perfectiſſimè repræſentat. Verus namque Pavo eſt admirabilis Michael Archangelus Sicut enim pavo naturaliter in locis eminentibus & altis commoratur: ita quoque Sanctus Michael commoratur in cælo, in loco nimirum juxta Deum ſuper omnes alios omnes beatos Spiritus altiſſimo Præterea ſicut pavo vocem habet adeò formidabilem & horrendam ut venenoſa animalia illam audientia, ſubitò ſe ſubducant, fugiant, atque eouſque ſeſe abſcondant, donec illam audire amplius non poſſint, ita quoque vox Sancti Michaelis Archangeli prævaricatoribus adeò fuit terribilis & horrenda, ut de cælo fugientes in profundum uſque infernum ſe abſconderint. Adhæc ſicut pavo totam pulchritudinem ſuam in cauda repoſitam habet, ita quoque Sanctus Michael totum ſuum decorem & venuſtatem in humilitate conſtituit quaſi præcipua omnis decoris ſui cauſa Cùm igitur S. Michael myſticus quidam pavo exiſtat, inter omnes quoque Angelos conſequenter pulcherrimus erit. Sicut enim pavo inter omnia alata animalia per aëra volitantia pulcherrima avis eſt. *Nihil pavone pulchrius*, inquit Chryſoſtomus in Pſalmo quinquageſimo. Ita S. Michael inter omnes per Paradiſum volantes alatos Spiritus pulcherrimus exiſtit.

11. Quandoquidem locus ut Peripatetici volunt & ratio ipſamet dictitat, locato debeat eſſe proportionatus, res enim pulchra nonniſi debet in pulchro loco reſidere, alia verò quæ pulcherrima eſt non debet eſſe alibi præterquam in loco pulcherrîmo, denique id quod pulchritudine & venuſtate ſua quamcunque rem aliam etiam pulcherrimam ſuperat, in tali quoque loco degere debet, qui præ alio quovis loco etiam ſpecioſiſſimo pulcherrimus cenſeatur. Ex qua regula Caligula Imperator, quicquid in toto mundo pulchri quaquaverſum poterat reperiri Romam tranſportare didicit: *Non enim alibi pulchras res eſſe dicebat*: ut Joſephus Hebræus libro decimo nono antiquit. capite primo ſcribit: *quam in pulchriori loco, hunc autem Romam eſſe affirmabat.* Hoc igitur ſuppoſito dicendum videtur, quod cum Deus adeò ſit pulcher & decorus, ut nulla inter omnes cæli terræque creaturas excogitari pulchrior poſſit (tam enim ſtupenda eſt pulchritudo increata, ut quævis creata ſpecies illi comparata deformitas ſit non vero pulchritudo) Deo utique tanquam ſummè pluchro pulcherrima quoque domus debetur, quæ unquam ſive in cælo ſive in terra ab ipſius manibus creata proceſſit, erit igitur Sanctus Michael creatura pulcherrima pariter & præſtantiſsima, qua pulchrior nulla unquam a Dei manibus viſa eſt procedere, utpote quem Deus in domum & manſionem ſuam dignatus eſt eligere. Cùm enim nomen reſpondere debeat rei nominatæ, Sanctus autem Archangelus nominetur Michael; quod in idiomate Latino *Domus Dei* interpretatur, utique Sanctus Michael domus Dei erit, quem Deus utpote inter omnes beatos Paradiſi ſpiritus pulcherrimum, quique poſt Dei matrem nullum habet inter omnes ſubſtantias beatas æqualem, in ſpeciale ſibi habitaculum præ omnibus aſſumpſit.

12. Poſtquam Nabuchodonoſor, uti legitur Danielis capite tertio verſu nonageſimo & nonageſimo ſecundo vidit, quod in ea fornace cui tres tantum incluſerat pueros Hebræos igne concremandos, quartus quoque acceſſiſſet eundemque tanta videret pulchritudine conſpicuum; ut ſimilis illi videretur eſſe filio Dei admiratus, magnatibus ſuis dixit: *Nonne tres viros miſimus in medio ignis? Ecce ego video quatuor viros ſolutos, & ſpecies quarti ſimilis filio Dei*, quinam erat quartus ille qui faciem Dei referebat? haud alius quam Sanctus Michael Archangelus, qui de cælo deſcenderat, tum ut parvulus illos innocentes à vinculis ſolveret, tum ut ignis ardorem compeſceret & refrigeraret: *Michael una cum Azaria & reliquis ſymbolicè aſcendit in fornacem & [illegible] ſpiritum roris mediam effecit fornacem, & tres maximè pios pueros illæſos conſervavit, & divina ſpecie conſpectus à Rege Nabuchodonoſor, eum magna affecit admiratione*. ſcribit ubi ſupra Panthaleon Diaconus. Obſervandum autem hoc loco eſt, quod Rex Sanctum Michaelem viderit non habentem non Angeli, ſed Dei ſimilitudinem. *Et ſpecies quarti ſimilis filio Dei.* Adeò enim exceſſivus pulchra eſt ſanctisſimi Archangeli facies, ut non creata, ſed increata, ei viſa fuerit pulchritudo ejus, videbatur enim ſibi eandem videre faciem, quam habet filius Dei, haud ſecus ac ſi alter quidam fuiſſet Chriſtus Salvator noſter. Cùm igitur Chriſto ſimilis fuerit, conſequens eſt ut omnibus qui in cæleſti ſunt gloria, Angelis pulchrior extiterit.

Chriſtus

13. Victoria illa quam David de Goliath Gygante illo vaſtiſſimo reportavit, tanto fuit major & admirabilior, quanto illam David antea judicabat difficiliorem. Quod enim vir aliquis, imo puer nudus, inermis, & armorum tractandorum inexpertus, qualis eo tempore David erat, immenſum, vaſtum, ſtupendæque molis gygantem à capite ad calcem uſque ferro contectum, atque à pueritia inter exercitus militares enutritum, adterram proſtraverit & devicerit, facinus eſt inauditum, tantopere majori admiratione dignum. Sciendum eſt autem præcipuum tanti miraculi authorem, non Davidem, ſed Michaelem fuiſſe Archangelum, qui à Deo in adjutorium ſervi ſui miſſus de cælo venit, qui gygantem hunc proſtratum occidit: *Erat enim Michael militiæ princeps, qui Goliath pene eſt jaculatus, & illum terrenum proſtravit, quando divina funda fuit percuſſus à Dei parente David*; inquit ſæpememoratus Panchaleon. Sciendum eſt inſuper Davidem gyganti huic in terram proſtrato dixiſſe, ut refert Philo Hebræus in Antiquit. Bibliæ: *Aperi oculos tuos, & vide interfectorem tuum*. Cui Gygas reſpondit: *Non tu me interfeciſti, ſed is qui tecum eſt, cujus vultus eſt ſicut vultus Dei*. Cur obſecro facies S. Michaelis ſicut vultus Dei fuiſſe dicitur? Ideo nimirum quia illum vidit tanto decore conſpicuum, adeo ſplendidum & ornatum, ut decor ejus non creatus, ſed increatus eſſe videretur, ideoque vultus ejus ei non Angelicus eſſe videbatur, ſed Divinus, quaſi non Angelus, ſed Deus quidam fuiſſet Angelorum Dominus.

14. Inter cæteras quas ſanctiſſimum hoc nomen *Michael* patitur interpretationes, una eſt ſecundum quam idem ſignificat, quod *Paupertas Dei*. Veruntamen quomodo interpretatio iſta glorioſo huic Archangelo, ſive cuivis alteri creaturæ cæleſti vel terrenæ convenire poſſit, prorſus ignoro. Paupertas enim Deo non minus repugnat, ac miſeria beatitudini, Infernus cæli. Non eſt exiſtentiæ reali. Quomodo enim in Deo infinite divite & opulento paupertas eſſe poterit? Adeo eſt Deus opulentus, ut non tantum pro amicis ſuis, ſed & pro omnibus divitiis abundet: *Non eſt enim diſtinctio Judæi & Græci*, inquit Apoſtolus ad Rom. 10. v. 12. *idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum*. Deus adeo eſt dives, ut theſauri ejus ſint inexhauſti, & quoddam ſine fundo pelagus immenſum. *Non eſt finis theſaurorum ejus*, inquit Iſaias cap. 2. v. 7. Adeo denique dives eſt, ut hoc ſibi nomen Deus elegerit, quod ſuam è divitiis originem trahit. *Dii apud antiquos à divitiis dicti ſunt*, inquit Fulgentius Mythol. lib. 3. Qua igitur ratione fit, quod cum Deus adeo ſit dives, ut pauper eſſe nequaquam poſſit, glorioſus tamen Michaël Archangelus appelletur *Paupertas Dei*, quaſi aliqua in Deo inveniri paupertas poſſit? Hoc nomine appellatur, non quod aliqua in Deo ſit, aut eſſe poſſit paupertas, ſed ut per hoc inſinuetur, quod quando Deus Archangelum iſtum creavit, illum tanto decore & pulchritudine, tantiſque ſplendoribus & excellentiis adornarit, ut ſe ad paupertatem talem redegiſſe videatur, ut alium ei ſimilem creare deinceps non poſſit. Ad eum modum quo Seneca Neroni tapetem quendam incredibili ſumptu à ſe fieri juſſum, auro & lapidibus pretioſis bene onuſtum, raraque cum ſubtilitate elaboratum oſtendens, Imperatori dixit: *Declaraſti te pauperem, nam ſi hunc amiſeris, non poteris alterum parare ſimilem*, ut refert Plutarchus de cohibenda Iracundia. Neque enim hoc Seneca dixerat, quod Romanum Imperatorem per unici duntaxat tapetis ſumptum adhibitum depauperatum eſſe crederet, ſed ut operis illius inſinuaret divitias, majeſtatem, & pretium, in cujus facturam omnes adhibitæ & conſumptæ viderentur totius Imperii Romani divitiæ, adeo ut Imperatori Romano vix aliquid manſiſſet reliquum, unde ſimilem facile conficere poſſet. Eodem igitur modo S. Michaël *Paupertas Dei* dicitur, ut hoc nomine inſinuetur, Deum quando illum creavit, & in gratia confirmavit, tantum conceſſiſſe lumen, tantam pulchritudinis elegantiam, tot ornamenta & excellentias, quot uni ſubſtantiæ creatæ concedere poſſibile erat, quaſi ex omnibus Divinorum theſaurorum bonis atque divitiis nihil omnipotentiæ ſuæ reliquum manſiſſet, quod ei nõ communicaſſet, nec poſſibile ei eſſet, alium quendam illi ſimilem creare Angelum. *Michael paupertas Dei*.

15. Neque ignorare vos volo Sanctum Michaëlem à Deo exercituum ſuorum electum eſſe Ducem & Principem. In prælio illo, quod factũ eſt in cælo Angelos inter & Dæmones. Sanctus Michaël Dux Angelorum erat. *Factum eſt prælium magnum in cælo, Michael & Angeli ejus pugnabant cum Draco pugnabat & Angeli ejus*, inquit S. Joannes in Apocalypſi cap. 12 v. 7. Ly Angeli ejus hoc loco idem ſignificat quod milites ſeu bellatores S. Michaelis, qui ſub ejus militabant imperio. *Illud enim Angeli ejus, innuit, reliquos omnes Angelos ſeſe ad D. Michaelem, quaſi ad Principem adjunxiſſe & paruiſ-*

ſa, inquit Blaſius Vega ibid. Unde à Baſilio Magno in Hom. de Angelis Dux dicitur Angelorum. *Tibi Michael Duci ſupernorum ſpirituum, qui dignitate & honore Prælatus es cæteris*, ita Sanctum alloquitur Archangelum. Quia vero Rex cum Exercitus ſui Ducem eligit, non ad hoc tantum ut pulchrior ſit cæteris, attendit, verum etiam num fortior ſit, conſiderat: *Si quis pulchrior & fortior in Imperatorem eligendus eſt*, dicitur Legiſtæ apud Chaſſanæum in Catal. p. 9. Conſidero huic S. Michaël non ſolum omnium pulcherrimus, verum etiam inter omnes Angelos quotquot pro Dei & Domini ſui ſervitio & honore ſub ejus vexillo militant, eſſe debuit fortiſſimus.

16. Porro Divini hujus Archangeli potentia & fortitudo tanta eſt, ut cuilibet ejus facinora conſideranti, ſtupenda prorſus eſſe debeant. Legatis obſecro Quarti libri Regum cap. 19. ibi namque invenietis quod cum urbs Hieroſolyma ab impio Sennacherib cingere obſidione, ad eaſque redacta eſſet extremitates, ut jamjam ſuo eſſet cenſura hoſti, Deus pietate motus, quendam ex Angelis ſuis miſit, qui unica nocte, imo unico noctis illius momento, abſque ullo adhibito ferro aut gladio, innumerabilem hunc exercitum totaliter ſtravit, ſolo Sennacherib ad majorem ejus confuſionem vivo relicto. *Factum eſt igitur nocte illa, venit Angelus Domini & percuſſit in cunctis Aſſyriorum caſtris octoginta quinque millia*, inquit ſacer textus ibid. v. 35. Panthaleon ubi ſupra interrogat, quiſnam fuerit Angelus iſte adeo potens & fortis, qui tanta cum facilitate & ſtupore occidere potuit & delere numeroſum quendam ex tot hominum millibus conflatum exercitum? Et reſpondet. Quiſnam tale moliri facinus poſſet, præterquam S. & magnus ille Michaël Archangelus, divini exercitus generalis Archiſtrategus: *Cujus autem fuit hoc ſtupendum præclarumq; & admirabile facinus & potentia? Nonne omnium Regis Domini Sabaoth Principis copiarum Michael, qui non viſus duxit exercitum & adverſarios temporis momento ſine gladio aperte concidit?* Omnia opera magna, omnia facinora heroica, omnes actus admirabiles atque ſtupendi ſoli S. Michaëli debent attribui. Ipſe namque propter incredibilem ſuam potentiam, maximorum quæ à Dei manu procedunt, prodigiorum eſt executor.

17. Ad hoc ut Hebræorum populus tanto majori cum fiducia ſe ad terram ſibi promiſſam reciperet, Deus hiſce illum verbis eſt allocutus: Exod. 23. v. 20. *Ecce ego mittam Angelum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via & introducat in locum, quem paravi, & eſt nomen meum in illo*; quaſi diceret, Macti animo eſtote, neque ullum quod in via accidere vobis poſſet formidare periculum. Verum enimvero quidnam ſibi verba illa volunt: *Et eſt nomen meum in illo*? Idem ſignificant, ac ſi diceret: Ipſi nomen meum impoſui, ideoque illum à vobis Deum volo appellari Dominus, inquit Oleaſter in cap. 23. Exodi. *poſuit nomen ſuum in medio Angeli, id eſt, Angelum Deum nominari voluit.* Unde quia hic Angelus ex communi omnium ſententia fuit S. Michaël Archangelus. (Hic enim Angelus ille erat cui Deus in ſtatu legis antiquæ populi Hebræorum regimen commiſerat, ſicut eidem poſtea tempore Evangelii commiſſa fuit cura populi Chriſti) facile eſt hinc ſummam ejus potentiam & fortitudinem cognoſcere. Dei enim nomen portat, quia quando nobis in adjutorium venit, tanta nos fortitudine defendit, ut non Angelus aliquis, ſed ipſemet videatur veniſſe Deus; cujus potentiæ nulla alia fortitudo eſt comparabilis. *Eſt nomen meum in illo.*

18. Alphonſus Toſtatus Epiſcopus Abulenſis quæſt. 81. in cap. 23. Exodi exiſtimat S. Michaëlem fuiſſe Angelum illum, qui nube illa regebatur, qua Deus populum Hebræum, verſus promiſſionis terram caſtrametantem gubernabat & defendebat. Cum enim Deus huic Angelo negotia hujus Hebræi populi magis ardua commiſerit, conveniebat utque ut & hoc quoq; ardens illi munus committeret: *Michaeli enim ſecundum Divinam ordinationem, competunt quæ ſunt maxima negotia populo Iſraelitico, quia ipſe eſt de principibus primis Iſrael: ergo videtur quod iſtud negotium, de quo in agitur, quod maximum erat, ipſe exercuerit, portando nubem & cuſtodiendo Iſraelitas in via.* Cum igitur S. Michaël ſit Angelus ille nube contectus, non procul aberrabit, qui eum quoque illum fuiſſe Angelum dixerit, quem S. Joannes in Apocalypſi cap. 10. 1. *Amictum nube* vidit. Nube autem ſeſe glorioſiſſimus hic Archangelus veſtit & contegit, ut noſtrum eſſe protectorem inſinuet, qui nos tum contra divini furoris ardorem, tum contra infernale incendium defendit. Verum attendendum eſt bene quod S. Apoſtolus S. Michaëlem nube contectum videns, illum appellaverit Angelum fortem: *vidi Angelum fortem amictum nube.* Et quidem tametſi Apoſtolus nonnemini ſuperflue locutus fuiſſe videri poſſit, dum illum Angelū fortem appellat, cum eo ipſo quo Angelus fuiſſe dicatur, fortis quoque fuiſſe intelligatur, ſiquidem

Ange-

*Angelus* idem ſignificat quod *fortis*. Unde Pſal. 77 v. 25. ubi nos legimus: *Panem Angelorum manducavit homo*, alii ex Hebræo vertunt: *Panem fortium manducavit homo*: Hoc tamen non obſtante dico neceſſarium fuiſſe ut Angelum illum fortem fuiſſe diceret, ad inſinuandum, fortitudinem ſuam non fuiſſe vulgarem & ordinariam qualis eſt aliorum Angelorum, ſed longè majorem, quaſi alii Angeli in comparatione ad ipſum, fortes minimè fuiſſent, & hoc *fortis* elogium ipſi ſoli conveniret & deberetur: *Vidi Angelum fortem*.

19. Notum eſt omnibus, quod cum Deus cuilibet unicam duntaxat animam curandam & gubernandam commiſerit, quam ab omnibus quæ in ſalutis tramite paſſim ſolent occurrere, periculis cuſtodiat & protegat: ſanctus tamen Archangelus Michael omnium prorſus animarum curam gerat, totumque ſanctæ Eccleſiæ corpus regat & gubernet: *Michael qui eſt magnus Princeps Angelorum exercituum & ordinum*, inquit ubi ſupra Panthaleon, *qui fuit veteris Iſrael rector illo tempore, nunc autem electi à Chriſto cognominati Iſraelis Dux vigilantiſſimus, & cuſtos tutiſſimus*; quaſi clarius dixiſſet: Sicut olim S. Michael cuſtos erat omnium Hebræorum, ita nunc omnium Chriſtianorum eſt cuſtos conſtitutus. Unde S. Michael in hac ſua pervigili & univerſali cuſtodia Deiparæ Virgini perſimilis eſſe videtur, quæ cum unus Angelus unicam duntaxat animam gubernet, ipſa omnes animas noſtras moderatur & dirigit. *Nos Angeli cuſtodes ſinguli ſingulos homines cuſtodiunt, ipſa autem cuſtodit univerſaliter ſingulos, & ſingulariter univerſos*, inquit D. Antonin. Archiepiſc. Florent. p. 4. tit. 15. cap. 44. Tanta eſt S. Michaelis Archangeli potentia, ut cum Deus omnibus aliis Angelis unicam duntaxat animam cuſtodiendam commiſerit, quaſi plures cuſtodire animas illorum excederet facultatem & poteſtatem, huic tamen omnium univerſalem commiſerit curam, quaſi plus faceret potenti & prævalenti.

20. Quod ſi Danielem Prophetam cap. 10. v. 13 legeritis invenietis apparuiſſe huic Prophetæ Gabrielem Archangelum, ut illum confortaret, eumque de omnibus quæ ad populum Dei è dura Chaldæorum ſervitute liberandum fecerat, certiorem redderet, cui inſuper quam ab Angelo Perſarum paſſus fuerat reſiſtentiam auxiliante tamen ſibi S. Michaele Archangelo facilè ſuperatam prolixè recenſuit. *Princeps Regni Perſarum reſtitit mihi viginti & uno diebus: & ecce Michael unus de Principibus primis venit in adjutorium meum &c.* Circa hunc locum præcipue conſiderare vos volo, S. Gabrielem opus habuiſſe adjutorio S. Michaelis Archangeli. Quidnam hoc nobis ſignificat? Hoc nimirum, quod ipſamet quoque potentia divina S. Michaelis fortitudine egeat & aſſiſtentia, quaſi adeò fortis eſſet, ut ipſa quoque divina potentia ſine ejus adjutorio ſua exequi opera minimè poſſet. Cùm enim *Gabriel fortitudo Dei* interpretetur, hic autem Gabriel S. Michaelis adjutorio egeat, Dei fortitudo quoque illa indigere videtur. Id quod non eo fine dicimus, quaſi Deus fortitudine alicujus Angeli ſui indigeat; minimè gentium; ſed ideo tantum dicitur, ut fortitudinem ſanctiſſimi Michaelis Archangeli aliorum Angelorum fortitudinem adeò excedere & tranſcendere inſinuetur, ut etiam Deus ipſemet eadem indigere videatur, nec poſſit aliis Angelis mediantibus exequi, quod opera illius exequitur.

21. Verba illa Iſaiæ Prophetæ cap. 11. v. 4. *Spiritu labiorum ſuorum interficiet impium* à multis de S. Michaele Archangelo intelliguntur, quaſi ille ſit ſpiritus labiorum Dei, quo mediante Deus ante mundi deſtructionem impium occidet Antichriſtum. Porrò quia Chriſtus labium Dei dicitur, quo Deus nobis veluti divinis labiis ſuis loquitur: *locutus eſt nobis in filio*, inquit Apoſtolus ad Heb. 1. v. 2. Ideo dum Chriſtus ſpiritus labiorum Dei appellatur ſpiritus, id eſt, anima Chriſti appellari videtur. Id quod unum eſt ex maximis magnificentiſſimiſque elogiis quæ ſanctiſſimo Archangelo poſſent attribui: *Vide quanta ſit laudis*, inquit Blaſius Viegas in Apocal. Comm. 1. ſect. 17 n. 5. *appellari Michaelem ſpiritum oris Chriſti*. Meritò autem; nam S. Michaelem ſublimiſſimis quæ rei alicui creatæ attribui poſſunt elogiis & titulis, laudari & illuſtrari quam maximè convenit. *Oportet profectò*, inquit Joann. Gerſon ſerm. de Angelis, *ut magnus magnis titulis inſignitus extiterit, quem in prælio magno cæleſti Ducem ac ſigniferum ſui exercitus præcipuum, univerſalis Imperator ac Regum ſupremus, conſtituit.* Denique quia S. Michael eo ipſo quo anima Chriſti vocatur, ſimul ſignificetur ipſum eſſe ſingulariter dilectum & amatū à Chriſto (nam ut Leo hebræus Dial. 3. de Amore ſcribit: *Anima animæ amantis ipſummet amati eſſe dicitur*) liquet ipſum inter Angelos cæleſtes eo loco haberi, quo Beniamin inter filios Jacob, S. Joannes Apoſtolus inter reliquos Chriſti diſcipulos, intimus privatuſque Principis familiaris inter cæteros aulicos. Quam igitur valida apud Deum erit hujus Principis potentia? quam ingens

gens ejus valor & pondus? Quidnam erat in univerſo mundo, in cælo inquam & in terra, quod ejus non ſubjiciatur imperio? *Dilecto omnia patent*, inquit B. Thomas de Villa Nova Conc. de S. Joan. Evang. *Omnia obediunt, nemo illi quidpiam in tota domo interdicere audet.* Habet quod vult; facit quod vult, exequitur quicquid ei placet tum in terra inter viatores, tum etiam inter comprehenſores in cælo potentisſimus Michaël. *Dilecto omnia patent.*

22. Ultimo tandem videamus ardentisſimum quo S. Michael Archangelus nos proſequitur affectum nam & in hoc ipſum reperietis omnibus aliis Angelis longe majorem & ſuperiorem. Legite igitur in primis ad hoc propoſitum Pſal. 103. v. 4. ubi David Angelos ex vento & igne factos eſſe dicit: *Qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem urentem.* Ex vento autem & igne Angeli ideo facti dicuntur, quia uti in alia quadam occaſione dictum eſt, ignis amoris quo Angeli erga nos ardent, tantus eſt, adeoque vehementer æſtuans, ut in iis quæ ad noſtram ſunt ſalutem neceſſaria, ipſomet ſint vento rapidiores & velociores; Non morantur, non tardant, nec ullum ad nos juvandum & defendendum tempus ſuſtinent. Verum enimvero quid de S. Michaële dicemus? Illumne, dum ad juvandum & cuſtodiendum nos accelerat, uti alios Angelos ventorum alis inſtructum eſſe affirmabimus? Habet alas fulguris, vento longe velociores, in unico ictu oculi, in unico momento, in uno inſtanti, pro noſtra ſalute totum mundum pervolat. *Michael tanquam pernix fulgur atherem obit, & univerſam qua eſt ſub cælo terram uno momento pervadit, pioſq; qui affliguntur, adit, recreat, & conſolatur,* inquit Panthaleon ubi ſupra. Omnibus aliis Angelis, glorioſisſimus hic noſter Archangelus velocior exiſtit, quia præ omnibus aliis ardentius diligit, ideoq; cũ alii ventorũ alis inſtructi ſint, ipſe fulguris & ignis alas habet Can. 8. v. 6. juxta aliã tranſlationem: *Ala ejus, ala ignis, atque flammarum.* Primas tenet omniũ illorum qui nos diligunt. *Primas partes obtinet inter ignis miniſtros,* inquit idemet Diaconus.

23. Ad idem propoſitum verba illa conſideremus, quibus ſæpe citatus Panthaleon ubi ſupra orat. 2 glorioſisſimum alloquitur Michaëlem Archangelum: *Benigne Michael, qui es fortiſſimus pugnator, ac propugnator, ac defenſor eorum, qui diligunt Deum, qui provides, ac proſpicis, &c.* Quibus in verbis, uti videtis, illum inprimis benignum nominat, *benignus* autem idem ſignificat, quod *bene ignitus*, id eſt, ardens amator noſter, vehementisſime erga nos amoris igne æſtuans & accenſus. Tandem concludit. *Provides & proſpicis*, ſcilicet neceſſitatibus noſtris. Quibus in verbis contrario & inverſo modo loqui videtur; prius enim dicere debuiſſet *proſpicis* & poſtea *provides* (cum neceſſitas primo videri, poſtea vero illi provideri & adhiberi remedium debeat) & tamen hoc ordine inverſo dicit, quod divinus hic Archangelus neceſſitatibus noſtris primo provideat, priuſquam eaſdem videat aut cognoſcat: *Provides & proſpicis.* Cur non potius dicit: *Proſpicis & provides?* Dicit itaque quod primo provideat, & poſtea videat, ut admirabilem & incredibilem ſignificet ſollicitudinem, accelerationem & velocitatem, quacum dum nos opis ſuæ egenos conſpicit, ad ſuccurrendum nobis advolat & accurrit. Ob ardentem quo erga nos fertur amorem, adeo eſt in volatu ſuo pernix & rapidus ut malis noſtris prius providiſſe, quam ea vidiſſe videatur. Alas fulguris habet, vento longe velociores. *Provides & proſpicis.*

24. Bonum & fidelem amicum in ſumma neceſſitate probari, nemo eſt qui ignoret. *Ut aurum igne* inquit Marcus Tullius Cicero lib. 9. Epiſt. familiarium, *ſic benevolentia fidelis amici in periculo aliquo perſpici ſolet.* Unde natum eſt illud Proverbium: *Proſpera amicos parant, adverſa probant.* De unius horum amicorum affectu loquebatur ſponſa, quando Cant. 8. v. 7. dicebat: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere Charitatem*: Id eſt, tribulationes, quantumvis magnæ (hæ enim per aquas multas intelliguntur) non potuerunt magnum veri & perfecti amici amorem extinguere, qui tam proſpero, quam adverſo tempore amicum amando & juvando perſeverat. Quis eſt qui neſciat maximam quam genus humanum unquam paſſum eſt, neceſſitatem, fuiſſe tempore illo, qua Adam poſt prævaricationem contracto reatu iræ Dei, pulſus eſt è Paradiſo. A quibus homo illo tempore derelictus non fuit? Hoc unicum dixiſſe ſufficiat, quod eum propria ejus Mater, id eſt, terra abjecerit & dereliquerit, dum illi ſpinas loco panis protulit. Et tamen licet homo tũc adeo fuerit omnium ope deſtitutus, non tantum illum deſeruit S. Michael Archangelus, imo potius ſubito poſt prævaricationem illum ſollicite quæſivit, ut eum conſolaretur, confortaret, in exilio ſocius eſſet illumque panem acquirendi, vitamque ſuam ſuſtentandi modum edoceret Sanctus Michaël fuit is qui nudam miſeri Adami carnem

veſte

veſte contexit, qui illum terram ſulcare ſeminare & metere omniaque quæ ad vitæ humanæ ſuſtentationem requiruntur in ordinem redigere docuit: *Michael Adam è Paradiſo ejectum, fraude Dæmonum inimici hominum, texit, traduxit, & direxit, & eum terram ligone docuit fodere, ſeminare & metere, & ad reliqua quæ utilitatem afferebant, inſtituit*, inquit Pantaleon ubi ſupra. Verus igitur & perfectus amicus eſt glorioſiſſimus noſter Archangelus, amicus in neceſſitate probatus, amicus ſynceri fideliſſimique cordis, cunctis aliis meritò præferendus.

25. Superius ex eodem Panthaleone S. Michaelem oculis undique plenum fuiſſe diximus; Idque non ſolum ob ſummam ſubſtantiæ ſuæ pulchritudinem, verùm etiam ob ardentem erga Eccleſiam Chriſti, dilectiſſimam Dei ſponſam cuſtodiæ ſuæ demandatam, amorem, convenientiſſimè ibi dicebatur. Sic enim Argum quoque quod Junonis Jovis ſponſæ cuſtos eſſet, millenis circumquaque oculis præditum fuiſſe finxere Poetæ. Porro amor quo S. Michael in noſtram cuſtodiam inclinatur, adeò eſt ingens & vehemens, ut non amor; ſed Zelotypia, id eſt, exceſſivus amoris ardor dici mereatur; Hæc autem zelotypia in ipſo ex tot quibus undique refertus eſt oculis, clarè relucet zelotypia enim uti vobis conſtat, ſi ejus aliquando ſpectaſtis hieroglycè depictam imaginem, olim depingi ſolebat induta veſte quadam cærulea oculis undique obſepta; Qua figura hieroglyphica ſignificabatur, quod Zelotypus, totus ſit & merus oculus, tum ut hac ratione ſubtiliter intelligat, quodvis licet modicum, imò minimum amatæ rei negotium, tum ut illam ab iis, qui illam tollere moliuntur, tueatur & cuſtodiat. Etenim ſi S. Michaelem ſpectemus, tantus eſt illius affectus & ſtudium, tanta diligentia & cura, qua animarum noſtrarum quærit & procurat ſalutem, ne communis adverſarius noſter illas è manibus rapiat Dei, qui illas non ſolum diligit, ſed & zeloſè amat, omnemque alium amatorem nos diligentem diligendo nos ſuperet.

26. Pro hujus Materiæ confirmatione & fælici Epilogo ſciendum eſt, nonnullos opinari, Seraphim illum, qui in forma Chriſti crucifixi, ejuſdem Chriſti vulnera, in ſancti & Seraphici Patris mei Franciſci corpore efformavit, ejuſdemque ſancti Patriarchæ corpus ornamento quodam nemini aliorum unquam conceſſo decoravit fuiſſe S. Michaelem Archangelum; hancque opinionem ſuam in jejunio illo, quod Seraphicus Pater more ſuo in S. Michaelis, cui devotiſſimus erat, honorem tunc celebrabat, ſolidè fundare ſe putant. *Veriſimile eſt Michaelem fuiſſe, qui Franciſcum Chriſti Domini ſtigmatibus decoravit*, inquit Blaſius Viegas ubi ſupra. Hac igitur opinione ſuppoſita tanquam vera, dicendum eſt, nullum Angelum ex toto cæleſti exercitu eſſe, qui tantum amare nos poſſit, quantum nos S. Michael diligit. Ideo namque Chriſtus quando in Angelo quodam repræſentari, in eodemque velut in viva quadam imagine illum amoroſi ignis exceſſum, quo in Cruce ſuſpenſus ferventiſſimè ardebat, explicare voluit, nullum hoc fine alium Angelum elegit, quam S. Michaelem Archangelum; per hos evidenter demonſtrans, nullum inter omnes Angelos eſſe ardentiorem, atque pro hac admirabili repræſentatione facienda aptiorem ſanctiſſimo eodem Archangelo. *Conveniens erat*, inquit idem doctiſſimus Blaſius Viegas ubi ſupra, *ut ſupremus Seraph, hoc eſt maxime omnium amoris flammis incenſus, Chriſtum crucifixum in illo ſuo amoris exceſſu repræſentaret*. Exinde igitur quilibet Chriſtianus, magnam ſuam erga ſanctiſſimum Archangelum obligationem addiſcere poterit, eundemque à quo ſe tantopere amatum eſſe cernit, continuò redamare, laudare, & glorificare ſtudebit. Præter enim ſupradicta Archangeli hujus in nos beneficia, quotquot illum laudant, in omnibus incidentibus periculis, tam corporalibus, quam ſpiritualibus promptiſſimum de manibus ejus habebunt auxilium. *Omnes eius laudatores eximiè à variis eripit neceſſitatibus, & eos qui in omni loco eum piè invocaverunt, à periculis tam quæ videntur, quam quæ cadunt ſub intelligentiam, liberat*, inquit Panthaleon Diaconus, glorioſiſſimi hujus Archangeli devotiſsimus.

# PANEGYRICUS XLIII.

## De ANGELO NOSTRO CUSTODE.

## THEMA.

Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt. Matth. 18. v. 10.

## ARGUMENTUM.

*Deus homines ſumme honoravit, dum nobiliſsimos, potentiſsimos, pulcherrimos, & amantiſſimos Paradiſi Principes illorum eſſe voluit Cuſtodes & Duces.*

1\. ILla eximii honoris excellentia, quam Deus pro ſua pietate hominibus conferre dignatus eſt, adeo eſt illuſtris & inclyta, ut non tantum non valeat explicari ſermone, ſed ne cogitationibus quidem compræhendi ullatenus poſſit. Conſtat enim inprimis univerſis, quod priuſquam Deus hominem formare fuiſſet dignatus, opulentum illi & ſuperbum præparaverit mundi hujus Palatium, cujus pavimentum pulcherrimis erat floribus depictum & variegatum, tectum vero innumeris ornatum & illuſtratum ſtellis erat, ut in eodem in auguſta quadam Magni Regis Majeſtate magnificentiſſime degeret & reſideret. Delitioſum quoque terreſtris Paradiſi hortum illi poſtea plantavit, ut eum quaſi beatum faceret in terris. Inſuper illum ad amplum quoddam vaſtiſſimumque imperium evexit & ſublimavit, ei ſubdendo quicquid in latiſſimo terræ, maris, aëriſque gremio quaquaverſum continetur, ipſumque beſtiarum terræ, piſcium maris & volatilium cæli, conſtituendo Dominum. Denique centena alia illis beneficia contulit, quæ hic amatæ brevitatis cauſa intermitto. Unde David Propheta Regius hanc humanæ dignitatis excellentiam aſſequi nequaquam valens, Pſal. 8. v. 5. ſtupefactus Deum hunc in modum affabatur: *Quid eſt homo, quod memor es ejus, aut filius hominis quoniam viſitas eum: gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum; omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus.* Unde & Ariſtoteles lib. 2. de animalibus dignitatem eximiam hominis agnoſcere debuit dicens: *Nobiliſſimum & altiſſimum animal eſt homo.* Verum enimvero inter omnes hoſce eximios honores & dignitates nullus eſt qui illi excellentiſſimæ dignitati & honoris excellentiæ comparari aliqua

ratione

[illegible] poſsit, quam Deus eo ipſo conferre dig-
nates eſt nobis, quando ab ipſa Nativitate intra
Angelos, magnos illos magnæ curiæ ſuæ cæle-
ſtis Principes, qui divinæ faciei ſuæ perpetuò &
indefineater aſſiſtunt, cuſtodes & Duces noſtros
eſſe voluit. Eſt utique dignitas iſta adeò ſtupen-
da & auguſta, ut D. Hieronymus in Comment.
in Matth lib 3 c 18 dicere non dubitarit: *Magna*
*dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu Na-*
*tivitatis in cuſtodiam ſui Angelum delegatum.* Hanc
dignitatem Salvator noſter Matth. 18 v. 10. ſig-
nificare nobis voluit, quando dixit: *Angeli eorum*
*in cælis ſemper vident faciem Patris mei,* quaſi dicere
voluiſſet: Angeli, qui ex vi præcepti divini, ho-
mines in terra cuſtodiunt, Principes ſunt nobi-
liſsimi & maximi, qui Auguſtiſsimi mundi Im-
peratoris, Dei videlicet conſpectui ſemper &
continuò aſsiſtunt, atque ideo viſceroſiſsimi hi
hominum amatores, nobiliores, illuſtriores,
fortiores & potentiores eſſe nequaquam poſ-
ſunt, cum in magna illa cæleſti curia intimi ſint
& familiariſsimi Dei amici. Porrò inter excel-
lentias, quas uti Panegyrici præſentis promittit
Argumentum, de hiſce cuſtodibus noſtris viſuri
ſumus, primò nobilitatem eorum exponemus,
reliqua verò deinceps, idque ad majorem cuſto-
dum noſtrorum honorem & gloriam.

2. Eo imprimis ſuppoſito quod S. Thomas de
Aquino Doctor Angelicus p 1 q 61 art 4 docet,
ſcilicet Angelos in cælo Empyreo creatos eſſe:
*convenient fuit,* inquit S. Doctor *quod Angeli in ſu-*
*premo corpore crearentur, tanquam toti Naturæ corpo-*
*reæ præſidentes, quod dicitur cælum Empyreum,* certè
cæleſtium ſpirituum nobilitas, adeò inprimis
excellens eſſe depræhenditur, ut magnatum
mundi hujus, penes quos alias major noſtra no-
bilitas reſplendet, nobilitatem, ſciendum eſt ita
que quod ſecundùm Juriſtas, ut videre eſt apud
Chaſſanæum in Catal. p. 8 conſid. 18. Patria no-
bilis, eum qui in ejus gremio naſcitur, egregia
nobilitat: *Nobilitas,* ait Chaſſanæus, *cauſatur ex lo-*
*co [illegible] m ſplendida oriundus, nobilis eſt.* Idque
apud eoſdem Juriſconſultos adeò verum eſt, ut
exiſtiment at homini nobili in obſcuro loco proge-
nito præferendum eſſe alium quendam ignobi
lem, nobili in loco natum. *Melius eſt,* inquit Bal-
dus apud Chaſſanæum ubi ſupra *eſſe popularem no-*
*bilis civitatis, quam nobilem eſſe mediocris civitatis.*
Atque ideo cum Angeli creati ſint in cælo Em-
pyreo: Reges autem & Principes mundi hujus in

terra progeniti ſint, loco nimirum valdè obſcuro & ignobili, conſequens eſt Angelos Regibus & Principibus terræ hujus etiam illuſtriſſimis & nobiliſſimis longè eſſe illuſtriores & nobiliores.

3. Etenim Apoſtoli adeò ſunt à Chriſto nobilitati, ut non tantum ab Eccleſia mundi nominati ſint Judices: *Sacli juſti Iudices,* & a regio Propheta Davide terræ hujus Principes Pſalm. 44. v. 19. *Conſtituens eos principes ſuper omnem terram:* verùm etiam a Chriſto *lux mundi,* id eſt, Sol, & conſequenter ſtellarum principes Matth 5. v. 14. ſint appellati: *Vos eſtis lux mundi.* Cum igitur Apoſtoli tanta ſint nobilitate præditi, qui fit quod ab eodem illorum Magiſtro Puſillus grex appellentur: Quâ ratione conſiſtorium aliquod vel illuſtriſſimum ex tot principibus, Regibus, magnatibus, nobilibus congregatum, ſenatum puſillum poteſt appellare ac gregem. Certè cum Apoſtoli ab ipſiſſimis Chriſti manibus, à quibus ſolis ea proficiſcuntur quæ verè magna verè illuſtria & nobilia ſunt, creati ſint Principes, viri-que illuſtres minimè convenire videtur, ut vocentur ignobiles & puſilli. *Dicuntur Puſillus grex in comparatione ſanctorum Angelorum,* inquit ſanctus Vincentius ſerm. 3 in Epiphan. Sint homines magni, ſint illuſtres, & nobiles quantum volunt & quantum poſſunt, ſemper tamen erunt puſilli, ſemper ignobiles & obſcuri, ſi comparentur cum Angelis Paradiſi. Siquidem minimus Angelorum, major eſt Joanne Baptiſta, qui omnium hominum maximus fuit, quique ob ſui magnitudinem & excellentiam manum ſuam extollere meruit, ſupra verticem verbi incarnati. *Amen dico vobis,* dicit Chriſtus Matth. 11. v. 11. *non ſurrexit inter natos mulierum major Joanne Baptiſta: Qui autem minor eſt in regno cælorum, major eſt illo.* Quis igitur ex hominibus Angelis æquari poterit, quando illis minor eſſe dicitur qui inter majores mundi homines, Chriſti teſtimonio eſt maximus?

4. Quis rationem mihi dare poterit, ob quam Angeli, qui nec pennas habent, nec alas, pennati tamen pingantur & alati? Id ex mente S. Chryſoſtomi hom. 3. de incompræhenſibili Dei natura, fit ob naturæ Angelicæ motam ſublimitatem. *Angelorum pennæ naturæ eminentiam referunt. Nihil pennæ ſignificant aliud, quam vires ſublimes atque excelſam naturam.* Ob hanc naturæ angelicæ ſublimitatem, Angeli in cæleſti beatorum gloria,

ſubli-

ſublimiſsimum locum obtinent. Ibi namque ſola ſanctiſsima Dei matre ipſorumque auguſtiſsima Domina excepta, omnibus aliis ſanctis, Joanni Baptiſtæ nimirum, omnibuſque Apoſtolis ſanctorum cæterorum Principibus, longè ſupereminent: Id quod in Litaniis Eccleſiæ clarè & perſpicuè videre licet, ubi poſt Deum & beatiſſimam Virginem collocantur Angeli, poſt Angelos Apoſtoli & alii ſancti, qui in cæleſti gloria, divina fruuntur & beatifica Dei viſione. Cùm igitur Angeli in cæleſti gloria, ſupremum inter omnes ſanctos locum obtineant, dicendum quoque conſequenter erit, illos quovis ſancto eſſe nobiliores: *Quantò enim corpus eſt nobilius, tantò ei debetur altior locus* ajunt Juriſtæ, apud Chaſſanæum, in Catalogo parte 12. Conſid. 8. Ex ſublimitate loci, nobilitatem arguere licet locati.

5. Dum rationem intra meipſum inveſtigarem, ob quam Angeli Principes vocantur populorum, prouti illos David Propheta Pſal. 46 v. 10. appellat dicens: *Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham*, incidi in Hugonem Cardinalem, qui id fieri dicit ob principatum quem illis Deus ſuper omnes homines conceſsit: *Principes populorum, id eſt, Angeli, qui Principatum acceperunt ſuper homines.* Angeli ſunt Principes noſtri, Reges noſtri, Domini noſtri, nos verò ſervi & vaſalli ipſorum ſumus. Hi principes nobiliſsimum feudum obtinent, ampliſsimum Dominatum, poſſeſsionem pretioſiſsimam, eo ipſo quo principatu ſuper omnes homines gaudent. *Poſſeſſionum prima & maxima, optima & principaliſſima eſt homo*, inquit Ariſtoteles œconomiæ lib. 1. cap. 5. Eo ipſo quo hominum Principes exiſtunt, Principes ſunt Principum illorum, quibus Deus ſubjecit, quicquid tota terra clauditur. *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus, oves, & boves univerſas, inſuper & pecora campi; volucres cæli & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris*, inquit de hominis imperio David Pſalm. 8. v. 7. Quia igitur ut ajunt Juriſtæ apud Chaſſanæum ubi ſupra parte 8. Conſid. 15. *Feudum nobile nobilitat ſuum poſſeſſorem*: quæ, & quanta erit nobilitas Angelorum, qui in adeò amplum & nobile feudum Dominatum obtinent?

6. Nullus homo, nedum Chriſtianus eſt contemnendus, tametſi ignobilis ille ſit, vilis opificii, abjectæque & humilis conditionis, cum talis æquali ſit nobilitate inſignis, ac ſunt ii qui in hoc mundo, tanquam verè nobiles ſuſpiciuntur. Quamobrem? Quia cum quilibet homo Angelum habeat ad ſui cuſtodiam deputatum, ab Angelo illo inter nobiles maximèque illuſtres viros relatus eſſe cenſetur, ipſomet Chriſto Matth. 18. v. 10. dicente: *Videte, ne condemnatis unum ex his puſillis, dico enim vobis quod Angeli eorum in cælo ſemper vident faciem Patris mei.* Quaſi diceret: Non ſubitò ex eo quod homines in hoc mundo ſunt modici & ignobiles, ex humili conditione & vili ſanguine oriundi, contemnendi ſunt, & veluti ignobiles abjiciendi, cum omnes propter illos cuſtodientem Angelum ex ſua ignobilitate elevari à Deo creati ſunt nobiles venerabiles & illuſtres. Ne dicas, inquit ex S. Chryſoſtomo Hugo Cardinalis in cap. 18. Matth. *ille faber eſt, ille* [illegible], *ille inſipiens agricola, Deus ab Angelis quibus commiſſi ſunt, viles, venerabiles facit.* Ubi bene obſervandum eſt, quod Chriſtus homines vilis & abjectæ conditionis, non ideo nobiles eſſe dicat, quod tanquam humanæ naturæ conſortes, totius terræ & omnium quæ terra continentur principatum teneant: ſed ideo nobiles eſſe dicit & venerabiles, quia ab Angelo aliquo, qui Princeps eſt populorum, perpetuo ſunt cuſtoditi. Ut hac ratione inſinuetur talem ac tantam eſſe Angelorum nobilitatem, ut vel ſolo ſuo imperio nobilitare poſsint illos, qui per totius terræ principatum à Deo ſunt nobilitati.

7. Legatis velim Proverbiorum cap. 31. v. 23. ubi Salomon de Chriſto Eccleſiæ ſponſo loquens, dicit: *Nobilis in portis vir ejus; quando ſedet cum Senatoribus terræ*: & dicite, ſi noſtis, quinam ſint Senatores illi inter quos Chriſtus ſedet, Hi ſunt ſancti Angeli: *Cum Senatoribus, id eſt, cum Angelis, conſultoribus & rectoribus Eccleſiæ*, inquit Hugo Cardin. in cap. 31. Proverb. Cur autem Angelos Senatores, dici exiſtimas? ob admirabilem nobilitatem ſuam. Tanta namque erat Romanorum Senatorum nobilitas, ut Auguſto Imperatori in Senatum ingredienti, eoſque ſalutanti, ii honorem hunc ſedentes, nec quicquam ſe de loco moventes acceperint, eodemque modo in ſede ſua manentes immobiles, ipſum è Senatu abeuntem dimiſerint; Refert etiam Alexander ab Alexandro Neapolitanus lib. 4. Dier. Genialium cap. 11. de Imperatore Tiberio, Auguſti ſucceſſore, hunc, dum Senatori alicui Romano locuturus erat, eidem aſſurrexiſſe, eodemque ſibi in publica platea obviante, equum firmaſſe, veluti qui eidem tanquam majori honorem deferendum cedendumque eſſe locum cenſebat. Claudius quoque Imperator, in Senatu præſens aliis Senatoribus humilius ſedere ſolebat. Sunt

igitur

igitur Angeli Senatores cæleſtes, ſunt nobiliſſimi, quævis alia, etiam ſumma nobilitas illis cedit, atque ſubmittit.

8. Verùm obſervandum ulterius, quod Salomon Chriſtum tunc nobilem eſſe dicat, quando inter Angelos ſedet: *Nobilis in portis vir ejus, quando ſederit cum ſenatoribus terræ*, quaſi nobilis non eſſet, niſi quando Angelis aſſidet; quod qua ratione verum eſſe poſſit, non video. Ergone Chriſto deeſt nobilitas, ut illam ab Angelis ſuis, id eſt, miniſtris ſuis, ſervis ſuis, mutuare debeat? Nunquid Chriſtus eſt Deus? Nunquid ad hoc ut ſummè nobilis ſit ſufficit quod ſit Deus? verùm quidem eſt quod Chriſtus ſit Deus, & quod tanquam Deus non ſolum ſit incomparabiliter Angelis nobilior, ſed ipſiſſima ſit Angelorum nobilitas: Veruntamen præterquam quod Deus ſit, etiam eſt homo, uti in hoc ſcripturæ loco ſupponitur, & hac ratione minor eſt Angelis: *Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis*, inquit de eo Pſalm 8. v. 6 David avus ejus. Atque ideo Chriſtus quà homo, quandam ſibi nobilitatem adſciſcere, dum inter Angelos ſedet: *Nobilis in portis vir ejus, quando ſederit cum ſenatoribus terræ*. Videte igitur & obſtupeſcite, quanta ſit Angelorum nobilitas, qui ipſummet quoque Chriſtum Dei filium, omni poſſibili & excogitabili nobilitate, ob hypoſtaticam unionem, conſpicuum, nobiliorem poſſe videntur.

9. Quænam eſt cauſa, quod cum Moyſes cæli & terræ creationem, omniaque quæ cæli vel terræ gremio continentur, ſtellas nimirum, elementa, beſtias, arbores, piſces, & alia infinita, tam animata quam vitæ & ſenſus expertia tam completè & perfectè deſcripſerit, nullam tamen de Angelis mentionem fecerit, de quibus tamen utpotè dignioribus excellentioribuſque creaturis non ſolum antè omnia alia verùm etiam, cum majori ſtudio & diligentiâ tractare & agere meritò debuiſſet? Saltem aliquid de Angelis ſcribere debuiſſe videtur, qui de aliis creaturis tam accuratè ſcripſerat. Neque enim hiſtoricus aliquis rem ſuam benè ordiri videtur, qui integri alicujus Regni omniumque quæ in regno illo ſpectabilia ſunt, hiſtoriam texens, de Principibus regni illius ſcribere negligit, qui Regnum illud curâ ſuâ & ſollicitudine gubernant, ſuaque majeſtate & authoritate nobilitant. Dico igitur verum equidem eſſe, valdè fuiſſe rationi conſentaneum, ut Moyſes ſaltem aliquid de Angelis ſcriberet, ipſorum ad minus ſaltem creationem narrando; nihil tamen de iis ſcribere voluit, inquit Theodoretus Quæſt 1. in Geneſin, quia timebat ne hebræorum populus, auditâ naturæ eorundem excellentia, illos tanquam Deos eſſet adoraturus & honoraturus. Quod ſi enim Hebræi, ob perverſam ſuam in Idololatriam inclinationem, tanta cum facilitate terræ beſtias adorarunt, quanto majori cum facilitate adoraturi fuiſſent cæleſtes Angelos, creaturas adeò nobiles, inviſibiles, & ſpirituales? *Si tam facilè ſibi Deos finxerunt è jumentorum ſimulachris, quid non perpetraturi fuiſſent, inviſibilis naturæ notitiam aſſecuti?* inquit præfatus Doctor. Adeò admirabilis eſt naturæ Angelicæ dignitas, ut quaſi deificata eſſe videatur, adeòque ab imperita plebe digna cenſeatur quæ adoretur, eoſque honores accipiat, quæ Dèo debebatur Angelorum Domino, cui ſoli competit adoratio.

10. Qui fit quod Theologi noſtri certis quibuſdam à Dæmone deluſis hominibus, zizaniorum ſeminatoribus & hæreticis, hoc nomen imponant, ut vocentur Angelici, cum tamen Diabolici potiùs quam Angelici vocari debuiſſent, utpotè qui non ab Angelis, ſed à Dæmonibus decepti, à vera fide deviarunt? ſciendum eſt itaque nomen iſtud illis nequaquam impoſitum eſſe, ad eorum honorificentiam, ſed ad ſignificandum eorum errorem, per cujus defenſionem ſeſe à catholica Eccleſia diviſerunt. Illi namque Angelos Deos eſſe credebant, eoſdemque tanquam Deos adorabant, & ſacrificia illis offerebant, ideoque fuerunt vocati Angelici. *Angelici vocati, quia Angelos colunt*, inquit S. Iſidorus libro 7. Ethym cap. 5. Tantam ſibi naturæ Angelicæ excellentiam, dignitatem & nobilitatem ineſſe perſuaſerant, ut vero fidei lumine deſtituti, differentiam facere neſcientes inter creaturam & creatorem, ſervum & Dominum, Angelum & Deum, Angelos Deos eſſe cenſuerint, & veluti Deos adorarint.

11. Porrò quia nobilitatem potentia communiter ſequitur, eoſque qui hodie nobiles ſunt, potentes quoque eſſe videmus, ideo poſtquam de Angelorum nobilitate locuti ſumus, nunc ſupereſt ut de eorum quoque potentia nonnihil diſſeramus. Tanta igitur eſt Angelorum potentia, ut poſt Deum nulla ſit creatura, quæ id poſſunt, quod Angeli facere prævalent. Libro 4. Reg. cap 6. v. 17. legitur, quod Rex Syriæ cum Rege Iſraelis armis decertans; ut eundem una cum exercitu ſuo in ſuam redigere poteſtatem poſ-

poſſet, varia adhibuerit ſtratagemata, ſed irrito prorſus effectu, eò quod Eliſeus Propheta, omnia Regis Syriæ conſilia & conatus prævidens, Regem ſuum de iis omnibus certiorem redderet. Hac igitur de re monitus Rex Syrius, Eliſeo Prophetæ inſidias ponere decrevit, ideoque ne deinceps, ut alias fieri ſolebat, irrita & caſſa eſſent ſua conſilia, exercitum miſit, qui Eliſeum captum ad tentorium ſuum in caſtris adduceret. Accidit autem ut dum exercitus ille caſtra metaretur, cellæque S. Prophetæ proprior fieret, à quodam Eliſei diſcipulo qui illum eminus viderat, formidine pleno, Magiſtro ſuo, annuntiaretur. Eliſeus autem, ut formidoloſum & timidum ſuum animaret & confortaret diſcipulum, illi proximum montem, equitibus & curribus igneis, qui in ejus venerant auxilium, plenum oſtendit: *Aperuit Dominus oculos pueri, & vidit, & ecce mons plenus, equorum & curruum igneorum.* Equites iſti, Angeli utique fuerunt, qui ad Eliſei defenſionem atque cuſtodiam deſcenderant. Inter cæteras autem Hiſtoriæ hujus circumſtantias, hanc præcipuè obſervare vos volo, Angelos nimirum illos totaliter viſos fuiſſe igneos. Cur obſecro ignei apparuerunt? In argumentum videlicet ſummæ ipſorum potentiæ, ut hac ratione inſinuaretur, quod ſicut inter res corporales, nihil eſt majori potentiâ aut activitate prædi tum quam ignis, ita quoque inter res creatas, nulla ſit major potentia, quam potentia Angelica. *Ad oſtendendam eorum potentiam & virtutem, ſub ſpecie multorum curruum ignitorum, in monte apud Eliſeum apparuerunt*, inquit B. Thomas à Villa nova de S. Michaele, *quoniam in tota Natura ſenſibili nihil activius, nihil eſt potentius, igne.*

12. Nunc inſuper alium quendam ex Pſal. 33. v. 8 deſumptum locum non nihil ponderemus. Dicit igitur David: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum*, vel uti Baſilius in Pſal. 33. legit: *Immittet ſe Angelus Domini*; Ubi benè obſervandum eſt, quod licet Angelus ille unicus eſſet, David tamen illum omnes Dei ſervos circumdare dicat, quaſi integer quidam eſſet ex millionibus militum conflatus exercitus, qui pro civitatis alicujus defenſione, ex omni illam parte circumdat & fortificat. Verùm dicat aliquis, quâ ratione poſſibile eſt, quod unus ſolus, opus aliquod præſtare poſſit, pro cujus executione integer aliquis, ex tot millenibus hominibus conſtans exercitus? Quia unicus Angelus adeò eſt fortis, adeò potens, tantæque virtutis, ut tametſi unicus duntaxat ſit, numeroſiſſimo tamen æquivaleat exercitui, poſſitque quod integer tantum facere poteſt exercitus. *Conſidera quanta eſt Angelorum natura*, inquit Magnus Doctor Baſilius ubi ſupra, *nam toti exercitui, & conſerto multorum hominum ordini unus Angelus aſſimilatur. Propter magnitudinem igitur cuſtodientis, Dominus totum exercitum tibi largitur.*

13. Cauſam etenim ſcire percuperem, cur Gedeon, poſtquam vidiſſet Angelum, cumque illo facie ad faciem diu fuiſſet converſatus, amarè mox fleverit, ut habetur Jud. 6. v. 22 dicens, *Heu mihi Domine Deus, quia vidi Angelum Domini facie ad faciem.* Quidnam Gedeoni Angeli alicujus facies viſa cauſare poterat, ut ob id poſt ejus à ſe diſceſſum tantoperè formidaret? Timebat ne ſubitò moreretur. Hebræi namque falſe ſibi perſuadebant, hominem Deo vel Angelo Dei ſemel viſo, vivere deinceps nequaquam poſſe: *Surrexit opinio inter vulgares & ſimplices Iudæorum*, inquit Nicolaus de Lyra in cap. 6. Judicum, *quod Homo videns Deum vel Angelum ſibi apparentem in ſpecie aliqua ſenſibili, deberet cito mori.* Aſpectus enim Angeli alicujus, ſimilis eſt aſpectus gygantis. Gygantes autem, propter ſuam potentiam adeò fuerunt terribiles hominibus, ut ad ſolam eorum præſentiam mortui occumberent, ob quam etiam cauſam *Gygantes* dicti fuerunt, quod interpretatur *cadentes. Quia homines eos videntes, timore oppreſſi, cadebant*, inquit in cap. 6. Geneſ. ex Rabbi Abraham Oleaſter. Angeli veri Gygantes ſunt & gygantes cæleſtes. *Angelus ſanctorum*, inquit Hieron. in Quæſtionibus in Geneſin *conveniens nomen cadentium.* Homines enim ſine adhibito gladio aut ferro mortuos occumbere faciunt. Imò unicus duntaxat Angelus inquit S. Matthæus c. 28. v. 3. tot viros fortes, quos Pilatus veluti divini corporis Chriſti cuſtodes ſancto ſepulchro ejus adhibuit, proſternere, & tantum non occidere potuit: *Angelus Domini deſcendit de cælo & accedens revolvit lapidem, & ſedebat ſuper eum. erat enim aſpectus ejus ſicut fulgur; præ timore autem ejus exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui.* Adeò horrendus eſt vel unius duntaxat Angeli aſpectus, ut homines unico duntaxat obtutu in terram concidere faciat: *Angelus qui ad Redemptoris ſepulchrum in die Reſurrectionis apparuit, ſolo aſpectu feroces cuſtodes non ſolum perterruit, ſed & proſtravit, ac propemodum exanimavit: erat enim aſpectus ejus ſicut fulgur*, ait B. Thomas ubi ſupra.

14. Quin

14. Quando hominem aliquem cum Dæmone confligentem video, locuſtam aliquam cum gigante decertantem mihi videor videre, quid enim homo aliud eſt, quam parvula quædam & debilis omnisque virtutis & fortitudinis expers locuſta? *Excuſſus ſum ſicut locuſta*, inquit David Pſalm 41. v. 24. Ad fragilitatis ſuæ conteſtationem. Hæc autem locuſta cum Dæmone decertat, de cujus veluti gygantis alicujus potentia Job. 41 v. 24. loquens, dicit: *Non eſt ſuper terram poteſtas quæ comparabitur ei, qui factus eſt, ut nullum timeret.* Quia verò hæ locuſtæ cum talibus tantisque gygantibus confligentes, palmam frequenter reportant, unde quæſo illis hæ vires obveniunt, ut vincere valeant? Ab auxilio Angeli ſui cuſtodis vires illæ proficiſcuntur, utpote qui Dæmone longè eſt potentior ac fortior: *In hanc ſententiam dixit Origenes*, inquit Abbas Ragutio de ſtatu animæ q. 3. a. 8. de Angelis cuſtodibus loquens, *vult Dominus facere res mirabiles, de locuſtis vult ſuperari gygantes.* Quod ſi hominibus non adeſſet Angeli Cuſtodis auxilium, quomodo cum hoc forti ac robuſto gygante locuſtæ dimicare aut de illo reportare poſſent triumphum: *Si ſpiritus bonus ſe elongaret*, inquit S. Bernardus apud eundem Ragutium ubi ſupra, *malorum impetus quis ſuſtineret.*

15. Matth. 24. v. 1. ſcribitur, quod dum Apoſtoli Magiſtro ſuo admirabilem oſtenderent templi Jeroſolymitani fabricam, Chriſtus iiſdem hunc in modum reſponderit: *Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur.* Hujus autem minæ rationem aſſignans, mox ſubjungit v. 29. dicens: *Virtutes cælorum commovebuntur.* Quaſi dicere vellet, quia à loco iſto removebuntur & diſcedent Angeli Dei, neque illum deinceps, uti hactenus facere conſueverunt, cuſtodient, aut auxiliis ſuis vallabunt & communient, *ideo non relinquetur hic lapis ſuper lapidem, &c.* Et revera ita factum eſt. Poſtquam enim Deus, & à regno Juda, & ab urbe Jeroſolymitana, & ab urbis illius famoſiſſimo templo Angelos ſuos ſubduxit, poſtquam auditæ fuerunt voces iſtæ: *Tranſeamus ab iis ſedibus;* templum, & civitas, & univerſum pariter regnum, in perpetuam à Deo perditionem traditum fuit. Unde Paſchaſius in cap. 24. Matthæum dicit, verba illa: *Virtutes cælorum commovebuntur, nihil aliud ſignificant, quàm virtutes cælorum à Judæa ſunt removendæ, ne ferant auxilium miſeræ civitati.* Quaſi Deus civitati illi nocere minimè potuiſſet, niſi prius ſuos ab illa regione ſubduxiſſet Angelos. Hinc igitur admirabilem Angelorum cuſtodum potentiam facilè intelligere licebit. Tametſi enim impiiſſima illa civitas, unigenitum Dei filium, tantâ cum crudelitate & barbarie crucifigendo interemiſſet, taliſque ac tanti per hoc ſceleris rea facta fuiſſet, quale nec hactenus commiſſum fuit, nec deinceps ab ullo quamvis ſceleratiſſimo committendum erit. Deus tamen in extremam illos ruinam & pernitiem præcipitare volens, vindictæ faciendæ manum ſuam nequaquam applicuit, neque in civitatis excidium exercitus Romanorum ſubmiſit, niſi ſubmotis prius Angelis ſuis, quaſi verò remanentes, pro civitatis illius defenſione, divino reſiſtendo furori, cum Deo fuiſſent humiliter dimicaturi, quamdiu civitati illi ſtricto & nudo enſe minaretur.

16. Porrò quia Angeli & per amicos & vicinos, quos bonus paſtor poſt inventam ovem perditam ad congratulandum ſibi congregavit, intelliguntur: tum etiam per amicas & vicinas, à muliere illa, quæ drachmam invenerat perditam, ad congaudendum ſibi convocatas ſignificantur, utpote quibuſcum Deus poſt animam aliquam perditam & errabundam recuperatam, feſtiva gaudia celebrat hinc ſatis perſpicuè videre licet Angelos tam ſub virorum quam ſub mulierum ſymbolo intelligi, quaſi non viri tantum, aut ſolum mulieres, ſed viri pariter & mulieres ſimul eſſent. Verum enimverò dicat aliquis quænam eſt ratio quod Angeli ad utrumque ſimul referantur, ut viri ſimul ſint & mulieres? Quia nimirum non ſolùm ſunt fortiſſimi, verùm etiam pulcherrimi, ut fortes ſunt viri, ut pulchri & ſpecioſi mulierum nomine intelliguntur. Audite hac de re loquentem S. Antoninum Archiepiſcopum Florentinum parte 1. tit. 1. capite 2. §. 2. *Angelos reperio à ſumma veritate tam mulieres quam viros nominatos, in uno, eodemque ſermone, ubi tractatur parabola & ovis, & drachmæ perditarum. In inventione ovis perditæ, vocantur amici & vicini: in inventione verò drachmæ, amicæ, & vicinæ. Dicuntur ſiquidem Angeli viri, ratione victoriæ contra hoſtes noſtros Dæmones: mulieres autem, ratione gratioſiſſimæ, & attrahentis venuſtatis.* Cùm igitur hactenus de fortitudine Angelorum diſſeruerimus, supereſt nunc, ut ſicut promiſimus, de eorum pulchritudine tractare incipiamus.

17. Hoc igitur fine inprimis locum quendam ex Canticorum capite 4 v 1. deſumptum ponderemus ubi Salomon Eccleſiam laudans dicit: *Quam pulchra es amica mea, quàm pulchra es, oculi tui columbarum, abſque eo quod intrinſecus latet.* Quo in loco uti ipſimet videtis, id tantum quod foris oſtenditur laudant & prædicat, quod verò intus abſconditur, laudare diſſimulat Cur obſecro illam non completè & perfectè laudat, ſcilicet tam quo ad ea quæ forinſecus patent & exhibentur, quam quoad intus latentia quæ reconduntur? ut ſcilicet per hoc inſinuet, longè majorem eſſe internam ſponſæ pulchritudinem quam abſcondit, quam quæ exterius manifeſtatur. *Teſtimonium perhibet*, inquit Gregorius Nyſſenus Hom 7 in Cantica, *perſonæ illi, quæ commendatur, amplius eſſe id quod reticetur, quam quod extrinſecus apparet* quaſi ſimul inſinuet pulchritudinem illam, quam interius occultabat, verbis minimè eſſe explicabilem Ea quæ verè pulchra ſunt pulchriora ſemper eſſe ſolent intus quam foris Pulchrius & ornatius eſt palatium aliquod in cameris, aulis, & conclavibus, quæ habet intus, quam in muris & parietibus qui videntur exterius; Et idem eſt de Eccleſia, aut civitate aliqua, aut quavis re alia. Quis eſt qui cæli pulchritudinem ignoret? Quidnam uſpiam inter res corporales cælo poteſt venuſtius aut elegantius reperiri? *Quid in rebus corporalibus pulchrius cælo?* inquit Beatus Thomas à Villa Nova ubi ſupra Adeò cælum elegans eſt & pulchrum, ut pulchritudine ſua cor ad ſe Davidis rapuerit, quando Pſalmo tertio verſu octavo dicebat: *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ* Omninò & per omnia pulchrum eſt cælum, intus nimirum & foris; attamen ob rationem ſupradictam intus pulchrius & venuſtius eſſe debet, quam foris. Unde cum extrinſecus tot effulgeat lampadibus, tot luminibus & ſplendoribus, totidemque ſtellis coruſcet, quæ coram oculis noſtris veluti totidem rubini & adamantes reſplendent; quale debebit eſſe interius, qualia eſſe debebunt interiora ornamenta, quantâ pulchritudine & ornatu prædìti Angeli eſſe debent qui interius in cælo glorioſæ Dei majeſtati aſſiſtunt, & Paradiſum decorant? *Quales enim ſervitores & miniſtros debuit ſibi ipſi creare pulcherrimus Deus, & ſapientia totus: qui tam ſplendidas ſtellas, vita privatas concavo fixit?* inquit Sanctus Antoninus ubi ſupra. Utique Angeli præ omnibus cæli luminaribus in pulchritudine excellunt, pulchriores utique ſunt ſtellis, luna, imò & ipſomet ſole, licet hic inter omnia corporea pulchritudinis obtineat principatum.

18 Multoties intellexiſtis optimi Auditores quod Gabriele Archangelo B. Virgini apparente deque diviniſſimo myſterio propter quod à Deo miſſus erat cum ipſa tractare incipiente, Beatiſſima Virgo vehementiſſimè turbata, & attonita fuerit. *Turbata eſt in ſermone ejus*, inquit Sanctus Lucas capite primo verſu vigeſimo ſeptimo *Turbata eſt*, ut vult Archiepiſcopus Januenſis Jacobus de Voragine litera T. ſermone 5. idem ſignificat, quod *expavit, facta, vel admirata eſt.* Cur autem adeò turbabatur? Dici equidem poteſt, illam turbatam eſſe, quia virgo erat, ſemper enim turbari virgines ſolent, cum in viri alicujus præſentiæ conſtitutæ ſunt Aut verò turbata eſt, quia humilis erat, utpote quæ de ſemetipſa humillimè ſentiebat, & ideo turbata fuit, quando ſe tot ſublimibus titulis ſalutari, tantaque cum reverentia & veneratione à cæleſti quodam Angelo coli & honorari vidit & audivit Imò præter haſce adductas aliæ quoque non minus aptæ rationes adduci in medium poſſent; veruntamen ne à propoſito mihi ſcopo longius abeam, ipſam ſolum turbatam, id eſt, attonitam & obſtupefactam eſſe dicam ob ſummam & incredibilem quam in Angelo conſpexit pulchritudinem. Quanta igitur eſſe debet pulchritudo Angelorum, ad cujus ſolum aſpectum turbatur, & attonita obſtupeſcit Regina cælorum? *Quantæ ergo venuſtatis Angeli ſunt æſtimandi, ad quorum aſpectum*, inquit idem Sanctus Doctor Antonius ubi ſupra, *expavit Regina cælorum*? Quod ad aſpectum pulchritudinis alicujus Angeli homo aliquis plebejus turbetur, qui nihil hactenus verè pulchrum vidit, nihil magnum in ſe continet Quod verò ipſamet Dei mater, in cujus animam Deus congregarat quicquid eſt pulchritudinis aut decoris in aliis diſperſum, adeò ad pulchritudinis alicujus aſpectum expaveſcat hoc verè magnum quid eſt, & ingentem atque admirabilem pulchritudinem talem eſſe arguit.

19. Quod ſi hortum Gethſemani, in quo animarum noſtrarum Salvator in Agonia poſitus, & orans atque opprobia & dolores, quos Hieroſolymis & in monte Calvariæ in crucis trunco extenſus ab impiis crudeliſſimorum Hebræorum inimicorum ſuorum manibus paſſurus erat,

erat, recogitans, ad mortem uſque mæſtus, triſtis, valdeque afflictus hærebat, ingrediamur, inveniemus, quod uti S. Lucas cap. 22. v. 43. refert, Angelus quidam ei apparuerit, ipſumque confortarit & recrearit: *Apparuit illi Angelus de cælo confortans eum.* Quodſi ſcire deſideretis qua ratione Angelus Chriſtum tunc confortare potuerit, ſciatis oportet, Angelum hunc tunc non apparuiſſe Chriſto tanquam Deo, ſed tanquam homini: atque ideo ut ab oculis Chriſti corporeis videri poſſet, corpus quoddam aſſumpſit & induit viſibile, ipſumque hujus ſolius aſpectu recreavit & confortavit. *Per tandem ſubjectam figuram confortavit eum*, inquit S. Bernardinus Tom. 1 ſerm. 55 Art. 1 cap. 3. Hinc igitur Angelicam aſſequi pulchritudinem aliquo modo valebitis, dicendo: Quantam in ſe Angelus pulchritudinem habebit, quando is per aliquod à ſe aſſumpti & materialis corporis ſpectaculum confortare & recreare Chriſtum potuit, Chriſtum, inquam, ab ampliſſimo quodam amariſſimæ Paſſionis pelago, amaritudine & doloribus plenum! Quam dulcis eſſe debuit facies illa, quæ integrum quoddam fellis mare indulcorare potuit! Quantus eſſe debet Angelicæ pulchritudinis ſplendor, qui horrendæ mortis tenebras tunc ob divinos Chriſti oculos obverſantes diſpellere potuit & ſerenare!

20. Jam de facto alibi diximus, in columnâ nubis, quæ Hebræorum populo per deſertum ducatum præbuit, Angelum quendam latuiſſe, cui Deus illam movendi & dirigendi curam commiſerat: Nunc cauſam inveſtigare oportet, cur Angelus ille populum iſtum non claro, revelata & apertâ, ſed nube contecta facie gubernarit. Et quidem ſi Philoni Hebræo de vitâ Moyſis, fidem habere volumus, ratio illius hæc eſt, quia homines Angeli alicujus faciem videre non merentur: *Credi poteſt aliquem è ſummi Regis perfectis, Angelum, nube involutum, eos deduxiſſe quem nefas ſit aſpici mortalibus oculis.* Ob eandem quoque cauſam accidit quod alter Angelus qui tota luctat nocte cum Jacobo Patriarcha luctatus, aurorâ adveniente dimitti petierit, dicens Gen. 32. v. 26. *Dimitte me jam enim aſcendit aurora.* Quamdiu aer obſcurus erat, nec videri ob denſiſſimas noctis tenebras ullâ ratione poterat, libenter cum eo manebat; luce autem adveniente diſcedere voluit, ne videri ab hominibus id minime merentibus poſſet. Unde quando Angelus dicebat, inquit Gulielmus Pepinus in capite trigeſimo ſecundo Geneſeos. *Dimitte me jam enim aſcendit aurora*, indicabat, quod homines non eſſent digni videre eum. Tanta eſt Angeli alicujus pulchritudo, ut homines illum videre minime mereantur. Lutei ſunt hominum oculi, atque ideo cum præter lutum nihil videant, ſeque coinquinantur & ſordeſcunt.

21. Ad idem propoſitum non omittamus alterius cujuſdam ex Apocalypſi capite decimo nono verſu decimo deſumpti conſiderationem. Ibi igitur ſanctus Apoſtolus refert, ad ſe Angelum quendam acceſſiſſe, ut ei certa quædam manifeſtaret myſteriorum Sacramenta, ab ipſo ad noſtram eruditionem conſcribenda. Quia vero Apoſtolus mox ut Angelum illum conſpexit, ut eum adoraret in genua coram illo procedit, Angelus hunc honorem recipere prorſus recuſavit. *Cecidi ante pedes ejus, ut adorarem eum; Et dicit mihi: vide ne feceris, &c.* Noſtiſne cauſam cur Apoſtolus, qui ſolum Deum adorandum eſſe non ignorabat, Angelum iſtum adorare voluerit? Hanc ex Hugonis Cardinalis calamo reverenter excipite; hic igitur in cap. 32. Geneſ. dicit: *Talis enim apparuerat, qui pro Deo adorari poterat.* Adeò hic Angelus Apoſtolo viſus eſt pulcher, ſplendidus, ornatus & gratioſus, ut Apoſtolus, illum non hominem, ſed Deum ipſum omnis pulchritudinis primitivum fontem, cui ſoli adoratio debetur eſſe exiſtimaverit.

22. Nunc ab Angelorum pulchritudine ad eorundem erga nos benevolentiam & amicabilitatem tranſitum faciamus Luc. 16. v. 22. legitur Lazarum ante divitem Epulonem mortuum atque ab Angelis in locum quieti & Abrahæ ſinum fuiſſe deportatum: *Factum eſt autem ut moreretur Mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.* Ubi obſervandum, quod Evangeliſta animam Lazari non ab uno Angelo, ſed a multis Angelis in Abrahæ ſinum delatam fuiſſe dicat. Cur à multis non vero ab uno ſolo deportata fuit, cum huic animæ portandæ unius etiam Angeli ſufficeſſet? Non eſt dubium quin unicus ſuffecerit: Quod ſi enim unicus Angelus tanta pollet fortitudine, ut ſphæram quandam cæleſtem univerſo terræ globo tot repetitis vicibus majorem continuo & inceſſanter moveat, longe facilius is unicam poterit portare animam. Anima Lazari a multis Angelis lata fuiſſe dicitur, quia tantum eſt Angelorum de humanâ ſalute gaudium, ut ſubito poſtquam boni illius viri mors in cælo innotuit, Angeli mox turmatim in terrâ

 deſcen-

deſcenderint, eamque ad ſalutis locum deportatam, læti feſtivique appræhenderint, de hoc ſummoperè gaudentes quod ipſis ſuos huic oneri humeros liceret ſubmittere. *Gaudet unuſquiſque Angelorum*, inquit D. Chryſoſt. Conc. 1 in cap. 16. Lucæ, *tantum onus tangere, libenter talibus oneribus prægravantur, ut perducant homines ad regna Cælorum* Talis tantuſque eſt ignis affectus illius, quo erga nos Angeli ardent, ut eorum quilibet etiam citra noſtram neceſſitatem, denactâ nos juvandi, noſque ſecum in æternam ſalutem perducendi occaſione mirè gaudeat.

23. Porro ſicut pro animâ Lazari in ſinum Abrahæ deducendâ unicus duntaxat loco tot centenorum qui eo fine de cælo deſcenderant, ſufficiebat Angelus, ita quoque ad annuntiandam Paſtoribus Salvatoris noſtri Nativitatem unicus duntaxat ſuffeciſſet, cur igitur pro uno Angelo, tot de cælo deſcenderunt Angeli, ut integrum formare exercitum potuiſſent? *Facta eſt multitudo militiæ cæleſtis exercitus, laudantium Dominum & dicentium, &c.* Factum id eſt, urgente ardente erga nos mortales affectu Mox ut in cælo myſterium iſtud præcipue pro Naturæ noſtræ reſtauratione, & pro peccati remedio, nec non pro revocandis ad Paradiſum hominibus à fæliciſſimâ patriâ illa tot ſæculis proſcriptis inſtitutum fuiſſe innotuit, omnes ad congaudendum nobis, reddendaſque Deo pro ſingulari favore nobis facto gratias, de cælo in terram ad nos voluerunt deſcendere. *Intuere benignum Angelorum erga noſtrum genus affectum*, inquit Iſidorus Clarius orat 9 in Lucam, *cum enim ſcirent hæc myſteria inſtaurandæ humanæ Naturæ gratia peragi, non fuerunt contenti unum ex eis iſta nuntiaſſe, ſed facto agmine & coacto exercitu gloriam hoc nomine Deo cecinerunt.*

24 Progrediamur ulterius, & quãdam S. Ambroſii in Pſalm. 118 lect 5. ſcriptam ſententiam conſideremus, ita enim ſanctus hic Pater loquitur: *Angeli ſuper uno peccatore pænitentiam agente, lætantur, quia lucrum ſuum putant hominis redemptionem.* Fundatur hæc ſententia ſuper illis Chriſti verbis Luc. 15. v. 7. *Gaudium eſt in cælo ſuper uno peccatore pænitentiam agente.* S Doctor loco hujus Ly *Lætantur*, dicere equidem potuiſſet, *gaudent*, attamen potius uti voluit hoc verbo lætantur, quam verbo *gaudent* Cur autem id ei ita placuit? ut ſummam & ineffabilem quam Angeli in Paradiſo de noſtra Converſione concipiunt, declaret lætitiam Tametſi enim hæc duo nomina, *gaudium & lætitia*, ſicut etiam *gaudere & lætari* Synonima ſint, magna tamen eſt inter utramque vocem differentia *Gaudium* enim moderatam lætitiam, *lætari* verò lætitiam quandam immoderatam, quæque omnem rationem & modum excedit, lætiam ſignificat. *Cum ratione animus movetur, gaudium dicitur*, inquit Cicero Tuſc. 4. *cum autem effuſe animus exultat tum illa lætitia geſtiens vel nimia dici poteſt, quam ita definiunt, ſine ratione animi elationem* Talis eſt ac tanta in converſione & pænitentia noſtra Angelorum lætitia, ut quando hominem aliquem ſuas confiteri culpas, & peccata ſua deflere videat, ſine modo tripudient & geſtiant, & quaſi præ nimiâ novi gaudii vehementia deliri inſolita gaudia celebrent: *ſuper uno peccatore pænitentiam agente lætantur* Merito autem tanto ob id gaudio exultant, quia *lucrum ſuum putant hominis redemptionem*; uti idem Pontifex ſubjungit Tantus eſt Angelorum erga nos amor, ut lucrum noſtrum eodem loco quo proprium habent, & tametſi de facto ſalvi ſunt, ipſis tamen ſeipſos ſalvari videtur, quando nos ſalutem acquirimus, nam ut in Proverbio dicitur: *Amicorum omnia ſunt communia.*

25. S Lucas Act. 12. verſ. 6. refert quod cum S. Petrus ab Herode in obſequium Judæorum in durum & ſqualidum incluſus carcerem, catenisque duabus ſtrictiſſime ligatus, & ne ſolvi ulla ratione poſſet, inter duos eſſet poſitus milites, qui ipſum diu noctuque omni cum vigilantia cuſtodiebant, pridie diei illius quo occidendus erat, Angelus quidam de cælo ad illum deſcenderit qui ipſum confortavit, à vinculis ſolvit, & ſalvum incolumemque abire juſſit. Per loci hujus occaſionem ſcire percuperem, num Angelus ille ad liberandum Apoſtolum permotus fuerit, oratione aliqua quam Apoſtolus in eo ſe periculo conſtitutum videns ad eum tunc effuderat, an verò id ultro citroque fecerit à ſola erga eum benevolentia motus? Equidem S Petrus quantum ex ſcriptura colligitur, non ſolum tunc non orabat, aut Angelum, vel ipſummet Angelorum Dominum, pro ferendo ſibi auxilio precabatur, ſed potius altum dormiebat. *In ipſa nocte Petrus dormiens inter duos milites, &c.* Angelus Apoſtolum ultrò & ex ſingulari erga ipſum Charitate permotus, liberavit. *Dormiebat Petrus, non orabat aliquem ex Angelis: Angelus tamen aſtat, fulget, pulſat, exurgere clamat, & eruit, libertatique relinquit.* Inquit Joannes Gerſon in Magnificat. Tract 8. Tantus eſt Angeli noſtri Cuſtodis erga nos affectus, ut nobis dormientibus, & de periculis

quæ

quæ cum utriusque vitæ evidenti jactura nobis immineat, nec quicquam curantibus, ipſe non dormiat, ſed vigilet, & non rogatus aut invocatus à nobis, ad noſtrum à malis quibus premimur, tum à periculis quibus anguſtiamur, liberandos de cælo advolet.

26. Dubium hic mihi occurrit, quod ne è memoria mihi excidat, ſic breviter accipite. Qui fit, quod cum Angeli nos adeò vehementer diligant, ut jam diximus, & veriſſimum eſt, nihilominus quando nobis Deus nonnunquam iraſcitur & caſtigare decrevit, Angeli Divinam iram exequantur, & tale nos officium quod inimicis & adverſariis noſtris potius quam amicis competit adverſum nos obeant? Sic namque in Apocalypſi Angeli vaſis ira Dei plenis bene onuſti de cælo deſcendiſſe leguntur, ut terram perdant, flumina & maria exſiccent, obſcurent ſolem, fulgura emittant & grandines, terræ motus excitent, totque ad hominum pernitiem & interitum mala iis inferant, ut in libro prædicto ſine horrore legi vix poſſint. Hæccine ſunt ſigna amoris? Tantamne vindictam ab amante expectabimus? Etenim Angeli intermittere nequeunt, quin iis quæ Domino ſuo ipſis imperata ſunt promptiſſime pareant. Non poſſunt non ea exequi officia, ad quæ à Divina ſunt omnipotentia deputati. Attamen ſimilibus malis inferendis manum ſuam non ſine dolore & planctu admovent. *An pios Angelos*, inquit S. Ambroſius lib. 6. Epiſt. 38. *qui in iſtius mundi laboribus diverſa ſuſtinent miniſteria ſicut in Apocalypſi legimus Ioannis, non ingemiſcere credimus, ocum adhibentur pœnarum & excidiorum miniſtri?* Non continuo ex eo quod Angeli ſint Divini furoris adverſum nos concepti, miniſtri, ipſos noſtros amicos non eſſe ſequitur. Imò verò ſunt amici noſtri & quidem effectuoſiſſimi, tametſi cum hoc nihilominus ſlet, quod Deo creatori ſuo non obedire non poſſit. Imo in ſimilibus caſibus Angelorum erga nos amor plus quem in aliis occaſionibus ſe prodit, ſiquidem dum nos caſtigant adeo dolent & lamentantur, ac ſi ipſimet flagellarentur.

27. Superius diximus quod niſi Angelus cuſtos noſter fragilitatem noſtram corroboraret & fortificaret, nullus noſtrum ad reſiſtendum adverſario noſtro ſufficeret, ſiquidem nos ad ipſum comparati, haud ſecus ſumus ac locuſtæ quædam reſpectu Gygantum. Ipſe conſpectui divino pro nobis aſſiſtit, ut in inſultibus quos ſuſtinemus, ſufficienter nobis vires & robur miniſtret: *Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram*, inquit, ad Rom. 8. verſ. 26. Apoſtolus. Et ob ſummum, quo ſalutem noſtram proſequitur, deſirium, ex amore quo erga nos ardet, Deum cum tanto lacrimarum imbre pro nobis rogat, ut ſit inexplicabile. *Spiritus* ſubjungit idem Apoſtolus ibidem, *poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. In hoc*, inquit Nicolaus Lyranus in cap. 8. ad Rom. *deſignatur deſiderium Angelorum de ſalute hominum, quod eſt inenarrabile à nobis, eo quod non eſt cognoſcibile.* Porro quando Angeli pro nobis ante faciem Dei inconſolabiliter plangere & lacrimari dicuntur id non ideò fit, ac ſi illos vere lacrimari aut flere dicere vellemus, ipſi namque utpotè beati, nec flere, nec triſtari ulla ratione poſſunt, ſed tantum id ad demonſtrandum ardentem quo nos proſequuntur, affectum, dicitur, quo illos urgente nos apud Deum adjuvare omnibus modis procurant, quaſi Matres noſtræ eſſent, noſque in utero ſuo portaſſent & genuiſſent.

28. Iſaias Propheta c. 33. v. 7. Angelos cuſtodes noſtros videntes plangere dicit: *Ecce videntes clamabunt foris, Angeli pacis amarè flebunt*; non tamen quidnam illud ſit dicit, ob quod adeò amarè ſunt lacrimaturi. Quidnam igitur in nobis eſt, ob quod tanto cum dolore lacrimas ſuas effundent? Peccata noſtra vident, inquit S. Vincentius ſerm. de S. Michaële: *Ecce videntes ſcilicet peccata noſtra.* Nec ſcribi nec comprehendi poteſt affectus illius vehementia, qua nos beati illi Paradiſi Principes proſequi dignantur. Adeo nos diligunt, & tanto cum exceſſu, ut dum nos Deum offendere, & tamen quaſi mente captos ruinam noſtram nihili facientes, inſuper lætari & pergræcari vident ipſi econtra amariſſime fleant, ſeque nos ardentius quam nos ipſi amare nos poſſimus, diligere demonſtrent.

29. Quidnam Angelos facere exiſtimatis, quando animam quandam, quam veluti dilectam filiam in hac vita gubernarunt, tantâ cum crudelitate à Dæmonibus ad æterna Inferni ſupplicia raptari conſpiciunt? Amariſſime plorant. Unde ſicut S. Vincentius locum illum Iſaiæ nunc immediate præcedenti jamjam citatum Angelis animam aliquam peccare & tamen lætari videntibus applicat, ita S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus parte 3. tit. 32. c. 6. locum illum eiſdem Angelis pro eo tempore applicat, quo Dæmones animam tantâ cum crudelitate ad infernum rapere vident. *Quando egreditur anima*, inquit S. Doctor, *quod eam Dæmones ducunt & rapiunt*

*rapiunt ad infernum, cum multis contumeliis, & tormentis, verificatur illud Iſaiæ, Angeli pacis amarè flebunt, dimittentes eam Dæmonibus.* Quaſi amantiſſimæ Matres, dilectos filios tantâ cum curâ & teneritudine à ſe enutritos, à truculentis inimicis ſuis è proprio gremio crudeliter eripi conſpicientes nec tamen iræ Dei aliquâ ratione reſiſtere volentes, amariſſime plorant.

30. Tandem Panegyricum præſentem difficultatis cujuſdam quæ in Apocal. cap.12. v.11. latet, propoſitione & reſolutione concludere debemus. Ibi enim ſacer textus de Angelis agendo dicit: *Non dilexerunt animas ſuas uſque ad mortem.* Quaſi diceret: Adeò ardenter homines amant, ut ſui ipſius obliti in ipſam uſque mortem ſe præcipitent & exponant, plus eos quos diligunt, quam vitam æſtimantes propriam. Verum inquiet aliquis: Qua ratione eſt poſſibile quod Angeli ſe morti expoſuerint & obtulerint, cum ſint immortales, nequaquam ſicuti nos mori poſſint? Reſpondet quod licet tanquam immortales mori non poſſint, nihilominus tamen vis amoris, quo erga homines æſtuant, ſi ita opus eſſet, facile aliquem moriendi modum invenire poſſet. *Licet enim Angeli mori minime poſſent, cum immortales creati eſſent*, inquit S. Bernardinus Tom 1. ſerm 60. Art.3. cap 3. *adimplevit in eis fortitudo dilectionis quod non habet Natura. Quod bene notat Ioannes, cum ait: Et non dilexerunt animas ſuas uſque ad mortem; licet mortales non eſſent, neceſſarium tamen ſibi exiſtimarent propria vita non parcere pro divinæ dilectionis fervore.* Quis eſt qui neſciat quod ſi Angelorum immortalis, immortali compareretur Divinæ, ii haud ſecus futuri ſint, ac homines, mortales? Quodſi igitur non obſtante hac Dei immortalitate, Deus nihilominus, ut noſtræ poſſet neceſſitati ſubſidium ferre, modum aliquem ſe mortalem faciendi & moriendi adinvenit, haud dubiè Angelos quoque ſi id opus eſſet, licet immortales ſint, mori tamen facere poſſet. Vehementiam igitur ardentiſſimi quo cæleſtes ſpiritus erga nos flagrant, amoris attendite & obſtupeſcite. Tametſi enim ipſi naturæ ſint immortales, attamen ut nos à morte liberent, ad moriendum, ſi ita opus eſſet, lubenter ſe offerunt. Amicum aliquem pro amico mori velle majorem quam inveniri poſſit, amorem arguit, majoremque qui accendere corda poſſet ignem. *Majorem hac dilectione nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*, inquit Chriſtus Joan. 15. verſu 13.

Intellexiſtis igitur optimi Auditores quantum pro vobis veſtraque ſalute faciant cæleſtis gloriæ cives? quanto cum amore & benevolentia vobiſcum agant? quam ſollicitè vos gubernent? quanti vos æſtiment ſpiritus beati; quantum denique Angelis veſtris cuſtodibus obligati ſitis? Quomodo igitur nunc tanto amori, præcipuæ tot præſtantiſſimorum ab eorundem manibus quotidie receptorum beneficiorum cauſa correſpondebitis? Quâ ratione tanto illis beneficia compenſabitis? Quibus mediis? Moneta quali? ſola utique moneta amoris; ſola namque amore exſolvitur & redimitur amor.

PANE-

# PANEGYRICUS XLIV.

## De admirabili Sancto Eccleſiæ Doctore S. HIERONYMO.

## THEMA.

Vas admirabile opus excelſi. Eccleſiaſtici 43. verſ. 2.

## ARGUMENTUM.

*Excellentiæ SANCTI HIERONYMI glorioſiſſimi Eccleſiæ Doctoris ſub vaſis alicujus admirabilis à divinis manibus præparati ſymbolo proponuntur.*

1. TAntum erat antiquis in aureorum argenteorumque vaſorum poſſeſſione voluptas & gaudium, ut alias divitias quantumvis magnas & ſplendidas non tanti facerent, quanti vaſa hæc æſtimabant. *Novi homines*, inquit Athenæus lib. 11 cap. 4. *qui non tantum ob multas divitias lætabantur, quantum quod plura, tum aurea, tum argentea pocula haberent.* Unde idem Athenæus ibidem refert: certus quidam vir opulentus, cui nomen Pitheas erat hæredibus ſequens in ſepulchro ſuo explicari Epitaphium præcepit:

*Pytheas hoc tumulo tegitur prudenſque bonuſque,*
*Pocula cui vini multa fuere viro.*

Adeò apud Perſas hæc gloria crevit, ut ad habendam magnam ſimilium vaſorum quantitatem, furtum nequaquam vitio verterint. Tantum habere videtur divina Majeſtas gaudium in poſſeſſione vaſorum rationabilium, quantum in materialium vaſorum poſſeſſione habuere antiqui. Tanta namque fuit Dei in vaſorum animatorum poſſeſſione voluptas, ut ad hoc, ut in iis opulentiſſimus evaderet, dedignatus non fuerit fieri figulus. *Pater noſter es tu*, inquit Iſaias cap 64 v. 8. *nos vero lutum; fictor es tu, & opera manuum tuarum omnes nos.* Unde magna domus ejus nullâ aliâ re adeò eſt repleta, ſicut ejuſmodi vaſis (totidem enim in cælo ſunt vaſa, quot ibi animæ quieſcunt, Deo fruuntur, & delitioſi illius torrentis ineffabilibus implentur bonis.) Domus enim Dei eſt magna domus illa, tantâ vaſorum diverſitate referta, de quibus Apoſtolus Timotheo ſuo ſcribit 2. Tim. 2. v. 20. dicens: *In magna*

*domo non ſolum ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed & lignea & fictilia.* Ibi aſſervatur vas illud Deiparæ Virginis honoratiſſimum. *Vas honorabile.* Ibi eſt illud Sancti Pauli Apoſtoli vas electionis, & ſic deinceps per alios Beatorum diſcurrendo ordines. Quia vero tandem Deo ad majorem ſuam gloriam ſanctum Hieronymum Doctorem præſtantiſſimum formare, eundemque ſummis decorare privilegiis, denique inter vaſa ſua collocare complacuit, ideo ab Authore Eccleſiaſtici capite quadrageſimo tertio verſu ſecundo ſub vaſis ſymbolo proponitur, dicente: *Vas admirabile opus excelſi*, ideo ab Euſebio Cremonenſi lib. de morte ſancti Hieronymi Doctoris, Spiritus Sanctus de Sancto Hieronymo locutus fuiſſe intelligitur. *Vas vere admirabile opus excelſi fuit* Hoc vas quod in magno illo cæli armario collocatum fuit, à ſancta Eccleſia hodie fidelium oculis proponitur; Idem quoque vas ad majorem Sancti Hieronymi gloriam præſens prædicabit Panegyricus; in quo primo Sanctum Hieronymum vas aliquod fuiſſe Deinde eundem vas fuiſſe admirabile. Tertiò denique opus excelſi fuiſſe oſtendetur *Vas admirabile opus excelſi.*

2. Inprimis igitur dum Sanctus Hieronymus ſub vaſis ſymbolo proponitur, ſub figura ſphærica atque rotunda proponi videtur, vaſa ſiquidem alterius figuræ eſſe non poſſunt, utpote in torno elaborata; dum autem ſub hac figura proponitur, conſequenter veluti valdè pulchrum & elegans exhibetur. Quis enim opera ſphærica & in torno elaborata valdè pulchra & nitida eſſe ignorat? *Tornatile ſpecioſiſſimum eſt*, inquit Cyrillus Alexandrinus libro nono de adoratione. In cujus ſignum Deus cæleſtia & cælum ipſum, ubi res aſſervat pulcherrimas, ſphæricæ figuræ eſſe voluit. In ejuſdem quoque ſignum Deus ipſe, ut pulcherrimus eſſe deſcriberetur à Philoſopho dictus eſt, *Sphæra ſive circulus intellectualis, cujus centrum ubique eſt, circumferentia nullibi*: vas igitur quoddam Sanctus Hieronymus fuit figuræ ſphæricæ, formæ tornatilis, ſummaque & incredibili pulchritudine interius à Deo donatum. Et quidem adeò pulcher extitit, ut & ipſummet ejus nomen in ſermone Latino, *viſio pulchritudinis* interpretetur, quaſi tanta fuiſſet formæ ſpecie conſpicuus, ut ab hominibus viſus, non ſolum pulcher, ſed ipſamet eſſe pulchritudo videretur. Porrò ſciendum eſt, quod Roma olim utpotè civitas pulcherrima locus erat, in quo quicquid pulchri in aliis cernebatur mundi partibus diſperſum, ſimul collectum repoſitum erat Unde Caligula Imperator quotieſcunque alibi rem aliquam inveniebat valde eximiam & ſpecioſam illam Romam verſus transferre ſolebat, æquum eſſe dicens, ut pulchra non niſi in pulchro loco aſſervarentur depoſita, uti Joſephus hebræus refert libro decimo nono Antiquit. capite nono. Porrò tametſi Roma, ut dictum eſt elegans valde fuerit, & regium quoddam rerum pretioſiſſimarum receptaculum & depoſitum, attamen quando Roma Hieronymum ſecum habuit, facta eſt opulentiſſimus quidam rerum pulcherrimarum theſaurus, adeò ut Romani tunc coram oculis ſuis propoſitam habuerint, maximam totius mundi venuſtatem, & veluti, ſi Roma antea nihil elegans aut ſpectabile aut viſu dignum habuiſſet, tunc præter S Hieronymum nihil reſpiciebant, nihil admirabantur, nihil celebrabant aut magni faciebant: *Solus Hieronymus Romæ invenitur*, inquit Victorius Reatinus in vita S. Hieronymi *in quo omnium oculi, omnium defigantur obtutus, in quo uno totius Cleri, populique vota ſuſpirent.* Ad eum ferè modum quo ſol hemiſphærium noſtrum ingreſſus, cuncta alia lumina obſcurat, & ſolus videtur: Ita S. Hieronymus Romam ingrediens, novo ſuo ſplendore omnem aliam venuſtatem obſcurans, ſolus reſpiciebatur, omnibuſque erat admirationi *Hieronymus viſio pulchritudinis.*

3. Hieronymus quamdiu hic in terra vixit, & inter hujus mundi homines ambulavit, verè vas quoddam ſphæricum & circulare fuit. Cum enim homines ſui temporis haud ſecus ac ſi quadrati fuiſſent terrenis rebus totaliter viderentur addicti, ipſe veluti ſphæricus, vix corpori ſuo ea quæ neceſſaria ſunt admiſit. Aliis hominibus cum omni poſſibili pompa & ſuperbia, corporis ornamenta curantibus, *ipſe cilicino ſacco*, uti Auguſtinus ad Cyrillum de magnif. Divi Hieronymi ſcribit, *carnem æthiopis macerans, deſuper panno viliſſimo ſe tegebat.* Aliis ad ventris delitias inclinatis, menſaſque ſuas variis carnibus diverſiſque piſcibus onerantibus: *ipſe ab omni carne etiam piſcium ejus ita ſe abſtinuit, quod vix ea nominare volebat*, ut idem S Doctor refert. Aliis in lecto plumeo ex auro & ebore fabricato dormientibus: *ipſe ſtratam aliud, niſi terram, nunquam ſcivit* Quando igitur S. Hieronymus modo jam dicto rigoroſiſſime vixit, & non niſi modicum, id eſt, non niſi neceſſa-

ælem imo neceſſario minus, de mundo admiſit, quis ipſum vas quoddam perfectè ſphæricum atque rotundum fuiſſe dubitabit? *Circulus in puncto & in modico tangit terram*, dicunt Mathematici, & experientia idem communiter docet.

4. Verum quoddam vas fuit S. Hieronymus, utpote cui vaſis forma aptiſſime reſpondet. Negari equidem minimè poteſt omnes homines vaſa eſſe, verum vaſa ſunt adeò à propria ipſorum forma degenerantia & transformata, ut ſicuti à Græcis *arbores inverſa* appellantur, ita quoque ipſi dici poſſint vaſa inverſo prorſus modo & ſurſum deque ſe habentia. Cùm enim vaſorum inſtar ſuperius aperta, & ſubtus eſſe deberent aperta & patula, ipſi contrario ſe modo habent, clauſa nimirum ſunt ſuperius & ſubtus aperta: ad res cæleſtes & ad ſalutem ſpectantes omninò clauſi, aperti verò ad res mundanas & in perditionem eos præcipitantes. Cæci bona æterna quæ ſupereminent, in quibus ſalus ipſorum duntaxat conſiſtit, non conſiderant, ſed terram pedibus ipſorum ſubſtratam, & æternæ ſuæ perditionis illicium. Sanctus Hieronymus verum vas quoddam fuit, veramque vaſis formam in ſe habuit. Quamdiu enim hic in terris vixit in parte hominis inferioris clauſus, in ſuperiori verò patulus fuit & apertus. Ad terrena & caduca quæ in terra ſunt, nunquam reſpexit, ſed cælum & bona illa quibus poſt hanc vitam nos in cælo fruituros ſperamus. *Videres hominem*, inquit Victorius ubi ſupra, *à corporeis vinculis abſolutum, nihil aliud niſi cælum ſpectare & petere.* Unde haud ſecus ac ſi quidam in Angelum transformatus homo fuiſſet, præter cælum aliud nihil quærebat, nihilque ſperabat. Verum vas quoddam fuit, veramque vaſorum formam habuit, quæ veris & immortalibus bonis ſunt adimplenda.

5. Ex quo Sanctus Doctor ob admirabilem qua tanta cum abundantia à Deo refertus fuit, eloquentiam, adeò illuſtris fuit atque famoſus, vas appellari meretur argenteum (Argentum enim eo quod dulcem & gratum ſonum edat, optimum eſt Chriſtianæ eloquentiæ ſymbolum) Et quidem aſſimilari poterit vaſi illi argenteo, quod uti fabulantur nonnulli apud Carth de Imagin Deorum in Apoll. ſolem ſerenitate & temperato aëre plenum ſecum habet, quod ſubitò ut à ſole aperitur nubes fugat, frænat ventos, frigus diſſipat, lætamque tandem introducit tranquillitatem, quod proinde ab omnibus: *Riſus Iovis* congruo nimirum nomine inſignitur. Tale vas fuiſſe cenſendus eſt Sanctus Hieronymus. Vix enim ſummus Juſtitiæ ſol Deus, os illi adverſus hæreticam pravitatem aperuit, cùm ecce ſubitò in ſerenitatem converſæ ſunt Eccleſiæ illis temporibus ſatis anguſtiatæ & afflictæ tempeſtates, Hæreſes quoque haud ſecus ac nubes diſſipatæ ſunt, & introducta eſt tranſquillitas deſiderata. *Hæreticos adeò perſequebatur*, inquit Victorius, *ut coram eo hæreſes, veluti coram ſole nebula evaneſcerent.* Meritò proinde *riſus Iovis* appellari poterit, Jovis inquam illius, qui illum ut ſuam innueret Eccleſiam in ter a naſci fecerat, utpote qui ſua mundum præſentia ingenti lætitia adimplevit. *Pertranſiens uſque ad fines terræ*, inquit Euſebius ubi ſupra: *Sanando preſſos ab hæreticorum jaculis, illuminando mentes hominum, confutando & corrigendo falſitates, ut nos adimpleret gaudio, lætitia, & exultatione, templum Domini corroboravit.*

6. Etenim cum Sanctus Hieronymus propter eloquentiam ſuam vas fuerit argenteum, utique vas erit propter eximiam quæ in eo eluxit ſapientiam, prorſus aureum (ſicut enim argentum ſymbolum eſt eloquentiæ, ita uti omnibus conſtat ſapientiæ ſymbolum eſt aurum) verùm enimverò qualenam pretioſiſſimi vaſis hujus aurum fuiſſe exiſtimatis? Non aliud profectò quam ſimile auro illi è quo vas fabricatum fuerat Enalli. De hoc namque Athenæus ubi ſupra cap. 4. ſcribit, quod poſtquam ingens quoddam aliquamdiu perpeſſus eſſet, ac tandem evaſiſſet naufragium, retulerit circumſtantibus, quod ſub aquis conſtitutus ad Neptuni perductus fuerit regiam, in qua poſtquam per multos menſes, equorum Dei illius habuiſſet curam, libertatem ſibi adſcivit, & in ſervitiorum ſuorum præmium vas quoddam nactus fuerit aureum, quod ſpectatoribus circumſtantibus demonſtrabat. De hoc autem auro, idem ipſe Author dicit, illud adeò fuiſſe perfectum & pretioſum, ut auro alibinato comparatum, illud adeò reddiderit obſcurum, ut à multis æris pretium non judicaretur excedere. *Ita admirabilis erat auri, ut aurum quod erat apud Methymnenſes, æs videretur, illi comparatum.* Auro vaſis hujus, aura ſapientiæ Sancti Hieronymi perſimile fuit. Tanta namque tamque eximia ſapientia præfulſit, ut Eccleſia inter tot Doctores, tot ſapientes & literatos tam Latinos quam Græcos neminem habeat, qui comparari

parari cum illo queat. *Vir fuit*, inquit Victorius ubi ſupra, *cui nec Græci, nec Latini, quem comparent, habeant aliquem.* Nunquam viſum eſt, nec fortaſſe videbitur unquam vas aliud, ex tam pretioſo auro fabrefactum.

7. Verè Sanctus Hieronymus vas quoddam fuit aureum. An enim vaſa aurea non niſi adhibita ignis virtute, & reiteratis martellorum ictibus fabricari poſſe ignorarit? Incredibile certè eſt, quot ad vas iſtud debite elaborandum concurrerint aurifices; neque enim eo quo in terris vixit tempore, ab Hæreticis tantum quibuſcum veluti cum perpetuis ſuis inimicis perpetuò dimicabat, nec non ab ipſiſmet tantum amicis & curiæ Romanæ Clericis, quorum odia declinaturus Romam deſerere ſtatuit, perſecutionem & ærumnas eſt paſſus, verum etiam ob ſtudium quo in Ciceronis ſcripta legenda pronus erat, ab ipſomet Deo, imò & a ſemetipſo, dum ſe aſpero cilicio induit, humi cubavit, integras vigilando noctes inſomnes traduxit, quotidianis ſeſe maceravit jejuniis, pectus denique ſuum duro quodam ſaxo graviter percutiendo, ſaucium & cruentum reddidit. Audite quidnam Epiſtolam vigeſimam ſeptimam hac de re ad ſanctiſſimam Euſtochium virginem transſcribere non dubitet: *Vix nuda humo oſſa arentia collidebam; de cibis verò, & potu taceam, cum etiam languentes monachi aqua frigida utantur. Memini me clamantem diem crebro junxiſſe cum nocte, nec à pectoris ceſſabam verberibus.* Verùm enimverò, quonam ſpectat hæc tanta S. Hieronymi pœnitentia, quonam fine tanta adhibetur abſtinentia, tantaque verbera? ſapientiſſimus Eccleſiæ Doctor ſe vas quoddam aureum eſſe noverat atque ideo ut inter Paradiſi vaſa *tunſionibus preſſuris*, elaborata reponi mereretur, ſimili quodam modo tundi, premi, elaborari & expoliri valebat.

8. Porrò puritas & pretium auri, unde vas hoc efformatum fuit, ex incredibili ejus patientia enituit, quam ſub martello conſtitutus toti mundo exhibuit. Aurum enim, uti de eo ſcribunt naturaliſtæ, ejus eſt proprietatis & naturæ, ut, quantumvis vehementer ardeat & percutiatur, nequaquam tamen rumpatur aut crepet, uti aliis accidere metallis ſolet: *Verum aurum*, inquit Chaſſanæus in Catalogo parte prima Conſideratione trigeſima prima *diutiùs & durabilius in ſua operatione permanet.* Ehem quantas Sanctus Hieronymus ærumnas, quantas perſecutiones, quam rigidas pœnitentias patientiſſimè ſuſtinuit! Unde Euſebius, ubi ſupra, duros labores & patientiam in iiſdem, quam vas iſtud, dum fabricaretur, exhibuit, conſiderans exclamat: *O vir ineffabilis, ò virtutum vas admirabile, ò ſplendor patientiæ, cum plus tunderis, minus confunderis.* Imò Sanctum Doctorem in ejuſmodi ærumnis poſitum dicere ſolitum fuiſſe, ſubjungit: *Gratias ago Deo meo, quia dignus ſum habitus, ut me odiat mundus, ſcio me namque pervenire ad cæleſtem gloriam per infamiam & bonam famam.* Certè dum in hæc verba prorupit, verum ſe vas aureum, in cæleſti theſauro collocandum eſſe probavit, probe ſciens quod niſi tot martellorum ictibus effingeretur & ſculperetur, deſiderato loco dignum minime erat.

9. Quandoquidem vas illud, cui pretioſus aliquis liquor eſt infundendus, omni cum poſſibili ſtudio lavari, atque ab omni immunditie, quas fortè ex iis rebus, quibus antea fuerat refertum, contraxerat, purgari ſolet; adeò minimè mirandum eſt, quod Deus qui pretioſiſſimum illum torrentis æternæ beatitudinis liquorem huic vaſi, non ſolùm poſtquam è corporis hujus carcere exſolutum evolaſſet in cælum, verum etiam ex particulari privilegio dum adhuc in terris eſſet, & Paleſthinæ deſertum incoleret, infundere decreverat, idipſum tot ærumnis & perſecutionibus expurgarit & mortificarit. Ipſummet quæſo hac de re apud Eboracenſem Tomo ſecundo de Contemplatione loquentem auſcultate: *Ego homunculus ſic abjectus, & vilis; in domo Domini adhuc vivens, in corpore, Angelorum ſæpè Choris interfui; de corporis per hebdomadas ſuſtentationibus & nutrimentis nihil ſentiens divinæ viſionis intuitu.* Ut igitur tantæ gratiæ recipiendæ redderetur idoneus, tot laborum, afflictionum & mortificationum virtute & efficacia, illum ad hoc præparari & purgari omninò neceſſarium erat, id quod ipſemet eodem citato loco advertere minimè neglexit, dum ſubdit: *Non poteſt ad tanta contemplationis dulcedinem cor ſæcularibus plenum negotiis aſpirare, ſed oportet ut ſæculo moriatur, & ſoli Deo per tantas meditationes & deſideria adhæreat.*

10. Etenim quia S. Hieronymus homo fuit, aliis hominibus per omnia ſimilis, & conſequenter non ex auro & argento, ſed ex luto formatus, ideoque ratio à nobis exigat ut ipſum veluti

veluti vas quoddam fictile ſive terreum conſideremus, conſequenter, ipſum quoddam fuiſſe vas terreum, omnis tamen terræ expers fuiſſe dicere oportebit. Id licet fortè videbitur paradoxum, eſt tamen veriſſimum. Ipſe namque ab omni prorſus, terreno affectu perfectè purgatus & denudatus vixit, quandò non ſolum patriam deſeruit, illuſtris ſanguinis ſui nobilitatem, undè genitus fuerat, contempſit, domus ſuæ divitias ſprevit & calcavit, Roma ab honoribus & oblatis ſibi dignitatibus fugit, verum etiam, quod caput eſt, ſemetipſum dereliquit & abnegavit. An non audiſtis quam capitalis fuerit ſui ipſius inimicus, dum continuò ſe affligebat, cædebat, crucifigebat? Talis profectò vita non minus eſt æternâ remota, quam ipſum à terra cælum diſtat. Ejuſmodi vita licet in terra traducatur, omnis tamen eſt terræ expers. Author Hiſtoriæ Lombardicæ docet hanc vocem *Hieronymus à Gera*; quod eſt, *ſanctum* derivari; unde quia, *agyos* quod eſt, *ſanctum*, interpretatur *ſine terrâ*, in proprio ſuo nomine Hieronymus ſufficienter demonſtrat, ſe ab omni re terrena adeo fuiſſe purum, mundum, & expurgatum, ut licet de terra factus eſſet, non tamen cenſeri debeat vas terreum, ſed ex materia quadam ſuper terrenâ, cæleſti, & angelicâ efformatum.

11. Quodſi tamen non obſtantibus his omnibus ipſum vas quoddam terreum dicendum eſſe exiſtimetis prouti foriníecus eſſe apparuit, ipſum tamen cum aliis conferre nequaquam valebitis, cum alii ruditer & ſine aliqua cura aut ſtudio ſint efformati, ipſe vero admodum delicatè & ſubtiliter. Eo ipſo enim quo nos mentem noſtram non adeò ſubitò in Deum elevamus, quin illam ad terram & terrena negotia proſtratam conſpiciamus, ſignum evidens eſt nos vaſa eſſe rudia, groſſa, & ponderoſa, quos terræ pondus, id eſt, nimius ad lutum & terrena affectus, ad terram ſemper protrahit: *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam*, inquit Sapiens, Sap. 9. v. 19. *& terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem*: Econtra verò cum Hieronymus mentem ſuam in cælum ſemper habuerit erectum, eàdemque ſine ullâ difficultate, inter Angelorum Choros diu noctuque fuerit ſublimatus. (*Memini me clamantem crebro unxiſſe diem cum nocte*, inquit D. Hieron. Epiſt. 22. ad Euſtochium) ſignum evidens eſt, ipſum vas quoddam fuiſſe mirabiliter delicatum, tantæque ſubtilitatis, ut quaſi non fuiſſet ex luto plaſmatus à luto aggravatus, ſeu in terram depreſſus minime fuerit. Quaſi unum ex iis vaſis fuiſſet, quorum unum à magiſtro, alterum verò à diſcipulo inter ſe uter illorum ſubtilius opus abſolveret certantibus factum fuerat, quæ ob miram & incredibilem ſui ſubtilitatem pro ſingulari templi alicujus decore & ornamento Romæ depoſita fuere. *Hodie in templo*, inquit Plinius lib. 35 cap. 12. *oſtenduntur amphoræ duæ propter tenuitatem conſervatæ, diſcipuli Magiſtrique certamine uter tenuiorem humum duceret.* An non enim ſacrum vas iſtud poſtquam tot annis decoraſſet mundum, tandem ut ſupernam decoraret Paradiſi regiam, translatum fuit in cælum? *Ecce qui Chriſti decoravit aulam*, inquit de ſancto hoc Doctore Breviarium Gallicanum. Conveniens enim erat, ut vas aliquod adeò tenerum, delicatum, & ſpiritualizatum, in cælo inter cæleſtia reponeretur.

12. Apoſtolus 2. Cor. 4. v. 7. ſummam fragilitatem noſtram ſignificaturus dicere non dubitavit: *Habemus theſaurum in vaſis fictilibus*; quaſi dicere voluiſſet; Habemus theſaurum quendam latentem in vaſis vitreis, haud ſecus enim ac ſi corpora noſtra è vitro fabricata eſſent, *facilè franguntur*, inquit Hugo Cardinalis, per quemvis minimum caſum, aut leviſſimum ictum facillimè franguntur. Etenim quonam fine me hoc dicere exiſtimatis? nimirum cauſam inveſtigare molior, cur S. Hieronymus, licet theſaurum ſuum in vaſe portaret vitreo, nihilominus tamen à tot tentationum & perſecutionum quas Dæmon & præcipuè luxuriæ ſpiritus illi ſine ullis indultis induciis intentabat ictibus percuſſus & repercuſſus, frangi tamen nequaquam potuerit, Nimirum quia non vas tantum, ſed vas quoddam admirabile erat: *vas admirabile.* Similis erat iſti vaſi vitreo quod ab ingenioſiſſimo quodam Artifice Tiberio Cæſari præſentatum, & in terram projectum, aut ferro percuſſum, frangi tamen, ut S. Iſidorus lib. 19. Ethymol. cap. 15. refert, minime potuit. Quod adamas aliquis neque per adhibitam vim ferri, neque per violentiam ignis, tametſi is de quavis re, quantumvis duriſſimâ ſuam ſemper reportet victoriam, frangi ullâ ratione poſſit, res eſt naturalis & ordinaria, ſed quod nec ſanguine, qui alias adamantem frangendum ſemper prævalet, frangi poſſit, hoc omninò peregrinum, novum, miraculoſum eſt. *Vas verè admirabile.*

13. Quodſi Corpus ſancti Hieronymi ex bitumine formatum eſſe dicerem, à veritate utique non procul aberrarem; cum ipſum hominem fuiſſe, & corpus & carnem aliorum hominum carni per omnia ſimilem habuiſſe, carnem autem hominis bitumen eſſe ſciam. *Bitumen eſt caro humana*, inquit Petrus Berchorius Reductorii moralis libro decimo tertio capite ſecundo. Cur igitur corpus ejus bitumen fuerit, quod ſicut magnes ferrum, ſuccinum paleam, ita ignem ſibi attrahit, quâ ratione fieri potuit, ut à tanto carnis incendio obſeſſus, nunquam tamen accenſus fuerit, nunquam arſerit, nunquam ab ardentibus cupidinis facibus inflammari, aut ab immundis Veneris ſordibus coinquinari potuerit? Adeò vehementer ab hoc turpi vitio infeſtabatur, ut tametſi in Eremo eſſet, prouti in Epiſtola vigeſima ſecunda ad Euſtochium ſcribit, & propter continuas abſtinentias, vigilias, aliaſque mortificationes cadaveri non multum eſſet diſſimilis, ſine intermiſſione tamen à carnis fuerit ſtimulis exagitatus. *Horrebant, ſacco membra deformia, dicebat ad Euſtochium, & ſqualida cutis ſitum æthiopica carnis obduxerat. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere damnaveram, ſcorpionum tantum ſocius & ferarum, ſæpe choreis intereram puellarum, &c.* Per omnes tamen hoſce inſultus nunquam à Dæmonio potuit vel leviſſimè lædi. Unde neceſſario dicendum eſt, ipſum *vas* quoddam fuiſſe prorſus *admirabile*, quod licet ex bitumine eſſet confectum, & alia ex ſimili materiâ efformata vaſa ignem facilè concipiant, ideoque ardeant & comburantur, ignem tamen hunc procul à ſe ſemper arcebat. *Vas* verè *admirabile* proinde fuit.

14. Paradoxum vas iſtud quod uti ſereniſſima Caſtellæ Regina doctiſſimo Epiſcopo Abulenſi Alphonſo Toſtato, ipſomet in Paradoxis teſte, ſcripſit. *Erat lucens & non lucens*, luminoſum & non luminoſum, ſplendebat & non ſplendebat, alicubi reperi mihi impoſſibile videtur. Quia enim lux tenebris contrariè adverſatur & duo contraria ſe in eodem compati nequeunt, una & eadem res uno eodemque tempore luminoſa ſimul & obſcura eſſe non potuit. Quodſi tamen tale vas aliquod fortuito inveniretur, illud verè futurum eſſet miraculoſum ac proinde ſtupendum. Tale vas fuit ſanctæ Eccleſiæ Doctor Hieronymus, atque ideo non ſine cauſa *vas admirabile* appellatus. Eodem namque tempore, quo aſſiduâ illum pænitentia totaliter confecerat & tantaque fuligine obduxerat, ut Æthiops quidam eſſe videretur: *Squalida cutis ſitum æthiopicus carnis obduxerat*, dicebat, ut jam audiſtis de ſemetipſo, adeò nihilominus ſimul reſplenduit, ut eodem tempore ab Euſebio, nunc *Lampas præfulgida*, nunc *Sol refulgens* fuerit appellatus. *Vas admirabile lucens & non lucens.*

15. De Zeuxe famoſiſſimo pictore refertur, quod celeberrimam quandam Jovis picturus imaginem, in Girgentem Siciliæ Urbem ſe receperit, ubi tunc major erat in mulierum vultu & ſpeciei venuſtas, ibidemque ex toto ſpecioſarum mulierum numero, quinque elegerit formoſiſſimas, & quicquid in hiſce quinque puellis pulchri depræhenderat, unam congeſſerit pulcherrimam imaginem, ipſammet Deam ad vivum repræſentantem. Dicat aliquis cur peritiſſimo huic pictori non ſufficiebat unicam tantum depinxiſſe imaginem, ut exinde prætenſum ſimulachrum effingeret? Rationem hujus Ariſtoteles apud Fazellum lib. de rebus Siciliæ cap. 1. hiſce verbis aſſignat: *ut pulchriora omnia ... pingendo exprimeret, pulcherrimam Iunonem effingeret, neque mulier eſſet, quæ tota Iunoni ſeſe conferre auderet.* Quodſi Zeuxes ad Junonis ſimulachrum effingendum, unicam tantum adhibuiſſet mulierem, præterquam quod impoſſibile eſſet aliquam ſine ullo defectu pulchram inveniri mulierem, mulier illa quæ loco Junonis depicta fuiſſet, ſe Deæ totaliter ſimilem & paris cum illa pulchritudinis eſſe gloriari & jactare ſe potuiſſet, quod indecens erat; ac proinde ab unâ unicam tantum partem, ab aliâ alteram eſt mutuatus ut hac ratione, licet una harum dicere potuiſſet, Juno meas refert genas; alia, ipſa Dea mea exprimit labia, aut manus meas, aut quodcunque aliud membrum, neutra tamen illarum omnium vere dicere poſſet, Juno per omnia vultum meum exprimit, cum ſemper in tale effigie membrum aliquod eſſet, in quo mulieris illius facies tranſcenderetur, quæ quoad membrum iſtud, utpote defectuoſum, tranſumpta minimè fuerat. Opus iſtud totaliter abſolutum valdè utique mirandum fuit, cum in illo omnis concurrerit, quæ in mundo inveniri poterat pulchritudo. Tale profecto opus quoad ſapientiam ſuam ſanctus Hieronymus fuit; videtur enim quo quando Deus beatæ hujus animæ vas efformavit, in idem omnia dona in aliis ſapientibus diſperſa congregarit & accumularit, ut nem[o] poſſet homo perfectiſſimè doctus inveniri, qu[...]

ſua

ſuam cum Hieronymo doctrinam conferens, aliquem in ſemetipſo experiatur & depræhendat defectum Audite quiddam de eo, ubi ſupra ſcribat Victorius. *Nam etſi multos in Eccleſia præſtantiſſimos & doctiſſimos habuerimus viros; neminem tamen, qui tot ac tanta in omni doctrinarum genere ſciverit, & qui tot linguarum habuerit cognitionem, invenimus. Quodſi in aliquâ re, ipſe ab aliquo vincatur, ſemper tamen & ſuperſunt aliæ, in quibus tandem illi præſtans Hieronymus Victor abſcedat. Vas admirabile.* Auguſtinus literarum & literatorum fœcundiſſimus parens non erubeſcit dicere, Hieronymum in humanarum divinarumque literarum peritia neminem habuiſſe in toto mundo ſibi æqualem. Neque ſcribere in hæc verba erubuit, ubi ſupra: *Hieronymus ita perfectè liberales ſcientias ſcivit, quod relatione omnium nullus ſibi ſimilis apparet adhuc De ſcripturis verò ſacris, uti multarum ſuarum Epiſtolarum, quas ad me direxit, experientia dedici, æqualem ſibi neminem unquam novimus.* Vir verè ſtupendus, verè rarus, verè admirabilis fuit *Vas admirabile.* Neminem ſibi in mundo parem, neminem æqualem habuit, cunctos ſuperavit. *Non eſt inventus ſimilis illi.*

16. Etenim locum quendam ex Pſalmo quarto verſu quarto deſumptum, nonnihil ponderemus, ubi David de ſemetipſo loquens, dicit: *Scitote quoniam mirificavit Dominus ſanctum ſuum.* Et profectò verum dicit; adeò namque David in hoc mundo mirabilis atque ſtupendus fuit, ut non ſolum prodigioſus, ſed quoddam viſus fuerit eſſe prodigium. *Unde tanquam prodigium factus ſum multis*, dicebat Pſalmo ſeptuageſimo verſu ſeptimo Nunc igitur rationem quoque nobis exponat, ob quam Deus ipſum adeo reddiderit prodigioſum atque ſtupendum. Audite igitur quid ibidem ſubjungat: *Dominus*, inquit, *exaudiat me cum clamavero ad eum*; quaſi diceret: Ideò factus ſum à Deo adeò ſtupendus, quia quicquid ab æternâ Dei Majeſtate efflagito, confeſtim etiam obtineo Deus namque adeò accuratè meis petitionibus correſpondet & obſecundat, ut eodem prorſus tempore, quo os ad orandum aperio, petitam quoque mihi ſubitò indulgeat gratiam. Similis favor, dicebat Auguſtinus ubi ſupra ſancto Hieronymo à Deo conceſſus fuit: *Nulli dubium, ita præ cæteris quæ vult poſſe ipſum aſſequi, ſicut præ cæteris ſua voluntas divinæ magis cohæret.* Quidnam igitur ex hoc de ſancto hoc Doctore aliud concludemus quam quod David de ſemetipſo ſtatuit? Quia enim David à Deo pro votis omnia impetrans factus eſt admirabilis, admirabilis quoque eandem ob cauſam erit ſanctus Hieronymus. *Mirificavit Dominus ſanctum ſuum. Vas admirabile.*

17. Fuit inſuper vas hoc valdè admirabile ob admirabilem ſui capacitatem & magnitudinem. Celebratur à ſcriptoribus antiquis, immenſa capacitas vaſis illius, quod Alexander Macedonum Rex habuit, undè in famoſo quodam convivio novem biberunt hominum millia. Celebratur itidem ut Plinius ſcribit, vas illud Imperatoris Vitelli, quod tantæ magnitudinis extitit, ut ad illud fabricandum fornacem quandam in amplo quodam & ſpatioſo campo erigere neceſſum fuerit. Hoc vas Imperator vocare ſolebat, *Minervæ clypeum, ob immenſam magnitudinem.* Uti ſcribit Author annotationum in Plinium. Verum enimverò tametſi hæc vaſa ob ingentem ſui molem omnibus paſſim ſtupenda viſa fuerint valdeque miranda, cæleſtis tamen Imperator, tum ut humanam potentiam, arrogantiam, & faſtum confunderet, tum ſuæ daret ſpecimen omnipotentiæ, Hieronymum formare eundemque adeò magnum facere voluit, ut tripliciter magnus evaderet, magnus nimirum in ſanctitate, magnus in ſapientiâ & magnus in gloriâ, per quas magnitudines adeò vaſtus & magnus evaſit, ut id nulla poſſit lingua humana explicare: *Magnus certè*, inquit S. Auguſtinus ubi ſupra, *in vita excellentiſſima ſanctitate magnus in ſapientia ineffabilis profunditate, magnus in majoris gloriæ quantitate Quomodo patefaceret mea lingua, cum præcipuæ cunctorum non ſufficerent mortalium linguæ, ut ejus excellentiam explicarent?* Imò ad ſtuporem uſque adeò magnus fuit, ut, cum Auguſtinus magnitudinem ejus humanâ linguâ explicari minime poſſe dicat, Euſebius ubi ſupra adjungat, quod illam ne Angelicæ quidem linguæ explicare aut enarrare ſufficiant: *ſi linguis hominum loquerer & Angelorum, ſuum laudandi genus nunquam attingerem.* Qualis igitur & quanta eſſe debuit S. Hieronymi magnitudo, quam ne Angelicæ quidem linguæ explicare ſufficiunt?

18. Poſtquam ſervus Joſephi Patriarchæ redeuntes aſſecutus fuiſſet filios Jacob, atque in junioris, Beniamini nimirum ſacco, ſcyphum illum depræhendiſſet, quem è domo Domini ſui furto ſublatum eſſe fingebat, iiſdem, Gen 44. v.5. dixit: *Scyphus, quem furati eſtis, ipſe eſt, in quo bibit Dominus meus, in quo augurari ſolet, peſſimam*

mam

*mam rem feciſti.* Quaſi diceret: ſcitiſnè quale & quantum ſit furtum illud quod adeò temerè perpetraſtis? Non ſolum furati eſtis vas quoddam argenteum, è quo bibere ſolebat Dominus, ſed quod plus eſt, & furtum veſtrum incredibiliter adauget: vas illud ſuſtuliſtis, in quo Dominus meus augurari, eaque quæ occulta ſunt & ſecreta aliis manifeſtare conſuevit. Quodnam obſecro vas illud fuiſſe dicemus? Num fortè Apollinis Tripodem, ad quam veluti ad maximum & infallibile mundi oraculum, omnes paſſim homines, ut res occultas atque ad intelligendum difficiles cognoſcere poſſent confugere ſolebant? Hebræi dicunt, quod, dum Joſeph fratres ſuos, ab iiſdem nondum cognitus, ad menſam invitaſſet, ut eoſdem ordinatè ſecundum tempus Nativitatis ſingulorum, ſedere faceret, ſe verò rerum ad ipſos pertinentium minimè conſcium eſſe ſimularet, ſcyphum illum tetigerit, ſeque ſono illius vel vaſis tinnitu, quis inter illos primogenitus, quis ſecundogenitus, & ita deinceps, quis ultimus ad decimum uſque eſſet, clare cognoſcere poſſe finxerit. Et certè, ſi id quod magnus hic Patriarcha, juxta hanc traditionem, de hoc tali vaſe fingebat, verum fuiſſet, ob hoc certè inter vaſa ſummè admiranda cenſeri meruiſſet, adeò ut nec quodvis aurum, nec quodvis argentum, aut qualeſcunque alii mundi theſauri, argento illi potuiſſent comparari. Quodſi nos S. Hieronymum adhuc inter mortales degentem conſiderare ejuſque ſummam ſapientiam attendere velimus, illum profectò ſimile quoddam vas fuiſſe depræhendemus. Quis enim adeò eſt ignarus, qui neſciat, illum, quamdiu hic in terris nobiſcum vixit, publicum & famoſum quoddam fuiſſe totius Eccleſiæ Catholicæ oraculum? Quis ignorat cunctos ex omnibus mundi partibus Chriſtifideles, pro intelligendis occultiſſimis & difficillimis ſcripturæ locis, cunctorumque ſacroſanctæ Fidei noſtræ myſteriorum veritate eruendâ, ad ipſum, veluti ad oraculum quoddam, ſuum habuiſſe confugium? Quis eſt qui non ſciat S. Auguſtinum prodigioſum illud in ſcientiarum profunditate monſtrum, ſuas ſæpe cum S. Hieronymo contuliſſe difficultates, qui tamen ad alios ab Hieronymo nunquam recurriſſe legitur? Num fortè Damaſus ejus temporis ſedens ſummus Pontifex ad alium in arduis ſanctæ fidei dubiis recurrit? Nequaquam. *Tanquam oraculum ex omnibus terræ partibus, ad ipſum Divinæ Scripturæ explicandæ quæſtiones deferebantur. Illum Damaſus Pontifex, illum S. Auguſtinus, de locis ſcripturæ difficillimis ſæpè conſuluit, propter ejus ſingularem doctrinam,* inquit Eccleſia Romana in ſuo Breviario 30. Septembris.

19. In Epiſtola 103. quam S. Doctor ad Paulinum direxit, de Apollonio mentionem faciens refert quod ſciendi cupiditate accenſus ad extremas uſque Indias penetraverit, ibidemque ab Hiarcha, Philoſophorum regionis illius Principe, doctus fuerit, inter cætera hunc in modum ſcribit: *Pervenit ad Brachmanas, ut Hiarcham in throno ſedentem aureo, & de Tantali fonte potantem, inter paucos diſcipulos de naturâ, de moribus ſyderum, ac dierum curſu audiret docentem.* Quibus in verbis obſervandum præcipuè eſt, quod Hiarcham ex Tantali fonte potaſſe dicat, *de Tantali fonte potantem.* Id quod minimè verum fuiſſe videtur. Philoſtratus enim (cujus eſt hæc Hiſtoria) Hiarcham ex ſcypho, non verò ex Tantali fonte bibiſſe refert. Cur igitur S. Doctor illum non ex ſcypho, ſed ex Tantali fonte potaſſe dicit: Porrò quiſquis ad proprietatem vocis illius (Scyphus Tantali) bene attenderit, S. Doctorem omnis erroris expertem eſſe inveniet, quando illum fontem, non vero ſcyphum nominavit. Philiſtratus igitur hunc ſcyphum certo quodam liquore perpetuò abundaſſe ſcribit, quem tametſi quis ſemper bibebat, liquor ille tamen nec in ſcypho deficiebat, ne foris manabat. En ipſiſſima ejus in vita Apollonii lib. 3. verba: *oſtendit poſtea Apollonio Hiarchas ſtatuam Tantali manu phialam porrigentem, in hac perennis humor ita diſtillat, ut nunquam tamen foras exundet.* Unde quia phiala illa perpetuò ſcaturiebat, nec à potantibus unquam exhauriri aut evacuari poterat, ideò ſancto Doctori viſum fuit illam potius fontem, quam ſcyphum, aut phialam vocitare, cum fontis potius quam ſcyphi conditionem vas illud haberet, quod quantumvis potatum perpetuò ſcaturiebat. *Mihi videtur,* inquit Pierius lib. 56. *fontem dixiſſe Hieronymus,* ad vim illam uberem & inexhauſta oſtendendam cum liquor ille, veluti ex perenni fonte, manare quotidie videretur. Ex iis quæ hactenus circa hanc rem diximus, meritò etiam dubius hæreo, an S. Hieronymum vas, an vero fontem nominare debeam; Et quidem ut verum fatear, fontem potius appellandum illum eſſe judico, cum totus mundus ad hauriendas doctrinæ ſuæ aquas ad ipſum recurrat, ipſeque veluti fons quidam

uber-

uberrimus, qui exſiccari non potuit, omnibus ſatisfaciat. Vas quidem fuit, ſed vas admirabile, quod inſtar fontis cujuſdam abundabat pro omnibus, omnibus ſatisfaciebat, deerat nulli. *Vas admirabile.*

20. Quanti igitur vas, iſtud admirabile æſtimandum erat? adeò utique pretioſum fuit, ut meritò inæſtimabile ſit æſtimandum. Sciendum igitur eſt, quod Lv *Hieronymus*, non ſolùm, ut diximus, interpretetur *Sanctus*, etiam idem quod *Sacrum* ſignificet, ut vult Victorius glorioſiſſimus Doctor noſter vir ſacer, imò ſacroſanctus fuit. An non enim ſacrum cenſebitis, qui mundo relicto acceſſit ad Deum eique ſe dedicavit? An non dicendus eſt Sacer vir ille, qui ad aliud quam ad Sacræ Scripturæ lectionem & contemplationem minimè intendebat? An non ſacrum illum æſtimabitis, quia vivere & mori eo in loco voluit, quem unigenitus Dei filius ſuâ nativitate conſecravit? Verè & in nomine & in operibus ipſis ſacer fuit Hieronymus. Atque ideo cum vas hoc ſacrum fuerit, quali pretio, quali æſtimatione, qua compenſatione admirabile vas iſtud dignum non erit? *Res, attamen recipit æſtimationem*, inquit lex Juſtinianæa lege nona de Senatu. Nec omne aurum, nec omnes gemmæ, nec omnes, quos terra poſſidet, theſauri, cum admirabili vaſe iſthoc poterunt comparari. *Vas admirabile.*

21. Neque ſacratiſſimus Doctor alius quàm admirabilis eſſe poterat, cùm inſuper, uti Spiritus Sanctus ſubjungit, opus fuerit altiſſimi. *Vas admirabile opus excelſi*, cujus opera ſummè ſunt admiranda, teſte Davide qui Pſal. 38 v. 14. Deo dicebat: *Mirabilia opera tua.* Noſtine rationem aſſignare, cur David Pſal. 77. v. 20 manna panem vocet Angelorum: *Panem Angelorum manducavit homo.* Fortè id ideo dici reſpondebitis, quia nimirum, Angeli manna cibantur & paſcuntur; atque ideo ſicut panis, quo nutriuntur Principes, Principum panis vocatur, ita quoque panis ille, quo Angeli nutriuntur, panis dicitur eſſe Angelorum. Toto cælo fallimini; neque enim Angeli cibo indigent, ſicuti homines; neque manna neque aliud quidvis, unde nos nutrimus, ipſi manducant. Vera igitur hujus Epitheti ratio eſt, quod ſcilicet hoc nomine manna vocetur, ad ſignificandum mannæ cibum eſſe valde ſingularem, eximium, & admirabilem. Quæcunque enim Angelis attribuuntur, atque ab illorum manibus proficiſcuntur ſingularia prorſus, eximiaque ſunt, & valdè admirabilia; atque ideo David, ut inſinuaret, manna cibum eſſe, uti ex ipſo quoque nomine conſtat, admirabilem & eximium, illud vocat, *Panem Angelorum.* Ita hunc locum Genebrardus in Pſalm. 77 explicat, dicens: *Manna dicitur cibus Angelorum, id eſt, cibus eximius & ſingularis; cum Angelis tribuantur ſingularia & admiranda.* Quonam per hæc omnia me collimare cenſetis, hanc nimirum ex iis omnibus elicere volo conſequentiam; quod ſi manna, eo quod opus ſit Angelorum opus cenſetur ſingulare & admirabile, quam igitur eſſe debebunt ſingularia & admirabilia Dei opera, qui Angelorum eſt Dominus? quam ſingularis, eximius, & admirabilis eſſe debebit S. Hieronymus, qui ſpeciale Dei opus eſt, *Opus excelſi*? qui opus eſt ejus, qui præ omnibus Angelis, omnibus mundi creaturis plura novit & facere prævalet? Adeò admirabilis & ſingularis fuit glorioſiſſimus hic Doctor noſter, ut S. Auguſtinus de eo ubi ſupra dicere non dubitarit: *Æqualem ſibi neminem unquam novimus.*

22. Verba illa: *Opus excelſi*: benè & cum debita attentione ponderando, invenietis, quod per illa haud obſcurè inſinuetur, Hieronymum ſublimè Dei opus eſſe, quod nemo hactenus aſſequi potuit, quod nullus homo, nullus artifex, quantumvis ille peritus ſit & famoſus, imò nec ullus Angelus hactenus potuit imitari. invidere illi potius quàm eum imitari poſſunt, adeò eum Deus exaltavit, quando illum fecit Quaſi quædam Zeuxis Penelope, de qua, ob ſummam ejus excellentiam communiter dicebatur. *Inviſurum aliquem facilius ei, quàm eam imitaturum*, ut refert Raviſius in officina de Pictor. Talis verè in hac vita viſus eſt eſſe S. Hieronymus Ipſe namque opus quoddam fuit adeò ſingulare, & vir adeò ſtupendus ut ne maximum quidem Auguſtini ingenium eum imitari, ne dicam aſſequi potuerit. Audite enim quidnam is Epiſt. 113. dicat: *Neque in me tantum ſcientia ſcripturarum divinarum eſt aut eſſe jam poterit, quantum ineſſe tibi video.* Quaſi diceret: Ingenuè & apertè confiteor, me nec eſſe poſſe tibi in doctrina ſimilem. Quis igitur Hieronymum imitari, quem nec ipſummet imitari potuit ſapientiæ monſtrum. Atque ideo cum S Doctorem noſtrum nemo imitari potuit, multorum invidiam, non ſolùm Ruffini, pluriumque aliorum hæreticorum, verum etiam non paucorum Catholicorum, in ſe concitavit. *Vas admirabile, opus excelſi.*

23. Verum inquies, cum omnes ſancti opera

ſint Dei (ideo namque Deus, ut ſanctos operā manuum ſuarum eſſe demonſtret, eoſdem in manu ſua tenet Sap. 3 v. 1. *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt*) cur igitur S. Hieronymus, ſpecialiter opus Dei vocatur, cum ſatis conſtet quod eo ipſo quo ſanctus eſt, opus quoque ſit Dei, non verò alterius creaturæ, cum nemo aliquem ſanctum facere poſſit, præterquam ſolus Deus? Nimirum ut immenſam ſanctitatis ſuæ, meriti ſui, & gloriæ ſuæ, demonſtret magnitudinem, cui quævis alia ſanctitas, meritum & gloria, veluti cedere debeat. Quia enim ea, quæ à Deo fiunt, eſſe non poſſunt alia quam immenſa, illuſtria, & magnifica, ideo Hebræi quando rem aliquam proponere volebant tanquam eximiam valdèque illuſtrem, illam aliquod Dei appellare ſolebant. Sic, exempli gratia, Moyſes Sodomæ Regionem deſcripturus, tanquam famoſam, ſingularem, magnam, illuſtrem, totiuſque mundi fertiliſſimam, illam Paradiſum Dei appellat Gen 13 v. 10 *Sicut Paradiſus Domini.* David quoque Pſal. 67 v. 16 montem quendam magnum & altum deſcribere volens, illum montem Dei appellat: *Mons Dei, mons pinguis.* Chriſtus quoque demonſtrare volens homines pacificos magnos eſſe & illuſtres, eoſdem filios Dei vocat Matth. 5. v. 9 *Beati pacifici, quoniam Filii Dei vocabuntur* Ita hoc ipſum Paulus de Palatio in cap. 5. Matth exponit, dicens: *Apud Hebræos quævis res, cum aſſeritur grandis & illuſtris, dicitur Dei, ut omnes Dei, &c* Ut igitur magnitudo & excellentia ſanctitatis, meriti & gloriæ S. Hieronym. clarè inſinuetur, ipſe haud ſecus, ac ſi Deus alium præter ipſum, non feciſſet ſanctum opus Dei nominatur: *Opus excelſi.* Adeò fuerunt eximia & excellentia ejus privilegia; ut non immeritò cum magno Chriſti præcurſore Joanne Baptiſta valeat comparari, qui neminem in hoc mundo habuit æqualem, ei inquam, de quo Chriſtus Matth. 11 v. 11 dicit: *Non ſurrexit inter natos mulierum major Ioanne Baptiſta* Audite de hoc ſancto Doctore noſtro loquentem S. Auguſtinum ubi ſupra: *Secura mente, omni depulſa formidine, Ioannem Baptiſtam Hieronymo æqualem facimus* Magnum igitur vas, vir longè maximus, maximumque Dei opus fuit ille, qui ob incredibilem ſeu excellentiam & magnitudinem æqualis eſſe meruit ei, qui majorem in mundo nequaquam habuit *Vas admirabile, opus excelſi.*

Hic igitur eſt vas illud admirabile, quod Deus ad majorem nominis ſui gloriam, & in ſingulari hominum formare dignatus eſt ſubſidium, quod non minori ſanctitate, quam ſapientia donavit, & adimplevit, ac demum in Paradiſum ad digniſſimas cæleſtis beatitudinis ſedes evexit & tranſtulit. Ubi ipſum Deum pro nobis exorare credendum eſt, pro quibus, ob eximium erga nos amorem in continuis laboribus & ærumnis vixit, ut bonorum illorum, ad quæ nos ſcribendo, orando & operando diſpoſuit, fieri mereamur participes. Amen.

(*.*)

# PANEGYRICVS XLV.

## De S. FRANCISCO Patriarcha Seraphico Ordinis Minorum.

## THEMA.

Species quarti ſimilis Filio Dei.[1]
Dan. 3. v. 92.

## ARGVMENTVM.

*Qui S Franciſcum Seraphicum illum Patriarcham, in terra videre meruit, dicere poteſt ſe Chriſtum Redemptorem noſtrum, repetita vice de Cælo deſcendentem conſpexiſſe.*

1. QUatuor illi famoſi juvenes quos Nabuchodonoſor Rex in fornace Babylonicâ ſolutos, & ab incendio intactos vidit, ex mente S. & Seraphici Doctoris S. Bonaventuræ, quatuor ſignificant Patriarchas fundatores & Patronos, quatuor florentiſſimarum Religionum quæ ſunt in mundo, Benedictum videlicet. Caſſinenſium fundatorem: Auguſtinum fundatorem Auguſtinianorum, Dominicum fundatorem Ordinis Prædicatorum, & Franciſcum fundatorem & Patriarcham ſacri Ordinis Minorum. Mundus hoc ex ſpeciali ipſorum privilegio, a tot obligationum vinculis, quod mundus ſuos conſtrictos tenet, ſolutos vidit. & ab igne prorſus intactos; ab igne inquam, tum cupiditatis & avaritiæ, utpote, qui omnibus quæ poſſidebant, aut habere poterant, renuntiarunt: tum concupiſcentiæ & luxuriæ, utpote qui vitam potius Angelicam, quam humanam inter homines devixerunt. Ex eo autem quod tribus prioribus in effigie & ſpecie humana apparentibus, quartus Chriſti Jeſu, Filii Dei & Domini noſtri ſpeciem & figuram præ ſe tulerit Dan. 3. v. 9. *Species quarti ſimilis filio Dei*, gratia illa particularis quam Deus S. Franciſco Patriarchæ dignatus eſt facere, clare dignoſcitur, Franciſcus enim, ob eximium illud & ſingulare, ſacratiſſimorum ſibi impreſſorum Chriſti vulnerum, privilegium, à Deo tantâ fuit excellētia decoratus, ut iam non amplius is, qui ante fuerat, ſed quidam eſſe videretur Chriſtus Dei Filius: *Hos quatuor viros*, inquit S. Doctor ſerm. 1. de S. Franciſco, *intelligere poſſumus quatuor*

*ſanctos Religionis inſtitutores & Patronos videlicet, Auguſtinum, Benedictum, Dominicum & Franciſcum. Iſti quatuor fuerunt viri ſoluti & illæſi. Sed ſpecies quarti ſingulariter ſimilis fuit filio Dei, in confirmatione ſtigmatum.* Cum igitur de tribus prius ample diſſeruerimus, & Auguſtinum ſolem Benedictum, quoddam in terris miraculum, Dominicum denique Cherubinum fuiſſe prolixius oſtenderimus, nunc reliquum eſt, ut S. Franciſcum quendam in hoc mundo Chriſtum, ideo à Deo ſupra omnem modum exaltatum fuiſſe oſtendamus.

2. Obſervandum eſt igitur inprimis Seraphicum hunc Patriarcham Nabuchodonoſori filio Dei viſum fuiſſe ſimilem, cum intra fornacem ardebat, non verò dum extra fornacem & ignem conſtitutus erat: *Species quarti ſimilis filio Dei.* Dic Sodes, quænam ſit ratio quod S. Franciſcus tunc tantum Chriſto ſimilis fuiſſe viſus ſit, quando in fornace ardebat, non verò, dum extra fornacem conſtitutus, ab igne prorſus immunis erat? Nimirum ut per hoc inſinuaretur, ſimilitudinem hanc admirabilem ab eo, quo erga Jeſum Chriſtum Dominum ſuum ardebat, flagrantiſſimo amore procedere In tantum enim Franciſcus Chriſtus quidam eſſe apparuit, in quantum ardentiſſimo erga Chriſtum amore exarſit. Pro meliori hujus intelligentia velim attendatis, quod de Chriſto Joan. 1. v. 10 dicitur: *In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit.* Quidnam obſecro, verba hæc innuere volunt? Ergone mundus inſtar hominis alicujus, animam aliquam habet & intellectum, ut proinde de eo veluti cognitionis capace, nec tamen Dominum ſuum cognoſcente dicatur: *In mundo erat, & mundus eum non cognovit*? Ergone Joannes confirmare vult illorum Philoſophorum qui mundum animatum eſſe volebant ſtultam opinionem? Etenim Evangeliſta per mundum non viſibilem hunc mundi globum, ſed homines qui ſunt in mundo intelligit, qui ob vehementem amorem, quo mundo adhærentur, facti ſunt mundus & mundus vocantur Quia enim amor hanc in ſe habet virtutem, ut amantem in objectum transformet amatum, ideo homines mundani mundum amantes mundus aliquis fiunt, ſicuti homines ſpirituales, in Deum transformantur, dum diligunt Deum *Homines mali, & mundus vocantur,* inquit S. Auguſtinus ſerm. 24. de temp. *inde acceperunt nomen ex eo, quod amant; amando Deum efficiuntur Dei, amando mundum mundus dicuntur* Hinc igitur colligimus, quod amor amantem in rem transformet amatam. Cum igitur hac amor virtute & efficaciâ polleat, ideoque Deus ob amorem quo proſequebatur hominem, factus ſit homo, conſequens eſt, ut homo ob amorem quo erga Deum ardet, quidam ſuo modo Deus evadat. *Etenim amor convertit amantem in id quod amat; ut igitur ita Deus dilexit hominem, ut efficeretur homo, ita æquum eſt, ſi nos Deum diligere, ut Dii quidam efficiamur,* inquit Paulus de Palatio in cap. 2 Matth. Quis autem amorem iſtum, quo Seraphicus noſter Patriarcha, erga Chriſtum ſuum exarſit, explicare ſufficienter poterit? Adeò namque huic erat ſummo bono affectus, ut vivus quidam eſſe carbo videretur, in ardenti quadam fornace expoſitus: *Charitatem ferventem, qua ſponſi amicus Franciſcus ardebat,* inquit Bonavent. in vita S. Franciſci cap. 9. *quis enarrare ſufficiat? Totus namque quaſi quidam carbo ignitus, divini amoris flamma videbatur abſorptus;* unde Franciſcum, veluti ardentiſſimum Chriſti amatorem, in Chriſtum transformari, & quendam veluti Chriſtum fieri, neceſſum erat: *Chriſti amor in eandem imaginem Chriſti transformavit amantem Franciſcum,* ſubdit idem Doctor.

3. S. Bernardinus parte ſecunda ſermone ſexageſimo articulo ſecundo capite ſecundo cum S. Bonaventura exiſtimat, S Franciſcum Patriarcham, Chriſtum crucifixum, veluti quendam Myrrhæ faſciculum, in intimo cordis ſui ſinu portaſſe continuò: *Chriſtus Ieſus crucifixus, intra mentis B. Franciſci ubera, ut myrrhæ faſciculus, mirabiliter atque jugiter morabatur* Unde Franciſcus tanti ſe boni compotem factum fuiſſe videns gloriari & cum ſponſa dicere poterat: Canticorum capite primo verſu duodecimo. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur.* Surdum nequaquam illis dilecti verbis auditum præbuit, dicentis Cantic. 8. verſu 6. *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum* Chriſtum crucifixum in corde ſuo utique habebat, quando nullus ei de re alia, quam de Chriſto crucifixo, ſermo erat: *Ea quæ ſunt in voce ſunt notæ earum paſſionum, quæ ſunt in anima;* inquit Philoſophus Ariſtoteles lib. 1 Peryhermenias Verum enimverò, quidnam in Franciſco, illa Chriſti continua, in corde Franciſci, præſentia operari debuit aliud, quam admirabilem Franciſci, in Chriſtum transformationem: Quia enim cor Franciſci, ut idem Bernardinus ubi ſupra affirmat, cereum erat: *Factum*

*Etum eſt cor ejus quaſi cera liqueſcens* vix divino illo
erat igne repletus, cum ecce ſubitò liquefactus
fuit, & ita prorſus colliquefactus, ut priſtinam
formam ſuam delerens, fuerit in divinum illud
ſigillum transfuſus, ejuſque proindè tam in cor-
pore quam in animâ fuerit forma inſignitus. Id-
que aliter fieri nequaquam poterat quia *cera mu-*
*tat diſpoſitionem ſuam & figuram ſuam ad diſpoſitionem*
*ſigilli, quod ei imprimitur & ſigillo ſimilis efficitur*, ut
ſcribit Petrus Berchorius p 3.v.Similitudo.Un
de Franciſcus hoc modo in Chriſtum transfor
matus non jam deinceps Franciſcus, ſed Chriſtus
quidam fuit *Tali liquefactus ardore*, ſcribit Bernar-
dinus ubi ſupra: *mente & carne totus defluxit intra*
*ſculpturam vulneris apparentis Ieſu & amans in a-*
*manum per vim hujus amoris, transformatus eſt.*

4. Adeò ingens erat Sponſæ Chriſtum dile-
ctum ſuum amplectendi deſiderium, ut cum id
ipſum diutius diſſimulare non poſſet, eidem au-
dacter & confidenter dixerit Cant 1 v.1 *Oſcule-*
*tur me oſculo oris ſui*; quia dixiſſet: Niſi tu, ô ſum-
me dilectum ſummum bonum meum, me ore
tuo oſculari dignatus fueris, nullum in labori-
bus meis remedium, nec aliquam lacrimarum
mearum invenire conſolationem potero Verum
enimvero, quonam fine oſculum iſtud, tam ar-
denter deſiderabat? Nimirum ut in Chriſtum
dilectum ſuum transformari poſſet, & Chriſto
ſic per oſculum iſtud in ipſam transfuſo & com-
mutato ipſa jam non amplius ipſa, ſed Chriſtus
eſſet. *Os in homine*, inquit Cyprianus Monachus
in cap.1.Cant.*præcipuum eſt animi veſtibulum, ac fe-*
*neſtra, per quam ſolet animus ſeipſam inſinuare, &*
*quodammodo in rem amatam transfundere* Nomine
*itaque oſculi commutationem iſtam & transformatio-*
*nem dicimus*. Et quidem deſiderium iſtud clarius
explicatum fuit Cant.7.v.10 ubi ſponſa ajebat:
*Ego dilecto meo, & ad me converſio ejus*, quaſi dicere
voluiſſet, inquit Hugo Cardinal.in cap 7. Cant.
utinam Sponſus meus, unicum animæ delitium,
mihi proximus fiat, meque ſancti ac divini oſculi
ſui participem reddat; *ut in me ſuam imaginem re-*
*cognoſcat, me convertendo ad ipſum*. In his porrò duo
bus ſcripturæ locis ſponſa ſanctum Franciſcum
Patriarcham Seraphicum ad vivum repræſentaſ-
ſe videtur. Quam enim ardenter conſolationis
hujus cupidus fuit? quantoperè oſculum iſtud
deſideravit? Quoties ut tanto fieret favore di-
gnus, aut ſanctiſſimam Cælorum Reginam con-
fugit? Donec tandem exaudiri meruit. Cum e-
nim quodam die, circa veſperum, exceſſivo
quodam corriperetur hujus oſculi deſiderio,
Beata Virgo Divinum Infantulum ſuum Jeſum,
in ſinu ſuo portans ei apparuit, eique hunc dile-
ctum filium ſuum, ut eum tota nocte ſecum re-
tinere, innumeraque ei pro libitu & arbitrio ſuo
infigere oſcula poſſet, indulſit: *Dum oraret Vir-*
*ginem, ut ſibi conſolationem de Ieſu parvulo faceret;*
*Virgo ipſa pulcherrima aſtitit, & in brachiis Beati*
*Franciſci, puerum ſuum à principio noctis, uſque ad*
*diem tenendum & oſculandum præbuit*, uti refert
Bartholomæus Piſanus in lib. Confirmit. in 2.
Prologo. Cum igitur Chriſtus tot mediantibus
oſculis, in Franciſcum fuerit transfuſus, utique
Franciſcus in Chriſtum transformari, nec jam
deinceps idem qui antea erat manere, ſed Chri-
ſtus adeo ardenter ab ipſo dilectus, tantaque
cum ſuavitate innumeris ab ipſo oſculis diſſua-
viatus fieri debuit.

5. Eccleſia Franciſcana Seraphicum Sponſum
& Patrem ſuum ſalutans, dicit: *Salve ſancte Pa-*
*ter, patriæ lux, forma Minorum, virtutis ſpeculum, &c.*
Quibus in verbis obſervandum, quod inter alia
encomiorum epitheta, quibus illum in hac ſalu-
tatione exornat, illum ſpeculum appellet virtu-
tis, id eſt, Chriſti, quem Apoſtolus 1. Corinth.
1. verſ.24. *Dei virtutem & ſapientiam nominat*. Cur
autem illum vocat Chriſti ſpeculum? Quia ſci-
licet Chriſti (quem is adeò ardenter in terris
dilexerat, & hodiedum amat in cælis) in ipſo i-
maginem conſpexit & recognovit Anima nam-
que amantis, perlucidum quoddam eſt ſpecu-
lum, quod rei amatæ imaginem naturaliter &
ad vivum repræſentat: *Fiat amantis animus ſpe-*
*culum, in quo amati relucet imago*, inquit Marſilius
Ficinus Comment.in Conviv.Platonis Sanctum
igitur Franciſcum, imaginem quandam, ſeu ſta-
tuam & figuram Chriſti appellare volens, illum
ſpeculum quoddam eſſe dixit: *virtutis ſpeculum.*
Verum dicat aliquis, quodſi Franciſcanorum
Eccleſia, illum imaginem, ſeu ſtatuam & figu-
ram Chriſti eſſe dicere voluit, cur illum non
ſtatuam vel figuram aut imaginem, ſed ſpeculum
Chriſti appellavit? Ut nimirum Franciſcum
Chriſtum adeò vivaciter repræſentaſſe inſinua-
ret, ut majori illum cum proprietate referre mi-
nimè potuiſſet. Quodſi enim illum ſtatuam
Chriſti vocaſſet, ipſum non potuiſſet proponere
veluti Chriſtum adeò vivaciter & naturaliter
repræſentantem, prouti illum proponit, dum
ipſum ſpeculum nominat. Tametſi enim ſtatua
ex cera, creta, ære, aut alia quavis materiâ, tanto

 cum

cum ſtudio, tantoque tempore elaborata hominem aliqualiter repræſentet, ad cujus eſt ſimilitudinem facta, numquam tamen adeò vivaciter repræſentare poterit, ejus ad vivum exprimendo colores, vivacitatem, & motum explicando, uti illum in unico ictu oculi ſpeculum proponit. *Quippe in omnibus faciundis imaginibus, opera diutino ſumitur tempore, neque tamen ſimilitudo, aquè ac in ſpeculis comparet*, inquit Apulejus Apolog. 1. *Deeſt enim & luto vigor, & ſaxo color, & picturæ rigor, & motus omnibus, quæ præcipua fide ſimilitudinem repræſentant.* Non igitur Franciſcus, quædam fuit Chriſti ſtatua vel imago, ſed ſpeculum: *Virtutis ſpeculum.* Ubicunque poſſibile erat, Dominum ſuum adeò naturaliter & ad vivum repræſentabat, ut veluti alter quidam iteratâ vice de cælo ad terram digreſſus videretur eſſe Chriſtus.

6. Apoſtolus ad Galathas cap. 2. v. 20. ſcribens dicit: *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Chriſtus*, quaſi diceret: ſcitote ô Galathæ, quod deinceps ego jam non ſim Paulus, licet talis eſſe videar, ſed in Chriſtum converſus; *Chriſti accepi Deitatem*, & ideo *quidam Chriſtus ego* inquit Paulus à Palatio in cap. 5. Matth. Verùm enimverò, quonam artificio, id Paulus obtinere potuit, ut ipſe jam non Paulus eſſet, ſed Chriſtus fieret? Artificio utiq; orationis & contemplationis, & quia ante Chriſtum, velutì antè ſpeculum quoddam conſtitutus apparebat: *Nos verò revelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur*, inquit 2. ad Cor. 3. v. 18 quaſi clarius dicere voluiſſet, inquit idem Doctor: *Nos ſumus ſpeculum limpidum, quod Deitatem in ſe ſuſcepit, eamque vivam reddit imaginem.* Quod ſi igitur S. Paulus quidam factus eſt Chriſtus, quia contemplabatur Chriſtum: Sanctus quoque Franciſcus, quia animæ ſuæ oculos, in nullum aliud objectum quam in Chriſtum habebat defixos, Chriſtus quidam fieri debuit: *Ambulans, & ſedens: intus & foris laborans & vacans, orationi adeo erat intentus, ut illi videretur, non ſolùm quicquid erat in eo cordis & corporis, verum etiam operis & temporis dedicaſſe. Sine intermiſſione orans, ſpiritum Deo contendebat exhibere præſentem*, ut refert S. Bonaventura in vita S. Franciſci cap. 10. Denique quia ipſum ab oratione revertentem non ipſum, ſed in alterum virum commutatum fuiſſe ſubjungit: *Quando à privatis orationibus redibat, in virum alterum mutabatur*, utiq; ipſum non in alium, quam Chriſtum converſum fuiſſe vult dicere, coram quo, veluti terſo quodam ſpeculo, ſemper & continuò hærebat.

7. Porrò quia nova forma, ſine prioris corruptione introduci non poteſt, neque enim aurifex, ex paropſide phialam facere valet, niſi phialæ forma prius ab argento ſublata; ideo quando Deus Franciſcum, in Chriſtum commutare illique Chriſti volebat formam imprimere, opus erat ut priùs ipſe moreretur, poſtea verò in ipſo viveret Chriſtus: ſicuti ad hoc ut Chriſtus in Paulo viveret, & Paulus quidam in terra Chriſtus fieret, Paulum quoque mori neceſſarium fuit. Verum ehem quid dicis? Ergone mortuus eſt Franciſcus, ut imaginis Chriſti capax fieret? Imò verò, mortuus eſt: quia enim ardens Dei amator erat, mori neceſſario debebat: *Moritur enim qui amat* inquit Marſilius Ficinus, ubi ſupra. Adeò Franciſcus, dum in terris viveret, mortuus erat, ut inſenſibile quoddam ad mundi negotia cadaver habere videretur: *Iam ad terrena foris deſideria per Chriſti charitatem totus erat inſenſibilis factus*, inquit ubi ſupra S. Bonaventura. Ut divinus ipſum in Chriſtum transformaturus amor, ad ſtupendam hanc transformationem eum diſponeret, prius illum mortificavit, & proprium in eo ſpiritum occidit. Vultiſne ut Franciſcum mortuum eſſe, certò & efficaciter vobis perſuadeam? Reſpicite ad veſtis ſuæ cinereum colorem, ex nigro & albo permixtum, qui Phæus color dicitur, hic enim color mortuum repræſentat. *Hic color*, uti Cælius lib. 23. cap 8 ſcribit, *olim mortuorum color erat.* Et quidem ut hunc mortuorum colorem eſſe intelligat, cinerem, qui mortem repræſentat, aſpexiſſe ſufficiat, ad quem homo, Eccleſia teſte, ſumma cum feſtinatione decurrit.

8. Satis ſuperque conſtat, Angelum illum, ſub cujus forma Chriſtus S. Franciſco in monte Alverniæ apparuit, eumque ſuâ imagine exornavit, Seraphim quendam fuiſſe: *Calorū candor ſplenduit, novum ſydus emicuit, ſacer Franciſcus claruit, cui Seraphim apparuit ſignans eum &c.* quotidiè in ejus honorem canimus. Quænā eſt ratio, quod Chriſtus, pro hujus executione operis, in Seraphica potius, quam Cherubica forma & ſpecie venire voluerit? In Cherubica potius forma venire debuiſſe videtur, ut divinam ſapientiam, id eſt, ſemetipſo (*Cherub* enim, *Scientia* interpretatur, perfectius repræſentaret. Cumque in Franciſco, utpote qui Chriſtus quidam fieri debebat, multiplicandus eſſet, in ſpecie quoque Cherubini exhiben-

hibendus erat, quod nomen etiam *multiplicans* interpretatur. Deniqueſcum Imaginem illam vivaciſſime & proprie expreſſurus, peritiſſimũ ſe, valdeque in ſimili opere faciendo, expertum Magiſtrum probaturus eſſet, in Cherubicâ ſpecie exhiberi debuit, *Cherub* namque etiam idem quod *Magiſter* ſignificat. Porro tametſi omnes hæ rationes adductæ valde ſint cõgruẽtes, nihilominus Chriſtus in Seraphicâ debuit ſpecie exhiberi (Seraphim enim quoddam cæleſtis amoris eſt ſymbolum) tum, ut ſemetipſum tantò magis ad vivum repræſentaret, qui ex amore noſtrum ardet, tum etiam, ut ſe in Franciſco multiplicandum eſſe innueret; Amor enim eſt, quo multiplicat homines, & ex uno duos facit; unde natum eſt Proverbium: *Amicus alter ego* Chriſtus in Seraphim non verò in Cherubim transformari debuit, quia ars transformandi amantem in rem amatam non pertinet ad ſcientiam, ſed ad amorem. *Anima non notitiâ, ſed amore in Deum transformatur*, inquit Bartholomæus Piſanus lib. 3 Conformit fruct 3 p. 2 & quia plus agit amor, quam notitia, ideò in tali ſpecie Chriſtus apparere dignatus eſt Ut Chriſtus Franciſco demonſtraret, quod amor ejus, ipſum in Chriſtum transformaret, ideò Seraphicam cæleſtis amoris formam in ſe ſuſcepit, & admirabile hoc in Franciſco facinus patrandum in terram deſcendit.

9. Chriſtus admirabile hoc opus, in Franciſco facturus, in Seraphicâ formâ demonſtrari neceſſariò debebat. Quiſquis enim Franciſcum conſiderat, qui ut Chriſtum repræſentaret, in tot corporis partibus transfoſſus, vulneratus, proprioque ſanguinis ſui colore tinctus & coloratus fuit, illum non aliud quam pretioſum quendam, pulchrumque & acu picturâ elaboratum fuiſſe tapetem, in quo acu divina, & phrygio opere Salvatoris imago explicatur, fateri debebit. Ipſe igitur hac ratione depictus illa Pſal. 138. juxta Symmachi Translationem verba dicere poterat: *Varie formatus ſum in finibus terræ*, id eſt, inquit Joan. Lorinus in Pſal. 138 *quaſi acupictum tapetum*, q. d. Sum pretioſum quoddam acu formatum & elaboratum & vulnerum, quibus Chriſtus in cælo ornatus conſpicitur, varietate decoratum aulæum. Sum Chriſtus quidam acus punctura depictus; adeò ut qui videt me, Chriſtum videre ſe credit: *Corpus & caro B. Franciſci*, inquit ubi ſupra Bartholomæus Piſanus. *eſt figura Jeſu Chriſti depicta, & figurata, ut videndo B Franciſcum, videatur Chriſtus.* Quia igitur acus qua ejuſmodi tapetes elaborantur & intexuntur, aliis quam Seraphim id eſt, amori minime conceditur (*vulneraſti cor meum ſoror mea* dicebat ſponſus ei quam diligebat) neceſſarium prorſus fuit, ut Chriſtus ſimilem picturam formaturus in formâ Seraphica, de cælo deſcenderet Amor enim in arte pingendi valdè eſt peritus & practicus, præcipuè verò in arte Chriſtum pingendi Crucifixũ: *Quam pulchras & quam decoras novit pingere formas dilectio!* inquit Petrus Abbas Cellenſis lib de Conſ *pingit Jeſum paſſum, pingit flagella in dorſo, pingit lanceam in latere.*

10 Porro ſciendum eſt, Angelum illum, qui Franciſco apparuit, non fuiſſe, uti nonnulli volunt, Seraphim quendam, ſed Chriſtum, qui à Malachia cap 3 v. 1. *Angelus Teſtamenti* dicitur S. Franciſcus filiorum ſuorum nonnemini dixiſſe fertur, ut refert Barthol. Piſanus ibid. *Scias quod ille, qui mihi tunc apparuit; non fuit Angelus, ſed Dominus meus Jeſus Chriſtus, in ſpecie Seraph.* Unde colligitur quod amor Chriſtum in Franciſco abſoluturus, eundem Chriſtum præſentem quoque eſſe voluerit. Quamobrem? ut nimirum, illum cum omni poſſibili proprietate ad vivum delinearet. Nunquid ſcitis quod pictor aliquis, quantumvis in arte ſua peritus & doctus, quadrum, vel tabulam aliquam imitaturus, vel decopiaturus, originale ipſum, ſibi ob oculos reponi poſtulet? *Pictores quando volunt extrahere aliquam imaginem ponunt illam ante ſe*, inquit S. Vincentius ſerm. de SS. Simone & Juda. Atque ideò amor divinum Chriſtum quendam vivum & verum, & naturaliter ſecundum omnes proprietates expreſſum, qui in nulla prorſus re, à Chriſto differret, in Franciſco formare volens, ne aliqua in re delineanda deficeret, Chriſtum voluit ante oculos ſuos habere præſentem Quod ſi Apelles Venerem depingens, eandem habuiſſet præſentem, utique à Sutoris vel Calcearii illius, quoad calceorum picturam minimè paſſus fuiſſet cenſuram.

11 Enimvero quoddam hic mihi dubium enaſcitur, videlicet; Ex quo divinus amor in Franciſco Chriſti imaginem depinxit & Chriſti quidem Crucifixi, ideoque ei in pedibus, manibus, & pectore vulnera ad eum modũ formavit, quo Chriſtus ea habuit ſuſpenſus in Cruce, cur Crucem illi adpingere intermiſit? video equidem in Franciſco Chriſti vulnera, ſed Crucem Chriſti, non video, quæ tamen requiritur ut fiat Chriſtus Crucifixus. Reſpondeo igitur. Quod ex quo amor Divinus ante illud tempus in Franciſco Crucem formaverat, nulla fuerit illius, nũc cir-

ca Franciſcum formandæ neceſſitas. Quid enim tot labores, ærumnæ, perſecutiones, & mortificationes, in quibus magnus hic Dei ſervus pro amore Dei ſemper vixerat, aliud quam Crux quædam fuere continuæ vigiliæ, pœnitentiæ, & abſtinentiæ, quibus ſe perpetuo affixerat, quid aliud quam Cruces dici merentur? Nunquid Crux quædam fuit veſtis illa vilis, modica, & aſpera, quam ad mortem uſque portavit? Quodſi ad ſolam veſtem D. Franciſci attenderitis, illam vere Crucem repræſentare reperietis. *O felix tunicula quæ Crucem figurat*, inquit de veſte S. Franciſci D. Bernardinus Diſp. inter mund. & Relig. Tom. 1. in princ. Refert Bartholomæus Piſanus lib. 1. Conformit. fructu 4. par. 2. quod magnus hic Dei ſervus Franciſcus ex Chriſti inſpiratione voluerit, ut veſtis ſua, in formâ Crucis repræſentaret figuram: *Ipſe enim à Chriſto edoctus, voluit habitum ſuum exteriorem Cruci conformem eſſe.* Amori igitur divino poſtquam Franciſcum tam viliter & abjectè veſtieras, tamque variis modis Cruci affixerat, ut ex illo Chriſtum quendam efformaret, ſufficiebat, ſi ſolos illi pedes, manus & pectus, aperiret & vulneraret.

12. Nonnulli ad majorem Seraphici Patris gloriam dicere ſolent, adeò verum eſſe, quod Franciſcus quidam in terra viſus fuerit eſſe Chriſtus, ut ſi quis Franciſcum veſte Chriſti, & Chriſtum veſte Franciſci induiſſet, Chriſtus haud dubiè æſtimandus fuiſſet Franciſcus, & Franciſcus ab omnibus pro Chriſto fuiſſet agnitus, cum nulla ſit alia inter utrumque præterquam ſolius veſtis differentia. Tanta erat inter Mirtillum bubulcum hominem rudem impexum & horridum, & Caſſium Severum famoſum oratorem, ſimilitudo, ut nullo alio ſigno, quam ſolo veſtis colore potuerint à ſe mutuo diſcerni ac dignoſci. *Armentarius Mirtillo & Caſſius Severus orator, ita ſe mutuo reddiderunt, ut ſi quando pariter viderentur, dignoſci non poſſent, niſi diſcrepantiam habitus indicarent*, ſcribit Solinus cap. 4. Mihi verò econtra videtur, quod qui videret Franciſcum & Chriſtum non jam nudos ſed veſtitos, nullum viſurus eſſet unum ab altero diſcernendi veſtigium, cum utriuſque veſtis, haud ſecus ac ſi una & eademmet veſtes fuiſſet, eodem prorſus fuerit tincta colore. Qui Chriſti veſtem inconſutilem quam B. Virgo propriis manibus Chriſto contexuit & formavit, quæque ſimul cum divino Chriſto corpore miraculosè crevit, viderunt, de eadem illam cineri ſeu birrettini coloris, cujuſmodi etiam eſt veſtis S. Franciſci, fuiſſe referunt: *Illa tunica inconſutilis*, ſcribit Bernardinus de Buſtis ſerm. 27. Roſarii de imitatione Chriſti *quam propriis manibus effecit B. Virgo Chriſto Domino, dum eſſet parvulus, quæ cum ipſo creſcente creſcebat, erat de colore birrettino: ſicut jurejurando teſtatus eſt Mediolani, Beatus Pater Baptiſta de Levando, Ordinis noſtri Generalis vicarius, quam vidit in quodam caſtro, ubi oſtenditur & conſervatur cum maximâ veneratione.* Quodſi quis dicat; Id quidem verum eſſe poſſe, nimirum quod Chriſtus uſus fuerit veſte, quæ veſti S. Franciſci fuerit ſimillima, ita tamen quod ambæ hæ veſtes, per cingulum, quo ſuccingebantur, facile à ſe invicem dignoſci patuerint, Franciſcus namque funes ſeu chorda ex reſtibus contextâ cinctus fuit, Chriſtus autem cingi fortaſſe potuit, cingulo quodam, ex pellibus, quale olim Eliæ cingulum erat, aut ex alia quadam vulgari materiâ confecto. Veruntamen ſciendum eſt, quod ſicut Chriſtus veſte uſus eſt, veſti S. Franciſci ſimillimâ, ita quoque cingulum habuerit ſimillimum illi, quo præcinctus fuit S. Franciſcus. Quidnam enim funes illos fuiſſe dices, unde flagellum illud formatum fuit, quo Chriſtus avaros è templo mercatores pepulit? Certe nihil aliud quam cingulum Chriſti quo præcingebatur, quod ad fœneratores illos è templo pellendos ſolvit & diſcinxit. *Dicunt aliqui:* ſcribit Nicolaus de Lyra in cap. 2. Joannis, *quod Chriſtus utebatur funiculo pro cingulo, & illum funiculum accepit, de quo erat præcinctus & ipſum duplicando fecit flagellum.* Adeò igitur Divinus amor Franciſcum Chriſto configurare voluit, ut non ſolum illi eundem dederit veſtis colorem, verum etiam cingulum prorſus idem, ne quicquam in illo eſſet, unde Chriſtus non perfectiſſime repræſentaretur.

13 Omnes ſancti, quotquot hodiè in cælo exiſtentes divinæ faciei fruuntur viſione, quaſi totidem ſunt in cælo Chriſti, in quales etiam transformandi erunt omnes illi, quotquot deinceps in glorioſum illud Regnum erunt ſublimandi. *Scimus enim quod cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt*, inquit S. Joan. Epiſt. 1. cap. 3. v. 2. Quando Deus nos gratia illâ dignabitur, ut ipſum clare videamus, omnes Chriſto ſimiles erimus, veluti totidem Chriſti. *Omnes erimus ſimiles filio Dei, in ætate & ſimilitudine*, inquit Bernardinus parte 2. ſerm. 68. Art. 3. cap. 2. Atque ideò quia Franciſcus eo tempore quo ſacris fuit ſtigmatibus inſignitus, ut vult Bartholomæus Piſanus ubi ſupra lib. 3. fruc. 3. p. 2.

Deum

Deum eodem modo facie ad faciem vidit, quo à Beatis videtur in cælis: *Regem gloriæ & beatitudinem vidit B. Franciſcus in ſtigmatizatione*, ideò conſequenter oportet dicere, Franciſcum non ſolum transformatum eſſe in Chriſtum Crucifixum, verum etiam in Chriſtum glorificatum. Ut hac ratione dum illum ex unâ parte Crucifixum, ex alterâ verò parte glorificatum repræſentat, illum quoad omnem ſtatum perfectiſſime exprimeret, taliſque fieret Chriſti effigies ad vivum efformata, quæ nulla prorſus in re, à ſuo originali diſcreparet.

14. Eo ipſo igitur quo Franciſcus adeò propriè, & ad vivum Chriſtum repræſentabat, duo in mundo tunc Chriſti erant, unus in cælo & alter in terra: Chriſtus in cælo & Franciſcus in terra. Quod ſi S. Joanni Chryſoſtomo Hom. 2. ad pop. dicere licuit, quod poſtquam Elias diſcipulo ſuo Eliſæo, una cum Cappa alba, duplicem largitus eſt ſpiritum, Elias quaſi duplicatus fuiſſe videatur, & in duobus diverſis locis conſtitutus, id eſt, tam in cælo quam in terra deorſum: *Erat duplex Elias ille, & erat ſurſum Elias & deorſum Elias*, haud immeritò ego quoque in præſenti dicere potero, quod ex quo Chriſtus Franciſco corporis ſui, quo veluti veſte quadam ejus tegebatur Divinitas, figuram donavit, mox duo quaſi Chriſti eſſe cæperint, unus ſurſum, alter deorſum; unus in cælo, alter in terra? unus in gloria beatorum, alter in valle lacrimarum. Unde terra in fæliciſſimo iſthoc ſæculo, cum cælo meritò contendere poterat, utpotè, quæ alium quendam in ſuo gremio Chriſtum habebat, quem cælum habebat in gloria.

15. Verè etenim tunc mundus duos Chriſtos habebat, unum quidem è Beata Virgine natum, alterum vero ad ſimilitudinem illius à Divina charitate formatum. Unum adeo ſpecioſum, ut in ſua formæ venuſtate eſſet invincibilis: alterum verò adeo naturaliter & propriè reſpondentem, ut dici mereatur inimitabilis. Apelles, ut Plutarchus refert Alexandrum Magnum adeò naturaliter, tantaque cum artis dexteritate & proprietate depinxerat, ut paſſim ab omnibus diceretur: *Duorum Alexandrorum alterum, Philippi, nullis viribus vincibilem*: alterum Apellis, nullo artificio imitabilem. Vere S. Franciſcus opus quoddam inimitabile extitit, poſtquam vulneribus Chriſti ornatus, & quidam veluti Chriſtus factus fuit. Deus deinceps ſimile opus nunquam facere voluit, ideoque ſolus & unicus, ſingularis & inimitabilis remanſit. *Faciet Deus nova quadam*, dicebat vice quadam miraculoſam hanc transformationem in ſpiritu prævidens Franciſcus, *qua nunquam faciet alicui Creaturæ*. Verum equidem eſt, glorioſiſſimam illam Virginem Catharinam Senenſem eadem poſtea fuiſſe pictura & ſimilitudine decoratam. Hæc autem admirabilis Virgo, quod mulier fuerit & Chriſti vulnera exterius nequaquam, ſed intus in anima tantùm habere voluerit, Beatam Virginem interius quando Chriſto Crucifixo aſſiſtebat, vulneratam & Crucifixam repræſentabit. Franciſcum autem velut unicum, ſingulare, & inimitabile Redemptoris mundi ſimulachrum, in mundo coli permittet.

16. Verum aliud hic mihi ſubnaſcitur dubium; ex quo, uti conſtat, omnes homines Dei imaginem referant; nemo enim ignorat quod Deus hominem formare volens Gen 1. v. 26. dixerit: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*; cum quali igitur fundamento Franciſcus ſolus, Deum repræſentare dicetur, cum Deum omnes per impreſſam illis ſimilitudinem referant, tam ii qui ſunt, quam qui fuerunt, & ad finem uſque mundi deinceps ſunt futuri? Hoc equidem inficiari nemo poterit, veruntamen ſciendum eſt, hanc repræſentationem omninò, ut ita loquar, imperfectam eſſe & incompletam, utpotè quæ in anima duntaxat, non verò in corpore conſiſtit. Sicut enim homo, in anima Deum refert, ita repræſentat in corpore beſtiam. *Anima noſtra*, inquit S. Ambroſius lib. 6. Hexam cap. 7. *ad imaginem Dei eſt, corpus autem ad ſpeciem beſtiarum*. In Franciſco autem econtra perfecta fuit & completa, diſtinctiſſimè namque tam in una quam in altera hominis parte, tam extrinſecus quam internè, tam in corpore, quam in anima Deum referebat. Franciſcus in animâ naturalem habuit Dei imaginem, in corpore quoque miraculoſam geſſit Chriſti figuram. *Magnum mirabile fuit*, inquit Bartholomæus Piſanus ubi ſupra: *Adam ad imaginem & ſimilitudinem Dei creare: ſed majus fuit B. Franciſcum, in ſuam imaginem perfectionalem & corporalem transformare: quia naturalem habuit ut Adam, & ultra illam, habuit alterum.*

17. Enimverò, quid dicemus, dum S. Paulum ad Galath. 6. v. 17. ſe vulneribus Chriſti decoratum fuiſſe, gloriantem audimus? *Ego enim ſtigmata Domini mei Ieſu in corpore meo porto*, inquit Apoſtolus. Cum igitur ſanctus hic Chriſti Apoſtolus, ſe in proprio ſuo corpore, Chriſti habuiſſe vulnera fateatur,

fateatur, Franciſcus in hoc privilegio tanquam ſolus & ſingularis prædicari minimè poterit. Ad hoc quidem Apoſtolum eo loco de S. & Seraphico P. Franciſco propheticè locutum fuiſſe, dici poſſet, utpotè, qui miraculoſa vulnera, & ſtupendam Franciſci transformationem, in ſpiritu clarè prævidit, uti hunc locum explicat Bartholomæus Piſanus lib. 1. Conform. fructu 1. p. 2. Aliò tamen mihi reſpondendum eſſe videtur; nimirum, quod licet Pauli corpus vulneratum fuerit, illa tamen vulnera, nequaquam propria Chriſti vulnera erant, ſed alia, quæ tamen Chriſti vulnera nominavit, eo quod illa pro Chriſto ſibi inflicta fuerint *Stigmata Ieſu*, Audite Nicolaum de Lyra in c. 6. ad Galath. *ſatis probabiliter poteſt dici, quod in corpore Pauli ſenſibiliter apparebant veſtigia plagarum & verborum pro Chriſto* Ubi notandum, quod non dicat, *veſtigia plagarum Chriſti*, ſed *pro Chriſto* In corpore autē S. Franciſci, non apparuerunt vulnera pro Chriſto, ſed vulnera Chriſti, ipſum quendam Chriſtum demonſtrantia In hoc igitur privilegio ſancto Patriarchæ noſtro nemo poterit aliorum æquari aut comparari, ſed ſolus fuit, ſingularis & inimitabilis.

18 Verum quidem eſt quod cum omnes ſancti membra ſint Chriſti (hic enim pedem, ille oculos, nonnemo manus, alius pectus, unus hanc, alius aliam in Chriſto partem conſtituit) omnes quoque unum Chriſti corpus, & unum quaſi Chriſtum componant, ad eum prorſus modum, quo membra noſtrum conſtituunt: *ſicuti enim*, inquit Apoſtolus ad Rom. 12. v 4. *in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent; ita multi unum corpus ſumus in Chriſto*; Unde & Paulus de Palatio in cap. 18. Matth. dicere non dubitavit: *Quia fideles ſunt membra corporis Chriſti, ſunt veluti quidam Chriſtus*. Diviſum tamen, & ſingulariter ſumpti ſancti Chriſtum conſtituere aut efformare nequaquam poſſunt. Quomodo enim poſſibile erit, quod unicum duntaxat membrum, corpus aliquod integrum facere poſſit ex tot tamque diverſis membris compoſitum? Veruntamen tametſi Chriſtus, a nomine ſanctorum ſuorum repræſentari hactenus potuerit, à ſolo tamen exprimi perfecte potuit Franciſco. Qua in re, Deus Magnum hunc ſervum ſuum eo voluit honore decoratum, quo omnes ſanctos ſuos collective ſumptos honorat, quaſi liquidè oſtendere volens, Franciſcum apud ſe in eodem eſſe pretio, in quo ſunt omnes ſancti collective ſumpti.

19. Quia is qui Sanctus eſt, atque ab omni culpa purgatus, haud ſecus ac ſi Deus quidam eſſet, perfectum quoddam eſt Dei ſimulachrum, teſte D. Gregorio Nyſſeno lib. de Beatitudine orat. 6. qui dicit: *Puritas enim & vitiorum affectuumque vacuitas, & ab omni malo alienatio, Deitas eſt*: & conſequenter omnis homo ſanctus, Deus ſimul ſit & homo, & conſequenter quidam ex Deitate & humanitate conſtans Chriſtus; optimè ſequitur unumquemque qui S. Franciſci Regulam illibatè, & exactè obſervavit, & etiamnum obſervat, futurum eſſe quendam inter nos mortales hic in terris viventem Chriſtum; quippè cum omnes Religioſi qui S. Franciſci Regulam verè obſervant, ſancti ſunt; S Vincentio Ferrerio teſte, qui ſerm. de S. Franciſco teſte de S. Franciſci Regula loquens, dicit: *Qui illam Regulam ſervat ſanctus eſt, & quando moritur poteſt canonizari*. Cum igitur omnis bonorum filiorum profectus Patri attribuatur, ſicut bonus ſagittæ jactus vel ictus, brachio attribuitus (cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati) evidenter ſequitur, hanc, quæ à ſingulis Franciſcanæ religionis integerrimis, Religioſis ſit, Chriſti repræſentationem, ſancto Franciſco tanquam cauſæ principali attribuendam eſſe. Quanta igitur cum proprietate, & quibuſcum coloribus & vivacitate Franciſcus Chriſtum repræſentabit, utpotè, qui cauſa eſt, quod tot aliæ animæ Chriſtum perfectè repræſentent? *Quod eſt cauſa aliorum, ut ſint talia*, inquit Philoſophus lib. 2 Metap *eſt maximè tale*.

20. Cant. 6. v. 12 Ubi nos legimus: *Revertere, revertere Sulamitis, ut intueamur te*, Philo Carpathius loco ultimorum verborum, legit: ut aſpiciamus in te. Obſervandum eſt autem quod illi quorum hæc ſunt verba, non petant ut eo fine revertatur ut ipſa ſponſa intueatur ipſo, ſed ut ipſi intueantur ſponſa, *ut aſpiciamus in te* Quidnam in muliere iſthac viſuri erant, quod adeò inſtanter in ipſam aſpicere deſiderant? Chriſtum, inquit idemmet Philo Carpathius in Cantica: *Aſpiciemus in te eum Chriſtum*. Adeò Deus, Chriſti ſui imaginem in Sponſa explicaverat, ut Chriſtum videre volentibus opus fuerit aſpicere in ipſam. Porro quia *Sulamitis*, idem ſignificat quod *mortificata*, per Sulamitem aliud nihil ſignificatur, quam anima & caro Seraphici Patris ſancti Franciſci; Qui quod mortificatus ſemper vixerit, cineritia ſemper veſte veſtiri voluit, quaſi eo tempore, quo inter vivos erat, nequaquam vivus, ſed extinctus fuiſſet & mortuus. Quod cum ita ſe habeat, ſatis

clarè

clarè liquet, quod ad Chriſtum videndum nullus alius requiratur ſanctus, quam Seraphicus Franciſcus; neque enim alicui aliorum prætérquam Franciſco dicitur: *Aſpiciemus in te Chriſtum.* Quaſi is vivacius & naturalius, verioribuſque cum coloribus, magiſque propriis lineamentis, Chriſtum exprimeret, utpote qui illum perfectiſſimè & in anima & in corpore repræſentat: *Videndo B. Franciſcum videtur Chriſtus*, inquit Bartholomæus Piſanus lib. 3. Conformit. fructu 3. pag. 1.

21. Credo equidem, quod, quotieſcunque anima Franciſci ærumnarum hujus vitæ, quibus continuò ſubjacebat, pertæſa, pro aliquali ſui recreatione, claram Chriſti dilecti ſui viſionem, cum Sponſa expetiit, Cant. cap 1. v. 6. dicens: *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi paſcas, ubi cubes in meridie*, ipſi à Chriſto iiſdem fuerit verbis reſponſum, quibus Sponſæ ibid v. 7. reſpondit, dicens: *Si ignoras te ô pulcherrima mulierum*: quaſi dicere voluiſſet: Me ſemper videbis, indeque conſolaberis, quotieſcunque temetipſum aſpexeris, quippe qui teipſum videndo meam quoque perſonam videbis, cùm tu expreſſimè mei ipſius referas imaginem: *Quæ petebat faciem, remittitur ad imaginem, quæ efflagitabat viſionem Dei, remittitur ad cognitionem ſui*, inquit in loci hujus explicatione B. Thomas à Villa Nova in Cant. Quaſi clariùs dixiſſet; Ad hoc ut me videas, tibi ſufficere debet, quod temetipſum, tuumque pariter corpus videns, cum ego in te non minus, quam in corpore perfectiſſimè expreſſus inveniar. *Remittitur ad imaginem.* Non dicit ei, ut alium aliquem ſui ſæculi ſanctum aſpiciat, qui in fortunato illo Franciſci ſæculo mundo minimè deerant, ſed ut ſemetipſam aſpiciat, utpotè perfectiſſimum & abſolutiſſimum, quod in terra reperiri queat Chriſti ſimulachrum. *Remittitur ad imaginem.*

22. De certo quodam Ordinis Minorum religioſo, qui ut S. Franciſcum aliquando videre poſſet, multo fuerat tempore percupidus, refertur; quod die quadam in ſpiritu elevatus, magnam quandam coram ſe tranſeuntem viderit proceſſionem, quæ ingentem complectebatur Confeſſorum, Martyrum & Apoſtolorum, aliorumque cælitum numerum, cumque inter alios à S. Michaele Archangelo, Franciſcum illis non adeſſe intellexiſſet, ab eodem Archangelo cum ſuſpiriis & lachrimis ubi S. Franciſcus, quem in eadem occaſione omnibus modis videre cupiebat, reperiri poſſet, ſcrutatus fuerit; Sanctus Michael autem pio huic religioſo compatiens, eundem ad Chriſtum perduxit; Qui ut ipſum conſolaretur, manum ſuam à divino latere ſuo ſubduxit, indeque Seraphicum Patriarcham prodire fecit. Quia vero pauperculus ille religioſus, ob exceſſivam quam viſione iſthac conceperat lætitiam, à ſenſibus abſtractus, S. Franciſcum, mox ut illum vidit, profunda ei facta reverentia ſalutavit, minimè advertens hunc reverentiæ & adorationis honorem Deo prius deberi, à Sancto Franciſco de commiſſo errore admonitus fuit; unde idem religioſus fune collo ſuo impoſito, ad Salvatoris pedes ſe proſternens, ſuumque errorem confeſſus, veniam ejus à Domino popoſcit. *Cum frater vidiſſet B. Franciſcum*, inquit Bartholomæus Piſanus ubi ſupra fructu 9. parte ſecunda *gaudio repletus cucurrit ad ipſum; cui Beatus Franciſcus dixit: Quid tu facis? habes hic Dominum Deum tuum. Quod Frater advertens poſuit chordam in collo, & ſe projecit ad pedes Domini Ieſu.* Tametſi equidem non ignorem hunc religioſum creaturæ creatore relicto reverentiam exhibentem haud parvum commiſiſſe errorem, videamus tamen an non aliquis hunc illius errorem legitimè excuſandi modus ſuperſit. Et quidem quantum mihi fas eſt intelligere, excuſari poſſe videtur dicendo, religioſum iſtum quando Franciſco ſuam, præſente Chriſto, fecit reverentiam, priuſquam debito adorationis honore affeciſſet Chriſtum, credidiſſe ſe Chriſtum adorare in Franciſco, utpote qui mediante Chriſti amore in Chriſtum erat transformatus. Et fortaſſe potuiſſet ab ipſamet Chriſto eodem prorſus modo excuſari: quo Alexander excuſavit ad ſe venientem Darii matrem, quando hæc non adeò ad ſingula circumſpecta Hepheſtionem Alexandri amicum, Alexandri loco reverita & honoribus Rege dignis proſecuta fuerat. Cui errorem ſuum poſtea agnoſcenti, illiuſque veniam deprecanti, ab Alexandro reſponſi loco dictum eſt: *Nihil cura habeas ô Mater, hic namque etiam eſt Alexander*, uti refert Diodorus Siculus lib 17. Adeò namque propriè Franciſcus Chriſtum referebat, ut in ipſius quoq; Chriſti præſentia quidam videretur eſſe Chriſtus.

23. Quod ſi honorem illum, quem Chriſtus Franciſco detulit, quando illi propria ſua vulnera impreſſit, ſibique ſimillimum reddidit, altiori velimus mentis indagine conſiderare, ipſum reverà magnum fuiſſe fateri cogemur. Neque enim non magnus eſſe poteſt honor gratiæ illius qua ſervus Regi, creatura creatori, Deus ho-

mini ſimilis efficitur. Regis Æthiopiæ proceres aulici, Regi ſuo, tanto conantur ſtudio aſſimilari, ut quotieſcunque Rex, ex inopinato caſu vulnere aliquo, aut alio quovis defectu reddebatur obnoxius, ipſi mox propriis manibus in eadem corporis ſui parte, ſimili ſe vulnere ſauciarent, aut notarent defectu. *Moris aſſerunt Æthiopibus fuiſſe*, ſcribit idem Diodorus Siculus lib. 4. c. 1. *ut ſi quando Rex aliqua corporis parte ex quavis cauſa debilitaretur, domeſtici omnes ſponte ſua eandem partem, debilitarent.* Adeò in hominibus inolevit honoris illius appetitus, ut antiqui etiam Chriſtiani, ut ſe Chriſto aſſimilarent Chriſti ſtigmata in ſua quoque carne efformare conſueverint, ut ſcribit Procopius apud Sanctium in Iſaiæ cap 44. v. 16.

24. De Lycurgo narratur, quod inter alia, quæ legibus ſuis cauta eſſe voluit, ipſa quoque fuerit ſimulachrorum, Deos repræſentantium, prohibitio. Nequaquam enim in ſua voluit Republica permittere, ut Jovis, Martis, aut cujuſvis alterius Dei, quem cœca adorabat gentilitas, erigi aut fabricari poſſent imagines. Quamobrem? Quia haud æquum eſſe exiſtimabat, ut homines, vel alia quæcunque creata Diis redderentur ſimilia Lycurgus noluiſſe legitur, inquit Cartarius de imaginibus Deorum, quod homo, aut aliud quodvis animal, Diis aſſimilaretur, ideoque omnem prohibebat ſtatuam vel ſimulachrum. Ejuſdem quoque opinionis, Numa ſecundus Rex & legiſlator Romanorum fuit, gravem nimirum errorem reputans ſi quis res divinas & immortales ad mortalium humanarumque rerum ſimilitudinem trahat, ut proinde Romani centum ſeptuaginta annis, ſine ullo alicui Deorum ſuorum, erecto ſimulachro permanſerint. Neque enim poſſibile eſt aliquam reperire creaturam adeò perfectam, omnibuſque numeris abſolutam, ut aſſimilari Deo ullatenus poſſit, cujus perfectioni collata quævis creata perfectio eſt imperfectio, pulchritudo deformitas, ipſa quoque virtus vitium reputatur. Hinc igitur facilè magnum illum colligere honorem poteritis, quem Deus Franciſco, ipſum ſibi aſſimilando præſtitit. Ex quo enim Deus Franciſcum ſibi ſimilem reddidit, adeò eundem exaltavit, ut eum ſublimius evehere nequaquam potuerit; ipſumque in eum gradum repoſuit, ad quem nulla prorſus creatura ſublimari valebit; neque enim ulla alia creatura Deo poteſt fieri ſimilis, cui ne quidem nobiliſſimus, quem divinæ formavere manus, comparari valet Seraphinus. Unde ex eo ſolum, quod ſuperbus ille & arrogans ſpiritus, divinam appetiverit ſimilitudinem, Iſaiæ 14. v. 14. dicens: *ſimilis ero altiſſimo*, è cælo pulſus, & in inferni barathrum præcipitatus, atque è Seraphino horridus quidam Dæmon eſt factus.

25. Quiſnam obſecro eſt vir ille juſtus, ſanctus, adeoque in mirabilibus patrandis illuſtris, quem ſibi Moyſes Exodi 15. v. 11. in mente propoſitum habuit, quando ita Deum eſt affatus: *Quis ſimilis tui in fortibus Domine? quis ſimilis tui? magnificus in ſanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia.* Quaſi dicere voluiſſet. Poſſibilene eſt, ô Domine, quod in toto ſanctorum numero aliquis poſſit homo reperiri qui tibi ſit ſimilis, qui ipſiſſima tua ſtigmata, eaſdemque tuas in ſe referat cicatrices, qui in ſanctitate magnificus ſit & celebris, Dæmonibuſque terribilis, qui denique veluti tot innumerorum miraculorum artifex, communi omnium conſenſu ab hominibus pariter laudetur & Angelis? utique tunc ſibi in ſua habebat mente depictum Patriarcham Seraphicum, ſtupebatque reperiri tandem in mundo virum aliquem poſſe adeò in ſanctitate magnificum & à Deo honoratum, qui ad vivum repræſentaturus eſſet Deum. Auſcultate hac de re loquentem S. Bernardinum p. 2. ſerm. 60. *In myſterio*, inquit, *de B. Franciſco dictum eſt: Quis ſimilis tui in fortibus, Domine, id eſt, inter alios ſanctos? Quis ſimilis tui, videlicet in dolore mentali, & pœna corporali, & ſtigmatibus ſacris? Niſi glorioſus Franciſcus, qui eſt magnificus in ſanctitate, terribilis ſcilicet Dæmonibus propter ſtigmata ſua, atque laudabilis ſcilicet Angelis & hominibus, atque faciens mirabilia?* Excellentia honoris S. Franciſci, quam ſibi per divinam ſimilitudinem conciliarat, illos quoque obſtupeſaciebat, quos Deus veluti tot miraculorum, ſtupendorumq; prodigiorum inſtrumenta adhibuerat.

26. Tormentum, dolor, & martyrium quod S. Franciſcus jam ſtigmatizatus & ſimulachrum Chriſti factus, ſuſtinuit, adeò fuit atrox & ingens, ut majus eſſe non potuiſſet, tametſi fuiſſet crucifixus, & in crucis ligno mortuus. Bartholomæus Piſanus ubi ſupra Fructu 3. p. 2. S. Petrum crucifixum & Franciſcum ſtigmatibus cruentatum & ſaucium conſiderans, dicit magis mirandum fuiſſe Franciſci tormentum, quam Petri Crucem. Petrus namque Crucis tormentum modico tempore ſuſtinuit: Franciſcus autem duos annos integros vulnerum Chriſti dolorem patienter toleravit: *Mirabile fuit*, inquit hic Author, *B. Petrum pro Chriſto crucifixum, ſed*

majus

*majus eſt poſt tantum tempus B. Franciſcum ſtigmatizationis Cruci affixum.* Verum quamobrem Chriſtus S. Franciſcum tam diuturno tormento ſubjectum eſſe voluit? ut ſummo ſuæ ſimilitudinis honore dignus fieret: *Grandis labor, ſed grande præmium, eſſe quod Chriſtus eſt,* inquit S Hieronymus Epiſt. 22. Adeò magnus eſt honor iſte, ut illum Deus ſine magno ſervi ſui dolore & labore conferre noluerit.

27. Quis igitur Franciſcum Chriſto adeò ſimilem cernens, eundem quoque Chriſtum nominandum eſſe non dicat? Scipioni Serapionis nomen impoſitum fuit, eo quod viro alicui, cui Serapion nomen erat, ſimilis extiterit, ut refert Plinius lib. 7 cap. 12. Ob magnam quoque quæ Pompejum inter & Vibium erat ſimilitudinem, Romani Pompejum Vibium, & Vibium Pompejum nominabant. *Inter Cnejum Pompejum & Vibium, humili loco natum, tantus error extitit de partibus lineamentis, ut Romani Vibium, Pompei nomine & Pompejum, Vibii vocabulo cognominarent* ſcribit Solinus cap. 4. Quantum igitur honorem Franciſcus à Deo habuit, qui nomen illud, quod ſuper omnia alia nomina adeò eſt exaltatum, ut ad ejus prolationem cælum, terra, & infernus communi conſenſu ſummaque cum reverentia genua pariter flectant, à Deo accepit? Unde de Franciſco dici poteſt illud Apoſtoli ad Philip. 2 v 9. *Donavit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen; ut in nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur.*

28. Ut inſignis illa, maximi honoris, Franciſco à Deo facti excellentia, tantò magis eluceſcat, obſervandus eſt locus ille Danielis cap. 6. Ubi ſcribitur, quod cum Daniel ob cultum latriæ Deo vero exhibitum in lacum Leonum ab iiſdem devorandus miſſus fuiſſet truculentæ hæ beſtiæ, tametſi fame ferè fuiſſent enectæ, illum nedum mordere aut devorare, ſed ne proprius quidem auſæ fuerint accedere: *Non affecerunt moleſtia Danielem,* dicitur loco ſupra citato v. 18. Verum quidnam beſtias illas, quo minus eum oſtenderent, aut morderent, vel devorarent, impedivit? Quidnam truculentas, ac famelicas haſce beſtias morari potuit, quo minus more ſuo ad eum dilaniandum & devorandum propius accederent? Dei illos impedivit effigies, quam in Propheta cernebant expreſſam, inquit Theodoretus quæſt 18. in Geneſin: *Danieli aderant leones, qui alioqui famelici accedere tamen ad eum non audebant, eò quod in illo characteres divinam imaginem præferentes conſpicerent.* Leones Danielem ſummè metuebant, videntes creatoris ſui in illo expreſſam effigiem, ideoque illum non tantum non offenderunt, verum etiam veluti Deum cujus referebat ſimilitudinem ſumme ſunt venerati. Omnes illum creaturæ venerantur & reverentur, quem Deus imaginis ſuæ honore dignum effecit. Atque hæc eſt ratio, cur Seraphico Patriarchæ, veluti alteri cuidam ipſarum creatori omnes creaturæ humillime obediverint: *Hic creaturis imperat,* canit in ejus laudem Eccleſia. Quia enim vivam quandam Dei referebat imaginem, & veluti Deus quidam erat, ideo omnia à Deo creata, ejuſque imperio ſubdita ei obtemperabant. Ad nutum ejus parebant aqua, piſces, beſtiæ, volucres, imò & ignis ipſe morem gerebat Obſtupeſcite igitur ô animæ devotæ, ſummum, quem Deus ſanctiſſimo Patriarchæ meo divina imagine decorato dedignatus eſt conferre honorem, quem veluti Deum honorabant, reverebantur & auſcultabant omnes creaturæ. *Hic creaturis imperat.*

29. Quiſquis ſacroſanctum Chriſti corpus tot lucidis ornatum & decoratum vulneribus intuetur, illud utique quoddam, totidem ſtellis ornatum affirmabit eſſe cælum. Et meritò cælum namque eſſe debet corpus illud quod Deum complectitur, qui ob ſummam majeſtatis ſuæ excellentiam, extra cælum commorari non valet Atque ideo videtur mihi, quod quando Chriſtus, Franciſcum iiſdem cæli ſui ſtellis decoraturus in terram deſcendit, cælum in terram uſque ut videri ab hominibus quoque poſſet, inclinarit, tuncque verificata illa Davidis Prophetia fuerit Pſalm 17. v. 10. *Inclinavit cælos & deſcendit.* Cælum quoddam factus eſt S Franciſcus, poſtquam corpus ejus vulnerum Chriſti ſtellis adornatum fuit. Verùm enimverò quidnam de hoc de cælo factum eſt, quando relictâ terrâ in cælum migravit? Idipſum ex ore percipietis Regii Prophetæ Davidis, qui eodem Pſalm. v 11. ſubjungit: *Aſcendit ſuper Cherubim & volavit, volavit ſuper pennas ventorum.* Adeò eſt evectus in altum, in Paradiſo ſublimatus fuit, ut omnes ſanctos Angelos alioſque cælites tranſcendentes, Cherubim quoque ſub ſe relictis, locum ſuum inter ſublimiſſimas & honorificentiſſimas totius cæleſtis curiæ ſedes acceperit, ipſiſque Seraphinis inſertus fuerit. *Aſcendit ſuper Cherubim.* Verum inquies, quonam merito S. Franciſcus, locum adeò honorificum in Paradiſo obtinuit? Meritò

ſacrorum ſtigmatum quibus caro ejus inſignita fuit. Audite S. Antoninum Archiepiſcopum Florentinum p. 3 Hiſt. tit. 23. cap. 1. in princ. *Aſcendit ſuper Cherubim & volavit; Franciſcus aſcendit per virtutes, & volavit ſuper Cherubim. Signanter dicit ſuper Cherubim, non ſuper Seraphim, nam ſuper Seraphim, non ſunt niſi beatiſſima Virgo & filius eius. Non ait inter Cherubim, ſed ſuper Cherubim, certum eſt quod ſuper Cherubim ſunt Seraphim. Hoc eſt ergo dicere volavit ſuper Cherubim, tranſcendit omnes ſanctos hoc privilegio quod in corpore ſuo fuerunt corporaliter impreſſa inſignia Paſſionis.* Quia enim honor qui Regis exhibetur imagini, ipſimet quoque Regi exhiberi cenſetur, ideò quoque æquum erat, ut ſimulachrum ſuum pro majori ſuo honore in ſublimiſſimas Paradiſi ſedes collocaret.

30. Habent igitur omnes ſancto Franciſco devoti clientes, magnum pro ſe in cælis interceſſorem, Patronum valdè potentem, advocatum inclytum & excellentiſsimum oratorem. Franciſcus apud Deum pro hominibus intercedit, non ſolum proponendo merita filii, verùm etiam Patri & filio propriam Chriſti demonſtrando effigiem quæ neſcio an coram Patre æterno ullam timere poſsit repulſam. *Sicut Dominus Ieſus,* inquit idem S. Antonius ubi ſupra. *Ante Patrem oſtendens latus & vulnera inclinat eum ad pietatem. Ita B. Franciſcus oſtendens ſtigmata ſibi impreſſa Dominicæ Paſſionis, habet inducere & Patrem & filium ad miſericordiam, & clementiam erga peccatores.* Ac proinde & ſinguli tantum Patricham ſumma cum reverentia & devotione honorare ac revereri debent, ex eo præcipuo motivo, quia Chriſtum repræſentat, cum Chriſtus honores S. Franciſco veluti proprio ſuo ſimulachro exhibitos, veluti proprios agnoſcas, eundemque proinde pro nobis intercedentem efficaciter exaudiat, dum eadem in illo ſigna videt, quæ pro noſtra redemptione, tanto cum gaudio ſuſtinuit, & pro avertendis imminentibus nobis periculis æterno Patri ſuo perpetuo ſpectanda proponit.

(*⁎*)

PANE-

# PANEGYRICVS XLVI.

## DE SANCTO LVCA Glorioſiſsimo Evangeliſta.

## THEMA.

Dedi te in lucem gentium.
Iſaiæ 49. v. 6.

## ARGVMENTVM.

*Merito ſanctus & glorioſiſſimus hic Evangeliſta LUCAS id eſt lux dicitur, ſiquidem in omnibus actionibus veram ſe lucem eſſe probaverit.*

1. VNum ex majoribus excellentioribuſque bonis, quibus homo in hac vitâ frui poteſt, eſt bonum nomen. Eſt enim bonum iſtud adeò excellens, ut ei omnes mundi hujus divitiæ nequaquam valeant comparari. *Melius eſt nomen bonum*, inquit Sapiens, Prov. cap. 22. v. 1. *Quam divitiæ multæ.* Nomen habere bonum à legibus magnum eſſe cenſetur Privilegium, unde leg. 1. apud Buſtum in Mariali par. 3. ſerm. 1 dicunt: *Magnum eſt privilegium vocari bono nomine* Undè meritò de bono nomine ſuo gloriatur Accurſius, dum juxta nominis ſui Etymon occurrit & ſuccurrit contra tenebras Juris Civilis. Verum enimvero advertendum eſt, bonum aliquod nomen, tunc homini cenſeri honorificum & illuſtrare, ſi ejus qui tali eſt nomine inſignitus, virtutes & opera ei correſponderint; ſecus enim peſſime inter ſe conveniunt, nomen bonum, & opera contemptibilia & abominanda, atque à nomine valdè diſſona. *Nam cum omnis appellatio*, inquit Caſſiodorus, *ad declarandas res videatur impoſita, nimis abſurdum eſt portare nomen alienum, & aliud dici quam poſſit in moribus inveniri.* Quantum igitur S. Lucas Evangeliſta de ſuo tam pulchro nomine, de nomine adeo claro & illuſtri gloriari poterit? Sicuti enim inter omnia pulchra, nihil inveniri pulchrius poteſt luce, quæ adeo eſt pulchra, ut quidquid in mundo viſibile eſt, deauret & venuſtet. Ita hoc nomine Lucas quod lux interpretatur, inveniri præſtantius nomen minime poteſt. Neque in S. Luca neceſſaria deſiderabatur factorum cum ſpecioſo nomine correſpondentia, utpote qui non ſolum nomen lucis habuit, ſed verè etiam lux quædam pulcherrima fuit. *Lucas dicitur à luce*, inquit Author Hiſtoriæ Lombardicæ 152. *fuit enim lux mundi eò quod mundum*

*dum illuminavit.* Lucæ proindè, nomine & operibus ejus benè conſideratis, congrue dicere Deus potuit illud Iſaiæ 49, v. 6. *Dedi te in lucem gentium.* Ipſe namque nomini per facta adeò accurate reſpondit, ut nihil in ipſo quam mera lux, merum lumen, meruſque ſplendor videatur. Porro ſi ad ea, quæ de ipſo ſacri ſcriptores referunt, attendamus, veritatis iſtius rationes ſolidas clarè & perſpicuè penetrabimus.

2. Id quod in luce maximè ſtupendum videtur, eſt incredibilis & ſumma ejus velocitas. Vix in Oriente naſcens ſe prodit, cum ecce ſubito in occaſu quoque ſplendor ejus videtur. In uno dico ictu oculi, ſive temporis momento, eò diſcurrendo, pertingit, quo Sol per bene multas pervenire horas minimè poteſt. Non credo aliam quandam reperiri velocitatem poſſe, lucis velocitati ſimilem, ſolâ quâ S. Lucas præditus eſt, ingenii velocitate excepta, utpote qui per innatam ſibi ingenii vivacitatem & ſubtilitatem, dum adhuc puer eſſet, omnes diſcendo abſolvit humanas ſcientias, linguaſque tam Hebraicam quam Syriacam perfectè eſt aſſecutus. *Omni diſciplinarum generi vacavit à puero*, inquit Simeon Metaphraſtes apud Surium 18 Octobris; *& Syriacam & Hebraicam linguam exactiſſimè edoctus eſt.* Cum alii homines, quantumvis excellenti ſint ingenio præditi, ut ad tantam perveniant literaturam & ſufficientiam, tot annis, ſtudiis & laboribus, ad illam ſibi comparandam indigeant, ipſe omnes ſcientias ſubitò ut natus fuit, atque in humanæ vitæ oriente apparuit, ſibi adſcivit, atque ad tantam in iiſdem perfectionem pervenit. Verus nimirum Lucas, id eſt, vera lux fuit, miræ & ſtupendæ velocitatis.

3. Quiſquis divitiarum humanarum vim eſt expertus, utpotè quæ animum & affectum hominis divitiis in terra vinctum retinent, illas viſcum quendam eſſe fateri debebit. Beneficia Viſcoſa Seneca lib. 1. Epi 8. ad Lucillum illum ſcribens, divitias appellat dicens? *Quiſquis noſtrum tutam agere vitam volet, quamprimum poteſt iſta viſcata beneficia devitet, in quibus, in hoc quoque miſerrimè fallimur, quod habere nos putamus, hæremus.* Hic viſcus animos divitum adeò tenaciter corripit & detinet, ut illos ad opera Chriſtiana exercenda ſe vix movere permittat. Unde divites plerumque ad audiendam Miſſam videntur tardi, tardiores ad fundendas orationes, ad Eleëmoſynas vero erogandas tardiſſimi; denique ad bonorum alienorum reſtitutionem faciendam adeò ſunt tardi, ut magnâ cum difficultate in mortis articulo conſtituti, reddere valeant, quod per injurias proximo in bonis temporalibus illatas, & per rapinas & uſuras eidem ſuſtulerunt. Verum enimvero, merito hic dicat aliquis, cum divitiæ in hominum animis tantæ ſint cauſa tarditatis, omnemque tollant propriæ ſalutis motum, qua igitur ratione factum eſt, quod Lucas opulentiſſimus exiſtens tantâ nihilominus cum agilitate, ab hoc ſe viſco liberaverit, omnibuſque bonis ſuis tantâ cum velocitate contemptis, Chriſtum adeò ſtrenuè ſit inſecutus, haud ſecus ac ſi ſolum è pedibus pulverem excuſſiſſet? Ratio hujus eſt, quia Lucas lux erat. Lux à viſco eadem cum velocitate ſe dividit & recedit, quâ ad eundem accedit. Poſtquam enim Chriſtus illum, uti nonnulli volunt illuminavit, & lucem eſſe fecit, adeò fuit admirabilis, & in propriæ ſalutis ſuæ negotiis velox atque feſtinus, ut ad pedes ſuos in cæli viam dirigendos, nequaquam ſicut alii divites tardare potuerit. *Ad piam prædicationem*, inquit ubi ſupra idem Metaphraſtes, *mentis oculis illuſtratus, deſpicit cognitionem omnem, deſpicit & naturæ viſcera, abjicit pecunias, poſſeſſiones, omnemque ſubſtantiam; ita ut nemo adeò facilè pedum ac manuum ſordes abjiceret, ut ne vel hoc ipſo præ feſtinantia occupari certè potuerit, quo facultates indigentibus diſtribueret.* Eodem prorſus tempore, quo temporalium bonorum viſco cernebatur tenaciter innexus, ab eodemque ſe quoque liberum vidit atque ſolutum. Eodem tempore quo in terra erat, in cælo quoque ſcholæ Chriſti apparebat. Vera nimirum lux nomine ſimul & opere.

4. Inter tot ſcientias, quas ſanctus Lucas tanto cum ſtupore dedicit, Medicina primum locum obtinuit. In cujus ſignum non logicus, non Orator, non Philoſophus, tametſi omnibus hiſce ſcientiis perfectè fuerit imbutus, ſed Medicus appellatur. *Medicinam tandem aſſequitur*, inquit ut ſupra Metaphraſtes, *idque in tantum, ut ab hac ut plurimum deſignaretur.* S Lucas in Medicinâ excellentiſſimus prorſus fuit. Quamdiu enim in hoc mundo mortalis vixit, non humana tantum corpora curavit, verum etiam poſtquam ex hoc eſt mundo egreſſus. Animabus curandis medicinam adhibuit. Quaſi alter quidam Pæon, qui; quoad vixit excellentiſſimus fuit hominum medicus, poſt mortem verò, ut à Poëtis fingitur, medicus fuit Deorum. An non enim S. Lucas quidam

dam factus eſt Deorum Medicus, quando poſt adhibitam ab ipſo corporibus medicinam aggregatus eſt Chriſti diſcipulis? utique quando illorum medebatur animabus, quos Chriſtus pretioſo ſanguine ſuo nobilitavit; & quaſi Deificavit, quibus Pſal. 81. v. 6. dicitur: *Ego dixi, Dij eſtis, & filij excelſi omnes*, quidam fuit Deorum medicus. Totidem in ſuo Evangelio Recipe ſive remedia medica admirabilis hic medicus repoſuit, quot in eodem verba excitavit, inquit Bonaventura in Prologo in Lucam: *Si novimus hunc medicum, cujus laus eſt in Evangelio, animadvertimus pariter omnia verba illius animæ languentis, medicinam eſſe.* Sanctus igitur Lucas Lux quædam fuit, Lux, inquam, clara, perſpicua, valdeque ſplendida, imo ipſamet Lux ſolaris fuerit, neceſſum eſt, cui uti Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 17. dicit. *Attribuitur medendi poteſtas.* Quia enim Medici viſcera terræ corporis humani penetrare debent, ut proinde Caſſiodorus lib. 6. variarum lectionum cap. 19. non immeritò dicat: *Obſcura nimis eſt hominum ſalus*, opus profectò habent oculis lynceis, atque ipſiuſmet ſolis luce illuſtratis, ut occulta terræ viſcera penetret; Et ſpirituales quidem Medici præcipuè, qui ſi debito ſint lumine deſtituti animabus infirmis potius mortem, quam vitam conciliabunt.

*Hi etſi tenebras palpent, eſt data poteſtas*
*Excruciandi agros, homine quo impune necandi.*

inquit de Medicis rudibus & ignorantibus Claudianus.

5. Sicuti S. Matthæus ſub ſpecie hominis S. Marcus in ſpecie Leonis, & ſub Aquilæ ſymbolo S. Joannes, depictus proponitur, ita ad exprimendum S. Lucam depingitur vitulus. *Secundum animal ſimile vitulo*, inquit S. Joannes Apoc. 4. v. 7. ubi S. Lucam quoque inter alios Evangeliſtas conſpexit. Quænam autem eſt ratio, quod S. Lucas non ſub tauri vel bovis, ſed ſub vituli ſymbolo intelligatur? Vt hac ratione perpetua ejus virginitas innuatur, in qua conſtanter & perpetuò vixit. Sanctus enim Evangeliſta, tam in anima quàm in corpore caſtitatis virorem ſemper conſervavit: *Fuit virgo corpore & mente*, inquit Hiſtoria Lombardica. *Vitulus* namque, uti S. Iſidoro libro decimo ſecundo Ethym. capite primo placet, *à viriditate* dicitur, quæ virginitatem ſignificat: *Virginitas quaſi viror genitus*, inquit Richardus à Sancto Laurentio libro quarto de Laudibus Beatiſſimæ ſemper Virginis DEI Genitricis Mariæ.

Sanctus Lucas igitur ſub ſymbolo vituli proponitur, ut virgo fuiſſe intelligatur. Vnde Sanctus Lucas choro annumerandus eſt Virginum, & Virginum quidem prudentum, utpotè quem jam æternas incomparabilis gloriæ Chriſti nuptias ingreſſum eſſe novimus, in ejuſque manum inextinguibilis inſerenda eſt lampas, quæ ipſum, uti proprium ejus nomen clarè atque perſpicuè indicat, clarum, ſplendidum reddat, atque illuſtrem.

6. Attendendum inſuper, Sanctum Lucam non ſolum Sancto Ioanni de cælo ſub vituli, verum etiam ſub alati vituli ſpecie fuiſſe exhibitum. Nam tàm vitulus, quàm alia tria animalia aliorum Evangeliſtarum ſymbola, ut dicitur, Apoc. 4. v. 8. *Singula eorum habebant alas ſenas.* Quidnam obſecro alæ iſtæ, in Sancto Evangeliſta ſignificabant? Nimirum innuebant ipſum non fuiſſe hominem, quales ſunt alii homines, qui ob corruptionem ſuã à terra in qua grediuntur, elevari non poſſunt, ſed hominem quendam Angelicum à terra elevatum, & veluti Angelum quendam inter Paradiſi Angelos collocatum. An neſcitis quod Angeli communiter alati depingi ſoleant? Sanctus Evangeliſta Angelus fuit ob virorem virginalem; *Caſtitas enim Angelos facit*, ut dicit Ambroſius libro primo de Virginitate. Et Virgines, ut dicitur, Lucæ capite vigeſimo, verſu trigeſimo ſexto. Qui neque nubent, nec ducunt uxores, æquales Angelis ſunt. Et per conſequens Sanctus Lucas, ſplendidiſſima quædam lux fuit; Neque enim Angeli aliud quàm lux quædam ſunt fulgidiſſima. Vnde cùm Moyſes Angelorum creationem poſteritati deſcribens, dicere deberet, Deum Angelos creaturum dixiſſe, *Fiant Angeli*, Deum ſcribit dixiſſe, *Fiat lux*; uti communiter exponunt loci hujus interpretes.

7. Præſenti propoſito, apprimè ſervit conſideratio loci cujuſdam ex capite decimo Ezechielis, ubi poſtquam ſe Cherubim quendam firmamentum ſuſtinentem vidiſſe ſcripſerat, mox hunc Cherubim animal ſeu vitulum illum, quem antea juxta fluvium Chobar viderat, fuiſſe ſubjungit verſu decimo quinto. *Cherub ipſum eſt animal, quod vidi juxta fluvium Chobar.* Et quidem locus iſte unus ex difficilioribus, qui in ſacra ſcriptura occurrere poſſunt. Quid enim vitulus cum Cherubim commune habet, ut is Cherub fuiſſe dicatur? Qua ratione fieri poteſt, ut vitulus alicui videri poſſit Cherubinus, cùm ille non minus ſit laborioſus, quàm hic eſt beatus? Quis eſt qui neſciat,

ſciat, quod cum vitulus jugo, aratro, macello, altari ſit dedicatus; Cherubim econtra in continuis degat delitiis paradiſi, ubi nec labor, nec mors, nec ærumna, nec quodvis aliud terrenum malum unquam nominatur, nedum videtur? Verum enimvero quia per vitulum, ut dictum eſt, Sanctus Lucas Evangeliſta intelligitur, nemini videatur mirum, ſi vitulum audiat viſum fuiſſe Cherubinum. Lucas enim non ſolum propter virginitatem, quam in viridi ſemper, vividoque flore conſervavit, ſed propter continuos etiam labores, quos quoaduſque vixit, pro amore Chriſti ſui continuo ſuſtinuit, in Angelum quendam & quidem in aliquem ex ultimæ Hierarchiæ ſublimioribus, id eſt, Cherubinum quendam transformatus fuit. Certè ſi Prothomartyr Stephanus ob lætitiam, quam de ſua pro amore Chriſti tolerata paſſione conceperat, in Angelum aliquem veluti converſus fuit (cauſa enim cur Stephanus in vultu Angelico viſus fuerit, Actorum capite ſexto, verſu decimo quinto. *Viderunt faciem ejus, tanquam faciem Angeli,* fuit lætitia, de Paulo poſt ſibi inferendo martyrio, concepta. *Gaudium quippe Martyrii ſubeundi, ante ex ore proſiliens, efficiebat, ut Angelica gratia ex adoleſcente ſplendor emicaret*, inquit Chryſoſtomus de Laudibus Beati Stephani, tract. 15. Paneg.) Lucas utique qui ſemper patiebatur, continuum quoddam ſemper ſuſtinebat martyrium, ſemper moriebatur, qui *Crucis mortificationem jugiter in ſuo corpore pro Chriſti nominis honore portavit*, in Angelum aliquem transformari debuit luce pleniſſimum.

8. Legatis velim Apocalypſeos caput decimum quartum, ibi namque Sanctum Ioannem Apoſtolum Angelum quendam, per cælum circumvolantem, ſuiſque manibus Chriſti Evangelium tenentem vidiſſe invenietis. Nam verſu ſexto dicit: *Vidi alterum Angelum volantem per medium cæli, habentem Evangelium æternum.* Quemnam hunc Angelum ſignificaſſe exiſtimatis? ſingulare fuit Sancti Lucæ Evangeliſtæ prototypon, inquit Author hiſtoriæ Lombardicæ: *Lucas fuit præfiguratus in Angelo Dei, de quo dicitur: Vidi Angelum volantem per medium cæli, habentem Evangelium æternum.* Circa quæ verba attendendum, quod Sanctus Ioannes pro eo tempore Sanctum Lucam per medium cæli volantem viderit, quo vivus adhuc, & mortalis in terris obambulabat, nondum mortuus erat, nec in cælos aſcenderat; Quomodo igitur Sanctus Lucas in terra adhuc conſtitutus, videri in cælo poterat, *Volantem per medium cæli*? Dici equidem poſſet, id accidiſſe, quia Lucas homo ſanctus erat: tametſi enim homines ſancti, in hac terra inter alios homines vitam degant, non tamen in terris alios inter homines converſantur, ſed in cælo inter Angelos: unde: *Converſatio noſtra in cælis eſt*, dicebat Paulus vir ſanctiſſimus. Aut verò quia Lucas virgo erat. Tametſi enim in hoc mundo virgines naſcantur, non tamen in mundo, ſed in cælo ſunt: *De hoc mundo eſtis*, ita Ambroſius libro quinto de Virginibus, virgines alloquitur, *& non eſtis in hoc mundo; ſæculum vos habere meruit, tenere non potuit. Præclarum eſt, virgines propter caſtitatem in cælum tranſiſſe de ſæculo.* Ad præſens autem propoſitum noſtrum, Sanctum Lucam tametſi in terra eſſet, à Sancto tamen Ioanne Evangeliſta ideo non in terra, ſed in cælo viſum fuiſſe dico, quia lumen erat, & cum aliis novi firmamenti luminaribus, mundum illuminabat, ſuique nobiliſſimi nominis officia egregiè exercebat.

9. Quidnam S. Paulum Apoſtolum in hoc mundo fuiſſe exiſtimatis? *Sol quidam fuit*, inquit Chryſoſtomus Hom. 8. de Laudibus S. Pauli: *Sol enim quidam hominibus Paulus, qui totum prorſus orbem fulgentibus lingua ſua radiis illuminavit; quique univerſas circumeundo gentes, curſum omnino ſolis imitatus eſt.* Quia igitur Sanctus Lucas, quotidianus & ordinarius erat ſplendidiſſimi hujus ſolis locius, unde à Sancto Hieronymo lib. de viris illuſtribus, *ſectator Pauli Apoſtoli, & omnis peregrinationis ejus comes*, eſt appellatus aliud quàm mera lux aliqua, quæ individua eſt ſolis comes & ſocia, eſſe aut dici nequaquam poterit. *Lux ſolis comes*, inquit Fontanus in Epiſt.

☞ 10. Ex quo Chriſtus Matth. 6. v. 22. Oculum corporis lucernam vocat: *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus*: per oculum autem cor hominis intelligit: *oculus tuus, id eſt, cor tuum*, inquit Paulus de Palatio in caput ſextum Matthæi. Clarè ſatis totum hominis lumen à corde procedere inſinuat: Quod ſi enim cor reſplenduerit, totus homo ſplendidus erit, corde verò obſcurato, totus pariter obſcurabitur homo. *Si oculus tuus fuerit ſimplex*, inquit eodem loco Salvator noſter: *totum corpus tuum lucidum erit: ſi autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit.* Cùm igitur lumen naſcatur ab igne (ſic enim ex eo quod ſol & ſtellæ cæteræ ſint luminoſæ, ab antiquis quoque Philoſophis cenſebantur igneæ) conſe-

quens

quenſerit, ut quiſquis cor igne plenum habebit eoque ardebit, quaſi ſol quidam, vel alia cæli rutilantiſſima ſtella, luminoſus futurus ſit, valdeque ſplendidus. Cor tale Sanctus Lucas Evangeliſta habuit, quando in Caſtellum Emaus eundo, ſe Chriſto Domino jamjam reſuſcitato, viæ comitem adjunxit. Nunquid enim Lucæ c. 24. v. 32. eum hiſce verbis itineris ſui ſocio locutum fuiſſe legiſtis. *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis ſcripturas?* Atque ideo mirum non eſt, ſi Sanctus Lucas juxta nomen ſuum merus fuerit ſplendor, mera lux, merum lumen.

11. Communis eſt omnium opinio, Sanctum Lucam pictoriæ artis fuiſſe peritum, id quod ipſamet quoque Eccleſia confirmare videtur, dum pictoribus, ut illum veluti actualiter pingentem vulgo proponat, liberè permittit. Vnde & imaginem illam Beatiſſimæ Virginis, ab Imperatoribus, & tota plebe, Conſtantinopoli adeo in honore habitam, pinxiſſe traditur, ſicut & aliam ejuſdem Deiparæ Virginis imaginem, quæ tanta cum reverentia in Eccleſia Sanctæ Mariæ Majoris à Romanis colitur, nec non & illam, quæ in ejuſdem almæ urbis Eccleſia Sanctæ Mariæ trans Tyberim aſſervatur. Metaphraſtes quoque ubi ſupra, ipſam Chriſti Jeſu imaginem delineaſſe recenſet. *Hoc inter cætera gratiſſimum eſt*, inquit hic author, *quod ipſum quoque typum aſſumptæ humanitatis Chriſti, ac ſignum ejus quæ ipſum pepererat, & aſſumptam humanitatem dederat, primus hic cera ac lineamentis tingens, ut ad hæc uſque tempora in imagine honorarentur, tradidit.* Publica itidem fama perhibetur, ut refert Auguſtinus Man. Hiſt. Soloſ. capite 211. devotiſſimam valdeque miraculoſam Crucifixi Sitolenſis ſtatuam à Luca fuiſſe exſculptam. Ex hoc autem exercitio, quod Sanctus Evangeliſta profiteri non erubuit, facile eſt colligere, illum meram fuiſſe lucem, qua omnes illuminantur, tam docti, quàm indocti; ſicut enim calamo ſuo doctos erudivit, ita penicillo ſuo docuit idiotas & literarum ignaros. Picturæ namque libri ſunt ignorantium: *Pictura eſt quædam literatura illiteratis, adeo ut quidam priorum legatur, ex picturis didiciſſe, antiquorum hiſtorias*, inquit Strabo de rebus Eccleſiæ c. 8.

12. Quandoquidem Ezechiel expreſsè dicat, ut ſuperius audiſtis, Cherubim illum, quem Prophetiæ ſuæ capite decimo viderat, eſſe ipſiſſimum vitulum, qui eidem in alia quadam viſione capite primo deſcripta fuerat demonſtratus: *Cherub ipſum eſt animal, quod vidi juxta fluvium Chobar:* hinc conſequenter illum duas habuiſſe facies dicere oportet, unam quidem vituli, alteram verò Cherubini, adeo ut ſicuti ob illam nominatus eſt vitulus, ita propter hanc dictus ſit Cherubinus. Sanctus *Lucas* igitur à Propheta in hiſce duobus ſymbolis exhibitus, veluti in duabus faciebus proponitur, quarum una turpis eſt & rudis, altera verò ſplendida & cæleſtis. Cur obſecro, duas in ſe facies referens *Lucas* deſcribitur? Ob eandem certè rationem, ob quam Ianus ab antiquis, veluti duplici prædictus facie proponebatur. Ianus enim, uti Plutarchus in Numa refert, utpote vir ſapientiſſimus & prudentiſſimus, homines ſui temporis ex brutis (qualia ob vitæ turpitudinem cenſebantur eſſe) in homines veros, mutare noverat, eoſdem civiliter & honeſtè vivere & converſari docens; atque ideo duplicem illi faciem tribuebant, eo quod mundum alia induiſſet facie ab ea, quam is in mundo invenerat. *Ianus dicitur ferum ac ſylveſtrem cultum, in urbanum civilemque commutaſſe: provideque ipſum bifrontem fingunt, tanquam alteram ex altera, & formam & diſpoſitionem reddiderit.* Meritò igitur Sanctus Evangeliſta, velut alter quidam Ianus, bifrons, & duas referens facies proponitur, utpotè qui aliam mundo faciem impreſſit, valdè ab ea diverſam, quam in eo antea invenit. Quis enim neſcit Sanctum Evangeliſtam prius homines Dæmoniorum adoratores, & conſequenter Dæmones reperiſſe, quiſquis enim Dæmonium adorat, Dæmon evadit, inquit David, Pſalmo centeſimo decimo tertio, verſu octavo. *Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes, qui confidunt in eis.* Hos autem Evangeliſta noſter virtute ſapientiæ ſuæ, ſuis quoque meritis & miraculis, ex Dæmonibus Chriſtianos faciens, Angelos reddidit. *Chriſtiani populi in Angelis ſignificantur*, inquit Auguſtinus in Quæſtionibus Veteris Teſtamenti, quæſtione decima ſeptima. Porro *Lucas* mundi faciem tantum mutavit, quantum poſſibile fuit. Illum enim ex tam deformi, adeò formoſum, pulchrum, & decorum reddidit, imò infernum cælum commutavit; haud ſecus ac ſi vera quædam lux fuiſſet. Mox enim ut lux creata fuit, faciem quoque mundi mutavit, illumque ſumma venuſtate & decore illuſtravit, quem antea turpem, fœdum & horridum invenit. *Fac videas mundum*, inquit Paulus de Palatio in caput 5. Matth. *primo die lumine carentem, quando tenebræ erant ſuper faciem abyſſi: quid*

*tunc aliud quàm horror, chaos, & rerum triſtis ac mœſta*
*faciss? c amat vox Dei: Fiat lux, fiat lux, quam novus*
*rebus omnibus vultus!*

13. Theophylactus in capite primo ad Roma-
nos, verba illa, quibus Apoſtolus Epiſtolam ad
Romanos exorditur, ſcilicet: *Paulus ſervus Ieſu*
*Chriſti ſegregatus in Evangelium Dei quod ante promi-*
*ſerat, &c.* ponderans, quærit, cur Apoſtolus Epi-
ſtolam exordiens Evangelium nominet? Reſpon-
detque id eum feciſſe, ut eos quibus ſcribebat con-
ſolaretur & lætificaret, ſe oſtendere optimi nuntii
bagulum eſſe, *Evangelium enim* interpretatur *bo-*
*num nuntium*: ecce ipſiſſima ejus verba: *Conſolatur*
*auditorem ipſo ſtatim Evangelij nomine, non enim tri-*
*ſtia quædam, & Prophetarum vaticinia, ſed in nume-*
*rorum bonorum theſauros Evangelium complectimur.*
Quanto igitur cum jure Sanctus Lucas gloriari
potuit, quæ Evangeliſta, id eſt, boni nuntii ſcri-
ptor & exarator fuit? qui divino Evangelio ſuo to-
tum mundum conſolatus eſt & lætificavit. Atque
ideo jure merito, uti audiſtis, per vituli ſymbo-
lum die præfiguratus, cum vitulus quoddam ſit
lætitiæ Hieroglyphicum: *Latè diffuſum eſt hiero-*
*glyphicum illud, ut per vituli ſignum lætitia ſignifice-*
*tur. Apud veteres vitulantes, gaudentes, lætabundi-*
*que dici reperies*, inquit Pierius libro tertio. Verum
itaque ſe lucem in hoc facto eſſe probavit, ſiqui-
dem calami ſui radiis non ſolum humanæ igno-
rantiæ tenebras pepulit, verum etiam melancho-
liæ & afflictionis peccati caliginem fugavit. Sci-
mus etenim lucem in aurora vix oriente, mundum
ſubitò univerſali imbui lætitia: unde Eccleſia
canit:

*Aurora lucis rutilat*
*Mundus exultans jubilat.*

Talem ac tantam lux lætitiam ſecum adfert, ut
qui ejus eſt ſplendore deſtitutus, nullius ferè læti-
tiæ percipiendæ capax ſit idoneus. Id quod To-
bias cap. 5. verſ. 12. aptè confirmat, qui cœcus fa-
ctus, ideoque hic luce privatus dicebat: *quale gau-*
*dium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non*
*video?*

14. Sanctus Lucas, teſte Metaphraſte ubi ſu-
pra, dicere ſolebat, ſe magnum eſſe ſolitudinis
amicum, gratumque ſibi fore ſi manere ſemper
ſolitarius poſſet, dummodo in ſolitudine repe-
rirentur homines, quibus poſſet Evangelium
prædicare: En ipſamet Metaphraſtis verba: *Deſer-*
*tum dicebat ei amicum ſolum, dummodo aliquos in eo*
*inveniret, quos Deo adduceret, & transferret ad pieta-*
*tem.* Vnde colligo Evangeliſtam nequaquam ma-
nere potuiſſe occultum, recluſum, & ſolitarium,
utpote qui ſe lucernam quandam eſſe, & à Deo eo
fine noverat eſſe illuminatum, ut illuminaret to-
tum mundum. Deum optimè perceperat, dicen-
tem ſibi: *Dedi te in lucem gentium*, ſciebat inſuper
quod ſicut lucerna non accenditur, ut ponatur &
occultetur ſub modio, ſed ut illud ad illuminan-
dam univerſam domum erigatur & manifeſtetur
ſupra candelabrum. *Non accendunt lucernam*, in-
quit Salvator noſter, Matthæi capite quinto, ver-
ſu decimo quinto, *& ponunt eam ſub modio, ſed ſuper*
*candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt.* Ita
quoque ipſe ut omnes illuminaret, & coram om-
nium oculis veluti lux quædam ſplendidiſſima ra-
dios ſuos extendens, relicto deſerto, tantopere
alias à ſe deſiderata & amata in Civitatibus inter
homines converſabatur, & qui lux erat, in iis
commorabatur locis, ubi lucis neceſſitas major
erat.

15. Quandoquidem ſacri expoſitores per qua-
tuor illa flumina, quæ è Paradiſo dimanant, & to-
tam terram tranſcurrunt, quatuor Evangeliſtas
intelligunt, utique Sanctus Lucas, qui tertium
locum obtinet, per flumen Tygris quod tertium
quoque in iis fluminibus locum habet, præfigura-
batur. *Lucas vocatur Tygris*, inquit Anaſtaſius
Synaita lib. 8. Hexam. Verum num fortè cauſam
ſcire deſideratis, ob quam S. Evangeliſta per hoc
flumen dicatur intelligi? Ab eodemmet igitur
Sancto Doctore eandem ſequentibus verbis di-
ctam accipite. *Tygris interpretatur latius, quidni*
*Evangelium latius, quod ditius Evangelio ſecundum*
*Lucam.* Quantum dilatatus eſt Sanctus Lucas
præ aliis Evangeliſtis? quantum ſe extendit in
recenſendis Chriſti parabolis, in quarum deſcri-
ptione alii breves ſunt, & ſuccincti? Quàm co-
piosè de Chriſti pueritia ſcripſit, de qua alii vel
prorſus tacuerunt, vel ſcripſerunt pauciſſima. Suf-
ficiebat aliis Evangelium, & facta Chriſti enarra-
re, non tamen id Sancto Lucæ ſufficiebat, utpote
qui poſt copiosè deſcriptum Evangelium & vitæ
Chriſti Hiſtoriam, Actorum quoque Apoſtoli-
corum conſcribere voluit Annales. Seque hac
ratione veram eſſe lucem probavit, quæ mox
ut oritur ad illuſtrandum omnia, ſe paſſim dila-
tat, & diffundit per omnia. Verus igitur Lucas,
ſeu potius vera lux Lucas fuit. *Dedi te in lucem gen-*
*tium.*

16. Iam ſæpius diximus Sanctos Evangeliſtas per quatuor illos adeò gratos, humanæque vitæ neceſſarios liquores intelligi. Nimirum, Matthæum per mel, Marcum per vinum, Lucam per lac, per oleum denique Ioannem: *Matthæum ſi vis interpretari mel eſt, Marcus vinum; Lucas lac; Ioannes oleum*, inquit Sanctus Germanus in Rer. Eccl. Theor. Vnde cùm explicaverimus, cur Matthæus per mel, Marcus per vinum, Ioannes, denique per oleum intelligatur; nunc ſupereſt, ut videamus, cur Lucas per lac ſignificetur. *Lucas Lac.* Porrò quantum ego quidem perſuadere mihi poſſum, Lucas lac congruè dicitur ob ſummam Hiſtoriæ ſuæ claritatem. Res namque altiſſimas atque profundas, quarum veluti cibi grandium mentis noſtræ ſtomachus incapax erat, adeo deſcribere & comminuere, noſtroque captui accommodare novit, ut illa veluti lac quoddam, & Infantium cibum effecerit, adeoque mirabiliter facilitarit, & ob oculos noſtros cum tanta evidentia propoſuit, ut illa perſpicuè videre & capere poſſimus. Qua equidem diligentia merito eſt uſus, ſciens quod primitivis ſcriberet Chriſtianis, qui adhuc *in fide teneri* erant, ut ſcribit Nicolaus Lyranus in Procemio in Lucam. Tanta cum facilitate, inquit ubi ſupra Metaphraſtes, ſacra myſteria deſcripſit, ut illa veluti oculis à nobis videri, nedum auribus faciat percipi: *Hic ſententias atque doctrinas omnem mentem excedentes, veri ſimul ac honeſti amore manifeſtant, verum veritati ſermonum ingenuitatem commiſcens, ut & mentis ſimul ac linguæ virtutem ob oculos poneret.* Verè Lucas, id eſt, vera lux quædam fuit, quæ inviſibiles atomos tanta cum claritate, videre nos facit.

17. Sancti Doctores exiſtimant, quod, quotieſcunque Apoſtolus in Epiſtolis ſuis dicit ad Romanos 16. v. 25. *Iuxta Evangelium meum*, de Lucæ Evangelio loqui intelligatur. *Quidam ſuſpicantur*, inquit Sanctus Hieronymus libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, *quod quotieſcunque in Epiſtolis ſuis Paulus dicit: Iuxta Evangelium meum, de Lucæ ſignificare volumine;* id quod opinione mea non benedici videtur. Quomodo enim Apoſtolus Evangelium Sancti Lucæ, ſuum Evangelium vocare poteſt, cùm non ſuum, ſed Lucæ ſit Evangelium. Res mea, quidem rectè mea vocatur; res autem aliena, mea dici non debet, cùm non ſit mea, ſed ejus cujus eſt propria. Verum enimverò quod ſi Evangelium Sancti Lucæ, non fuiſſet proprium Apoſtoli, utique illud nunquam ſuum appellaſſet. Verè itaque ſuum fuit, uti quoque illud appellat. Quia, inquit Petrus Damianus ſermone quinquageſimo quinto, Lucas Evangelium ſuum ab Apoſtolo accepit & didicit, cui illud in triduo illo, quo fuit raptus in cælum, à Deo revelatum fuit. Vnde clarè ſatis liquet, Evangelium Lucæ, Pauli potius Evangelium eſſe, qui illud dictavit, quàm Lucæ, qui illud ſcripſit. Sicut lectio, quam Magiſter diſcipulo dictat, non eſt diſcipuli illam ſcribentis, ſed qui illam dictavit, Magiſtri: *De Cælo Chriſtus in Paulum geſtorum ſuorum Sacramenta profudit, eademque per Paulum in Lucam, veluti aurea fiſtula mediante transfudit;* inquit Petrus Damianus. Porro Sanctus Paulus in hoc facto alter quidam viſus eſt eſſe Prometheus, qui in cælum aſcendens, lumen cæli inde tulit, eodemque Lucam illuminans, eundem lucem eſſe fecit, ad illuminandos homines; quaſi eidem dixiſſet: *Dedi te in lucem gentium.*

18. Alii quidam volunt, S. Lucam, ea quæ de Incarnatione & Nativitate Chriſti ſcripſit, ex Deiparæ Virginis Mariæ ore didiciſſe. Neque enim prudentiſſima Virgo alio fine, ut dicitur Lucæ capite ſecundo, verſu decimo nono. *Conſervabat omnia verba conferens in corde ſuo*, quàm ut illa Chriſti diſcipulis, maximè vero Evangeliſtis, & inter eos, Lucæ, præcipuè communicaret. *Creditur*, inquit Author Hiſtoriæ Lombardicæ ubi ſupra, *quod Evangeliſta Mariam de multis inquirebant, & ipſa certificabat; & ſpecialiter creditur de Beato Luca, quod ad eam, tanquam ad arcam teſtamenti recurrit, & ab ea de multis certificatus fuit: præcipuè de iis quæ ſibi ſoli conſtabant, ſicut de Angelica annuntiatione & Chriſti Nativitate.* Vnde S. Lucas non ſolum Sancti Pauli Apoſtoli, verum etiam quidam glorioſiſſimæ ſemper Virginis Mariæ diſcipulus fuit; atque ideo non poterat non eſſe lumen, qui ejus erat diſcipulus, quæ propter magnam, quam ſuis communicat, lucem, *Maria* dicitur, id eſt, *illuminatrix.*

19. Quandoquidem omnes Apoſtoli & Chriſti diſcipuli, proprium habuerint per ſortem, locum, in quem ſe ad ſanctum Evangelium prædicandum, receperunt, meritò quæritur, quiſnam fuerit locus ille, in quem Sanctus Lucas ſe recepit, ut Chriſtum Ieſum prædicaret? In promptu autem eſt reſponſio, eum ſcilicet profectum eſſe in Ægyptum, *Paulo quidem Romæ relicto*, inquit ubi ſupra Metaphraſtes, *ad Orientem deſcendit, totamque Lybiam percurrens, in Ægyptum pervenit.* Cur potius in Ægyptum, quàm in aliam quamvis mundi partem ſe recepit? Vtique non ſine particulari la-

rente Sacramento contigit. Conſtat enim remedium proportionatum eſſe debere ei, cui adhibendum eſt neceſſitati. Sic pauperibus dandæ ſunt divitiæ; ſanitas infirmo: famelico panis: conſolatio afflicto: ignoranti conſilium, veſtis nudo, aqua ſitibundo; & ſic per alias neceſſitates diſcurendo invenietis, cujus malo proprium applicandum eſſe remedium. Vnde quia Ægyptii, præ quavis alia mundi natione, denſioribus involuti erant ignorantiæ tenebris, utpote qui nullum ſuper terram animal prætenibant, quin idipſum veluti Deum quendam adorarent; unde propter tàm horridas tantæ ignorantiæ tenebras *Ægytii* quoque, id eſt, *tenebroſi* appellabantur. Atque ideò quia pro tantis tenebris ab ipſorum induratis cordibus depellendis, maximam habebant luminis neceſſitatem, Deus pro illis illuminandis, Sanctum Lucam clementiſſimè ſubmiſit, eundemque veram, juxta nomen ſuum, lucem eſſe probavit.

20. Sanctus Lucas utpote Sancti Evangelii eximius ſcriptor, magnum ſui nominis ſibi ſplendorem comparavit. Adeo namque ex divino illo opere factus eſt illuſtris, ut Apoſtolus de eo cum Corinthiis diſcurrens, 2. Cor. 8. v. 18. dicere non dubitarit: *Cujus laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias.* Quaſi dicere vellet: Sanctus Lucas adeò eſt illuſtris, ut cùm alii Prædicatores in iis tantum locis coruſcare ſoleant, ubi Divini verbi prædicationi vacant, ipſe èc contra in omnibus locis, ubi ſuum duntaxat legitur Evangelium, clariſſima luce effulgeat, ſive in iis prædicaverint, ſive non. Gloria Sancti Lucæ tam è vicinis, quam remotis procul regionibus reſplendeſcebat, id eſt, tàm in Eccleſiis Ægypti, quàm in aliis extra Ægyptum procul conſtitutis Eccleſiis coruſcabat: *Cujus laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias.* Vnde ipſum glorioſo hoc Lucæ nomine digniſſimum fuiſſe colligimus. Etenim ratio ob quam Elephas Lucas dicitur, eſt quod à longinquo reſplendeat. Quia enim Elephantes olim certas quaſdam in dorſo turres, deauratis ſcutis è longinquo fulgentibus circumdatas portare ſolebant, hinc *Lucas* ſunt appellati *Elephantes Lucas ad hoc dictos reor, quod longè relucebant. Propter inauratos regios clypeos, quibus eorum tum ornatæ erant turres*; inquit Thuilius Emblematum Alciati commentator, Emblemate 124.

21. Quod ſi vitam noſtram Chriſto Domino noſtro inprimis; deinde verò Sancto Lucæ Evangeliſtæ è nobis in acceptis referendam eſſe dicerem, à nullius mihi erroris reatu timendum eſſe omninò exiſtimarem. Quod ſi enim lux Sancti Evangelii præcipua cauſa eſt, ob quam mundus vivit. *Nam quod mundus vivit*, inquit Petrus Damianus ſermone quadrageſimo nono, *hæc eſt cauſa, quia lux nobis Evangelica coruſcavit.* Cur nos Sanctis Evangeliſtis, & Sancto Lucæ, veluti uni ex illis, vitam noſtram debere, dicere verè reor. Res hæc omni prorſus dubio caret. Videte igitur quantum Sancto Evangeliſtæ, cui vitam noſtram debemus, obligati ſimus. Quod ſi nobis divitias, honores, ſanitatem, dignitatem, aut aliud quodvis terrenum & momentaneum bonum, magna utique futura eſſet noſtra erga ipſum obligatio; jam verò ſimilia nobis non eſt largitus, ſed incomparabiliter majora & excellentiora donavit, quia vitam dedit, & vitam quidem ſempiternam, quæ quodvis aliud bonum infinities ſuperexcedit. Cùm igitur vitam nobis dederit, lux fuerit, neceſſum eſt à qua cuncta viventia vitam recipiunt. *De ſole vitam omnia mutuantur*, inquit Macrobius in ſomnio Scipionis libro primo, capite ſexto.

22. Quemadmodum id, quod prius in terra exiſtens nunc eſt in cælo, eò à ſolis luce & radiorum ſuorum virtute eſt attractum. Vnde *ſol* ita Latinis dicitur, quia *ſurſum omnia levat*, uti Richardo à S. Laurentio de Laudibus Beatæ ſemper Virginis Dei Genitricis Mariæ placet. Ita, quotquot hodie animæ in cælis exiſtunt, eo per ſancti Evangelii prædicationem ſublimantur. Vnde primi Sanctæ Eccleſiæ Prædicatores piſcatores fuerunt, idque ex nulla alia de cauſa, quàm quod ſicut piſcatores ex profundo maris piſces in altum extrahunt: ita prædicatio Sancti Evangelii veluti Canna quædam, non minus loquax quàm armata, hamo verbi divini, animas de terra in cælos ſublevet, atque glorificet. Atque ideò ejuſmodi Prædicatores à Chriſto Domino noſtro non immeritò *Soles* vocantur, Matthæi capite quinto, verſu decimo quarto. *Vos eſtis lux mundi*: quippe qui ad inſtar ſolis virtute ſuperni luminis homines ad æternæ beatitudinis cælum exaltant. Hiſce autem meritiſſimo jure accenſeri meretur S. Lucas Evangeliſta, qui non minus quàm alii huic operi ſe generosè & alacriter accinxit, & ſtrenuè vacavit, ſolis officia indefeſsè exercendo. Digniſſimus itaque hoc Lucæ nomine fuit, quod non ſolum, uti vidimus, *lux* interpretatur, verum etiam uti

Sancto

Sancto Anaſtaſio ubi ſupra placet, idem ſignificat, quod *Ipſa faciens ſurgere*, aut, ut alii volunt: *Ipſe elevans.*

23. Puriſſimum & incontaminatiſſimum, quod in toto poteſt mundo reperiri, lux dici meretur; hæc enim adeo eſt pura & incontaminata, ut tametſi res turpes fœdaſque contingat, fœdari tamen & contaminari minimè poſſit. Vnde ad ſummam Reginæ Angelorum puritatem deſcribendam, lucis ſymbolum adhibetur, eaque quæ majori cum vivacitate in aurora, luna, & ſole regnare conſpicitur *Progreditur* (ita de illa Cant. 6. v. 9. dicitur) *ſicut aurora conſurgens, pulchra ut luna, electa ut ſol.* Eodem ſymbolo verbum incarnatum uti voluit, ad infinitam puritatem ſuam proponendam, quando Ioan. 8. v. 12. dixit: *Ego ſum lux mundi.* Et tametſi S. Lucas in puritate Chriſto, aut ſanctiſſimæ ejus matri nequaquam comparari queat, adeo nihilominus juxta capacitatem ſuam purus fuit, ut poſtquam mundum relinquere & Chriſtum ſequi cæpit, nulla unquam viſus fuerit mortali culpa coinquinatus: *Lucas Antiochenus Medicinæ artis egregius ſine crimine fuit,* inquit D. Hieronymus apud S. Vincentium ſerm. de Sancto Luca. Sanctus igitur Evangeliſta magno ſuo nomine digniſſimus fuit. Lucas fuit, quia lucem ſe eſſe probavit, ſiquidem ſemper purus, ſemper incontaminatus, ſemper irreprehenſibilis vixit.

24. Quærunt Theologi, quidnam ſit macula illa, quæ poſtquam homo Deum offendit, in anima ejus reliqua permanet? Et reſpondent, uti Paulus de Palatio in caput quintum Matthæi ſcribit: *Eſt carentia gratiæ, quæ tantum nitorem conciliabat;* Eſt quædam divinæ gratiæ privatio, quæ veluti res quædam caliginoſa & obſcura, animæ pulchritudinem & ſplendorem, quæ ob divinæ gratiæ præſentiam tantopere coruſcat, confundit, obtenebrat, & difformat. Suppoſito hoc fundamento tanquam veriſſimo, de quo dubitare nequaquam licet, videlicet ſanctum Lucam nullum unquam commiſiſſe mortale peccatum, unde divinæ gratiæ ſplendore privaretur, conſequenter neceſſarium eſt dicere illum ſemper fuiſſe ſplendidum, ſemper lucidum, ſemper lucem, ſemper denique Lucam, & haud ſecus ac ſolem quendam ſemper fuiſſe ſplendidum, cùm enim ſolem, id eſt, divinam gratiam ſemper ſecum habuerit præſentem, neceſſum eſt, ut inſtar ſolis ſemper quoque ſplendidus conſtanter permanſerit. Divina enim gratia ſol quidam eſt fulgentiſſimus. *Gratia gratificans,* inquit S. Bernardinus part. 3. de Calam. Senec. Art. 1. c. 3.

25. Dicere fortaſſe non nemo poterit: Itane? Ergone poſſibile eſt Sanctum Lucam nullo unquam fuiſſe peccato contaminatum? Ad minus ſaltem invidiæ peccato, morbo nimirum, quo omnes Medici, noſtri temporis præcipuè videntur, carere non potuit. Sicut enim faber fabro invidet, figulus figulo, muſicus muſico:

> *Odit fabrum faber, figuloque moleſtus*
> *Eſt figulus, mendico protinus invidet alter*
> *Mendicus, cantor cantorem lividus odit.*

Vt ſcribit Heſiodus in oper. & dieb. Ita mendicus alteri invidet mendico, ſuæ nimirum propriæ profeſſionis conſorti. Verum falleris, ô bone vir, quiſquis id tibi perſuades. Sanctus Lucas enim, uti Sanctus Vincentius ubi ſupra refert, tantæ perfectionis Medicus fuit, ut ne minimum quidem odioſæ invidiæ in corde ſuo locum dederit; Nulli unquam medicorum invidus fuit, imo eos qui ſuæ erant profeſſionis collegæ, ea cum reverentia, & honore ſemper proſecutus fuit, ut iis qui ſuam in Medicina operam implorabant. Semper alios conſulere perſuaſerit: *Beatus Lucas ita ſe rexit, ut nec per invidiam fecerit contra divinum præceptum, quæ communiter eſt inter medicos; ſemper commendabat alios, nec deſpiciebat.* Ecqua ratione invidia in luce regnare, aut locum habere in ſole ſplendeſcente poterat? Invidia Erebi & noctis filia, uti Poetæ fingunt, locorum tenebroſorum & obſcurorum incola eſt & habitatrix, teſte Ovidio, qui hunc in modum canit:

> *Protinus invidiæ nigro ſqualentia tabo*
> *Tecta petit, domus eſt imis in vallibus, hujus*
> *Abdita luce carens, &c.*

26. Panegyrim hanc concludamus inveſtigando rationem, ob quam cum cæteri Chriſti diſcipuli, Apoſtoli & Evangeliſtæ fuſo pro Chriſti amore ſanguine, ſub Martyrii tormento mortui fuerint, unicus duntaxat Lucas, tametſi illorum & quidem præcipuorum unus fuerit, Martyrium evaſerit? Ideone forte non eſt mortuus Martyr, quod nimia perculſus fuerit Martyrii & mortis formidine? Nequaquam. Ipſe namque martyrium pariter & mortem non ſolum nequaquam timuit, verum etiam inſtar aliorum pro Chriſti obſequio Martyr eſſe, & crudeliſſima morte affici, unicè deſide-

deſideravit. Quia vero in triginta ſeptem annorum ſpatio, quibus una cum Paulo Evangelium prædicavit, neminem, qui illum occidere vellet, offendere potuit; ideo ſub illato ſibi tormento mortuus quidem non eſt, tametſi tota vita ſua continuum tormentum fuerit: *Lucas*, inquit Sanctus Vincentius ubi ſupra *triginta ſeptem annis laboravit cum Paulo inter infideles, ut fuiſſet Martyr, ſed nullus dum voluit occidere.* Et quomodo occidi potuiſſet, qui *Lucas*, id eſt, *vera Lux* erat, cùm lux res quædam ſit totius mundi pulcherrima, omnia venuſtans & exornans. Quod ſi Agamemnon Helenam tametſi millecuplæ mortis ream, quod pulchra eſſet, occidere non potuit. Quod ſi Pavo tempore regnantis Alexandri, ob ſui ſpecioſitatem occidi non debuit: Quod ſi Cæſar Auguſtus Alexandrinam urbem ob ſolam ſui elegantiam everti & devaſtari noluit; quomodo hominum aliquis adeo eſſe potuiſſet barbarus & temerarius, ut Lucam occideret, ut lucem tem non minus decoram, quàm neceſſariam è vivis tolleret. Quo modo mundus ſine Luca, ſine luce potuiſſet ſubſiſtere? Quodnam perverſus homo ille fuiſſet tormentum promeritus, qui cunctos homines luce deſtituiſſet?

# PANEGYRICVS XLVII.

## De glorioſiſſimis Chriſti Apoſtolis SIMONE & IVDA.

## THEMA:

Iuſtus ut palma florebit, ſicut Cedrus Lybani multiplicabitur; Plantati in Domino, in atriis Domus Domini noſtri florebunt.
Pſalm. 91. verſ. 13.

## ARGVMENTVM.

*Inter alias glorioſiſſimas arbores quæ in terreſtri domus incarnati verbi Paradiſo effloruere, Sanctiſſimi Apoſtoli SIMON & JUDAS duæ fuerunt arbores florentiſſimæ: è quibus ille quidem palma, hic vero Cedrus extitit.*

1. PAradiſus potius quam terrena & humana habitatio cenſeri domus illa debebat, in qua unigenitus Dei filius poſt ſuum in hunc mundum adventum dignatus eſt habitare. Quod ſi enim quilibet locus, cui ſuum Deus pedem infigit, in Paradiſum convertitur, cum Deus extra paradiſum eſſe non poſſit, utique Paradiſus domus illa eſſe debuit, in qua Chriſtus totannis habitavit. In hujus Paradiſi medio arbor vitæ erecta erat, quæ novem menſibus in caſtiſſimo utero ſuo Deum portans, ſalutiferum illum mundo fructum produxit, quo cæleſtes ſpiritus inſatiabiliter paſcuntur. Ad hujus latus lilium illud pulcherrimum Joachimi Patris ſui progerminabat, florebatque fragrantiſſima illa roſa Sanctæ Annæ digniſſimæ matris ſuæ Ibi exurgebant abies S. Joannis, & S. Jacobi Laurus, aliæque plurimæ totaliorum ſanctorum fæcundiſſimæ arbores, quibus fæliciſſima illa digniſſimaque domus erat referta. Porrò quia eademmet Domus glorioſiſſimos etiam Apoſtolos

ſtolos Simonem & Judam progerminare meruit, quorum uno veluti Palma, altero vero quaſi Cedro decorata erat, ad eum modum quo à Davide Pſal 91. v 13. deſcribuntur. *Iuſtus ut palma florebit ſicut Cedrus Libani multiplicabitur in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri florebunt.* Ideo cum in hoc opere noſtro de aliis hujus Paradiſi arboribus prolixè diſſeruerimus & ſola ſuperſit tam de palma, quam de Cedro diſſertatio, utique huic myſticæ arbori Panegyricum præſentem conſecrabimus, proque majori utriuſque glorioſiſſimi Apoſtoli honore & gloria videbimus, qualiter ſub palmæ ſymbolo excellentiæ S. Simonis lateant: laudes vero S. Judæ ſub Cedri typo conſiſtant. Et quidem omnia utriuſque Apoſtoli magnalia ſtudio & data opera in unum diſcurſum congeſſimus, ut ſicut juxta communem traditionem eodem fuere ſanguine geniti, ab eodem utero producti, in eodem loco nati, in eundem gradum evecti, in eundem locum miſſi, eodemque loco mortui, denique ab Eccleſia uno eodemque die pari feſtivitate concelebrati, ita *Quos Deus conjunxit homo non ſeparet.*

2. Inter primos præcipuoſque honores quibus Deus glorioſiſſimum Apoſtolum ſuum S. Simonem condecorare voluit, ſuum quoque virginitas locum habet Nicephorus & Cæſar Baronius tradunt S. Simonem in nuptiis Chananæis, quas Chriſtus primo, quod manus ejus patravere miraculo honoravit, ſponſum fuiſſe, inde à Chriſto ad Apoſtolatum vocatum eſſe. Hujus opinionis veritate ſuppoſita, neceſſum eſt dicere S Simonem vere virginem manſiſſe, utpotè quem Chriſtus, ne virginalem candorem commacularet, ſed in perpetua caſtitate perſiſteret, à ſponſæ latere præmaturè ſubduxit. Quod ſi enim juxta illos, qui S Joannem Apoſtolum in hiſce nuptiis ſponſum fuiſſe volunt, is à Chriſto ideo ad diſcipulatum è mediis nuptiis vocatus fuit, ne per conſummatum matrimonium integritatem perderet virginalem. *Dicitur communiter*, inquit Nicolaus de Lyra in cap. 2. Joannis, *quod illæ nuptiæ fuerunt Ioannis Evangeliſtæ à quibus Chriſtus eum vocavit ante conſummationem matrimonii per copulam carnalem.* Et Dionyſius Carthuſianus art. 7. in Joan. inquit: *Chriſtus nuptiis intereſſe dignatus eſt, quatenus nepotem ſuum Ioannem à ſtatu conjugali ad ſtatum ſublimiorem vocavit.* Conſequenter etiam in ſententia illorum qui S. Simonem nuptiarum iſtarum Sponſum fuiſſe exiſtimant, dicendum eſt, illum quoque à Chriſto ad ſe vocatum eſſe à nuptiis, ne per matrimonii conſummationem florem perderet virginitatis. Unde quia virgo erat *Simon* congrue dicebatur: Hoc enim nomine latino ſermone interpretatur *ponens triſtitiam*, id eſt, homo lætus ſine dolore & melancholia. Sicut enim ii qui non ſunt virgines, humanis continuò ſubjacent doloribus, magnaque quam matrimonium adferre ſecum ſolet, obnoxii ſunt animi mœſtitudine & melancholia: Ita qui in virginitatis ſtatu conſiſtunt, ab omnibus prædictis malis & difficultatibus adeò liberi ſunt atque ſoluti, ut à S. Cypriano libro de diſciplina & habitu virg. *Læta indoles*, congruentiſsimo nimirum nomine ſint appellati. Hinc igitur perſpicuè videre licet, qualiter S Simon Apoſtolus vere palma quædam fuerit: *Iuſtus ut palma florebit.* Sicut enim palma virorem ſuum nunquam amittit: *Palma nunquam perdit virorem ſuum*, inquit Petrus Berchorius, & quotidiana idipſum experientia docet: ita quoque S. Simon virginitatem ſuam perdere non potuit: quæ *virginitas* dicitur *quaſi viror genitus*, ut dicit Richardus à S. Laurentio lib. 4. de Laud. B V.

3. Juxta communem omnium opinionem elegantiſsima & pulcherrima omnium arborum palma eſt; nec eſt qui huic contradicat. Id quod adeò verum eſt, ut Deus in Scriptura Sacra de palma loquens illam non pulchram tantum, ſed pulcherrimam arborem appellet, quaſi tantus ſit ejus decor & venuſtas, ut pulcherrima vocari mereatur. Sic quando Levitici 23. v. 40 Hebræis dicebat: *ſumetis vobis primo die fructus arboris pulcherrimæ*, de palma loqui conſtituit. Et nunquid ut ipſamet Angelorum Regina (cujus ſpecies & formæ elegantia tanto cum exceſſu quamvis ſuperat pulchritudinem humanam & angelicam) deſcribatur tanqam verè pulchra, palmæ comparatur? *Sicut palma exaltata ſum in Cades.* dicitur Eccleſiaſtici 24. v 18. Simon igitur verè palma quædam fuit. Quis enim neſcit, quod cum à Deo Apoſtolico fuerit honore inſignitus, excellentiſsimè ab eodem decoratus & ornatus fuerit? Adeò admiranda eſt Apoſtolicæ dignitatis pulchritudo, ut Iſaias cap. 52 v. 7 Apoſtolos, utpote qui Chriſtum per univerſum mundum portarunt, ſub pedum Chriſti ſymbolo conſiderans de eorum pulchritudine obſtupefactus, dicere non dubitarit: *Quam pulchri ſuper montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis ſalutē!* Imò Apoſtoli quia ſpecioſiſsimi ſunt, ideo luci in Scriptura comparantur, *Vos eſtis lux mundi*

*mundi.* dicebat illis Chriſtus Matth. 5. v. 14. pulcherrima res totius mundi, unde quævis alia pulchritudo dependet, lux eſt.

4. Chriſtus in univerſalis Judicii die tanto videbitur decore & formæ venuſtate conſpicuus, ut ſimilem ſibi decorem imaginari nemo poſſit; quia nec ſol, nec luna, & ſi quid ſole & luna creati à Deo pulchrius potuit divini corporis pulchritudini comparari ulla ratione poterit. Etenim tametſi in cunctis corporis ſui partibus ſumme ſit pulcher futurus, in illis tamen in quibus paſſionis ſuæ vulnera ſuſtinuit, pulchritudo erit omnium maxima. Hujus ratio hæc eſt, ut vult Hugo de S. Victore in Annot. in Joan. quia in illis partibus majore Deo quam in aliis obedientiam exhibuit. *In die Iudicii,* inquit hic Doctor de vulneratis Chriſti membris loquens, *glorioſa apparebunt, & glorioſiores forſitan, quam cæteræ partes corporis, eo quod Dominus in illis majorem exhibitionem obedientiæ oſtenderit.* Unde colligitur quod obedientia animam valde venuſtet & pulchram faciat, imò plus quam quodvis aliud ſpirituale ornamentum quod ſanctos decorat. Colligitur etiam inde S. Simonem fuiſſe pulcherrimum quia obedientiſſimus fuit. Adeò namque obediens fuit, ut ſubitò poſtquam à Chriſto ad ſe vocatus fuit, patrem & matrem, & quicquid demum in terra habuit, omni poſſibili promptitudine dereliquerit. Adeò obediens, ut ſanguinem pariter & vitam pro Chriſto prodegerit, ut Chriſto obediret. Adeò denique obediens extitit, ut obedientis nomen ſibi inde compararit. *Simon* namque latino ſermone *obediens* interpretatur.

5. Simon per obedientiam in interiori animæ ſuæ vultu adeò ſpecioſus fuit, ut quidam viſus fuerit eſſe Angelus legatis velim caput 4. Sancti Matthæi, ubi ſcribitur, quod cum Chriſtus ſuper maris vertices ambulans ad ſe Petrum & Andream fratrem ejus advocaſſet, hi ſancti ejus diſcipuli tanta eum cum velocitate fuerint inſecuti, ut navim, retia, & quicquid in terra habebant in unico momento relinquentes, Chriſti Domini fuerint ſcholam ingreſſi: *At illi continuò relictis retibus ſecuti ſunt eum,* inquit textus loc. cit. v. 20. Paulus de Palatio hæc verba ponderat, & dicit: Quid ſibi hoc vult, quod cum Apoſtoli, poſtquam à Chriſto fuere vocati, aliquantulum ſibi tempus vendicare potuerint, tum ut de rebus ſuis diſponerent, tum ut ab amicis & parentibus ſuis abeundi licentiam expoſcerent, hoc tamen tempus nullatenus uſurparint, ſed eodem met momento quo à Chriſto fuere vocati, ipſum mox quoque fuerint ſecuti? Cur ad obediendum verbis Chriſti adeò fuere veloces & ſolliciti? Reſpondet autem, quod quando ſervis Dei incumbit obediendi Deo neceſſitas, tunc haud ſecus ac ſi Angeli eſſent current, volent, non tardant, non morantur, nullum quoque ad id quod divina illis majeſtas impoſuit, debitè exequendum, temporis jacturam faciunt. *Mirabile eſt,* inquit citatus Paulus in capite quarto Matth. *quod continuò reliquerint, nullo alio exſpectato. Ita planè. Servi Dei ſunt ſicut Angeli, qui citiſſimi ſunt.* Vir obediens Angelus quidam eſt, & obedientia hominem Angelum efficit, eidemque Angeli alicujus alas attribuit. Cùm igitur obedientes Angeli ſint, non ſolum veloces & ſolliciti erunt, ſed valde quoque pulchri & ſpecioſi; non minus enim Angeli pulchri ſunt, quam veloces & ſolliciti. Pulcher itaque inſtar Angeli S. Simon debuit, qui adeò obediens extitit, ut obedientis ſibi nomen compararit.

6. Quod ſi homo aliquis cum homine dimicans, magnam ſibi poſt obtentam Victoriam gloriam comparat, majorem autem ſibi gloriam adſciſcat, ſi Dæmones certando devicerit, utiq; omnium Victorum glorioſiſſimus erit, qui in pugna adverſus ſemetipſum aſſumpta, ſemetipſum proſternit & vincit. Quis enim neſcit, eum qui ſeipſum vincit, hominum, & dæmonum victores generoſiſſime ſuperare? Ejuſmodi victoriam obediens ſibi comparat, hic enim mundo & dæmone jam devictis, ſibimetipſi quoque propriæque voluntati contradicit. Unde Sapiens optimè ad propoſitum loquitur. Prov. 21 v. 28. dicens: *Vir obediens loquetur victorias. Loquatur Victorias,* inquit Hugo Cardin. in cap. 21. Prov. id eſt *quibus ſeipſum per virtutem obedientiæ vicit.* Ponderandum autem benè eſt, quod non dicat, *loquetur victoriam, ſed loquetur victorias;* ut hac ratione inſinuetur, quod quando obediens ſemetipſum vincit, adeò ingentem & glorioſam inde victoriam referat, ut omnibus æquivalere poſſit victoriis, quotquot Alexander, Pompejus, Cæſar aliique terræ Reges unquam reportarunt. Ejuſmodi victoriam adeò glorioſam & magnam Simon reportavit, poſtquam à Chriſto vocatus, tanta cum velocitate obediendo, ipſum eſt inſecutus. Meritò igitur per ſymbolum palmæ, quæ victoriæ typus eſt, intelligendus venit. Cùm igitur victoriam adeò excellentem & magnificam ſit conſecutus, meritò non tantum victorioſus

 in con-

in concreto ſed in abſtracto quoque Victoria dici meretur.

7. Quia communis eſt omnium opinio in palmis utrumque reperiri ſexum, ita ut una ſit maſcula altera fæmella, ſicut in hominibus aliiſque animalibus accidit, ideo merito quærendum venit, ad quemnam ſexum palma hæc, de qua loquimur, referenda videatur? Certè quantum mihi capere & intelligere conceditur illam fæmineam eſſe exiſtimo; non ſolùm quod illam videam innumeros Chriſto filios peperiſſe, iiſdemque lac miniſtraſſe cæleſtis doctrinæ, quibus proinde cum S. Paulo ad Galath. 4. v. 19. dicere poterat: *Filioli mei quos iterum parturio, donec efformetur in vobis Chriſtus* Neque etiam ob ſolam ſummam ejus pulchritudinem, quæ majori cum proprietate mulieribus competit quam viris Verùm inſuper ob inſolitum quo tam erga Chriſtum Deum & magiſtrum ſuum quam erga illos quoque quos ut Deo lucraretur, à Chriſto ſibi habuit commiſſos, ardebat amorem. Adeò S. Simon cæleſti hoc igne exarſit, ut non amor ſed zelus, id eſt, quidam viſus fuerit amoris exceſſus. Unde nomen quoque *Zelotis* obtinuit. Unde fæminam ſe potius quam virum probavit. Sicut enim fæmina eum quem odit, odio proſequitur exceſſivo omniſque mediocritatis experte, ita dum amat, exceſſive & ſine mediocritate amat. *Aut amat, aut odit mulier, nihil eſt medium,* inquit Seneca in Proverbiis.

8. Inter alios ſanctos qui præ cæteris à terra maximè elevati, Deoque propinquiores exiſtunt annumerandus quoque venit S. Simon Apoſtolus Hic enim ſe magis in altum ſuſtulit, Deoque vicinior fuit, tum ratione ſanguinis, cum ſit filius Mariæ Cleophæ, Beatiſſimæ Virginis cognatæ; imò ſororis, ut volunt nonnulli: tum ratione dignitatis Apoſtolicæ, ob quam ſemper familiariter agebat, loquebatur, & converſabatur cum Deo: tum denique ratione ardentis zeli, à quo honorificum ſibi nomen obtinuit. Inter omnes virtutes Chriſtianas nulla eſt, quæ nos adeò exaltet, Deoque vicinos faciat, uti animarum zelus facit. *Hi ſunt ſublimes ante Deum*, inquit Richardus de S. Victore cap. 21. in Cantic. de iis loquens *in quorum pectore ardens Dei zelus regnat*. Nihil enim ſic placet Deo, ſicut zelus & lucrum animarum ob hunc ſolum Simoni Palmæ comparari debet. *Palma eſt arbor*, inquit Guilielmus Pepinus in cap. 15. Exod. clauſ. 3. *quæ ſurſum erigitur, tam ipſa quam rami ejus*. Imò inter alias arbores quæ vel maximè de terra elevantur, cæloque appropinquant, palma quoque præcipuè numerari debet. Atque ideo ut Sacra Scriptura admirabilem Reginæ Angelorum exaltationem, qua in die glorioſæ ſuæ Aſſumptionis à Deo ſuper omnia creata evecta, Deoque proximè vicina facta fuit, exprimat, ipſam Palmæ comparat: Eccleſiaſtici 24. v. 18. dicens: *ſicut Palma exaltata ſum in Cades*.

9. O quam grata, ſuavis, & delectabilis eſt Deo peccatorum ad viam gratiæ & gloriæ ſyncera converſio! dum Lucæ 5. v. 29. Matthæum Chriſto grande convivium, cui una cum ipſo tot alii Publicani accubuere, præparaſſe legitis: *Fecit ei convivium magnum levi in domo ſua & erat turba Publicanorum*, inquit citato Lucas, nequaquam perſuadere vobis debetis, Matthæum utpotè virum opulentiſſimum menſas ſuas exquiſitis oneraſſe carnibus, variis volucrum aſſaturis, peregrinis piſcium generibus, pretioſis vinis, confecturis ſaccharatis, aliiſque delitiis ſimilibus inſtruxiſſe, quibus hujus mundi magnates menſas ſuas certis in occaſionibus ornare videmus, ut proinde convivium illius velut magnum celebretur in Scriptura: *Fecit ei convivium magnum*. Decipimini enim ſi ita factum fuiſſe exiſtimatis. Imò potius convivium illud magnum fuiſſe dicitur, non ob magnum ciborum apparatum, ſed quia Chriſtus Dominus in ea Matthæi menſa, magnæ alicui contritorum, deque peccatis ſuis pœnitentium peccatorum turbæ accumbebat; qui quia divino palato ob magnam noſtræ ſalutis famem cibi ſunt dulciſſimi, ſuaviſſimi & ſuper mel & nectar delicatiſſimi, ideo Paradiſi illud magni & famoſi convivii loco habuit. *Ea ratione grande convivium fuit*, inquit Paulus de Palatio in cap. 9. Matth. *quia fuere Publicani convivæ*. Nullum cibum lautiorem Chriſto appones, quam Publicanos, ſi convertantur. Totidem S. Simon Apoſtolus in Mauritania, Africa, Britannia, Ægypto & Perſide, magna Chriſto convivia præparavit, quot animas prædicationibus & miraculis ſuis ab Idololatria ad Chriſtianam fidem, ad divinæ gratiæ ſtatum, ad præclaras æternæ gloriæ ſedes attraxat. Vera palma fuit, dactilorum, fructuum nimirum adeò ſuavium & dulcium fæcunda productrix *Sicut palma florebit*.

10. Chriſtus Apoſtolos ſuos Patriæ terno recommendans, Joan. 17. v. 15. dixit: *Non rogo, ut tollas eos de mundo, ſed ut ſervos eos à malo*. Porrò quia circa hunc locum dubium aliquod non minus

curio-

curioſum, quam præſenti propoſito noſtro congruentiſſimum ſciſcitari poſſe video, hinc quæro: An forte Chriſtus aliquod Apoſtolis damnum conciliaturus fuiſſet, ſi Patrem rogaſſet, ut Apoſtolus ſuos de hoc mundo tolleret? Certe quantum prima facie quidem apparet, non ſolum hac prece nullum illis malum intuliſſet, quin potius tantum illis conciliaſſet bonum, quantum imaginatione vix aſſequi poſſemus. Quis enim dubitat, quin Deus Apoſtolos ſuos ex hac vitâ tollendo, eos conſequenter ab omnibus hujus mundi, in quo omne malum regnat, eripuiſſet periculis, eoſque in ſecuro Paradiſi portu, ubi omne bonum eſt, collocaſſet. Cur igitur Chriſtus Patrem ſuum non rogat, ut diſcipulos ſuos ex hac vita eripiat, ſed potius ut eoſdem in hac vita conſervet? Chriſtus Deum, ut Apoſtolos ſuos in hac vita conſervaret rogavit, non ob propriam ipſorum utilitatem ſed pro mundi utilitate in quo erant. Apoſtoli namque in hoc mundo veluti totidem ſoles erant, prouti illis Chriſtus Matthæi quinto verſu decimo quarto dicebat: *Vos eſtis lux mundi* Quod ſi hæc lumina in cælum tranſlata, & huic mundo erepta fuiſſet quomodo mundus ſine ſole, inter tenebras perpetuas & caliginem potuiſſet ſubſiſtere? *Sine luminaribus, & ſole remanere homines noluit; ideo inquit, non rogare ſe, ut tollantur de mundo, ſed ut conſerventur à malo virtute omnipotentis Dei tentationum impetum ſuperantes*: inquit ſanctus Cyrillus Alexandrinus libro decimo primo capite vigeſimo tertio in Joannem. Quid de Ægypto, aliiſque Regnis, in quibus ſanctus Simon fuit, factum fuiſſet, ſi Deus eum una cum Apoſtolis aliis in cælum ſuſtuliſſet? Certe aliud nihil quam perpetua quædam caligo, nox continua, regna enim illa inter obſcuras Idololatriæ tenebras æternaliter manſiſſent involuta. Simon quaſi Sol quidam, diem ſerenum iis regnis intulit; ipſe Dæmones, quos miſere deceptæ illæ adorabant, fugavit: Ipſe lumen quo veram acquirerent Dei notitiam, eo introduxit. Merito igitur ſanctus Simon palma fuiſſe dicitur: *Iuſtus ut palma florebit*, quæ figura ſua ſolem repræſentat, quaſi Sol quidam ad imitationem ſolis cæleſtis à terra productus eſſet. *Palma ſolis hieroglyphicum eſt*, inquit Pierus lib 50 *quod figuram ſolarium radiorum imitari quodammodo videatur.*

11. Unum inter alia quæ in Palma obſervantur eſt deformitas partium inferiorum, & ſuperiorum partium decor & venuſtas; non minus enim in vertice palma pulchra eſt, quam ſit in trunco turpis & fæda. Per hoc autem inſinuatur Apoſtolum in ſuperiori parte animæ fuiſſe ſpecioſiſſimum, licet in inferioribus partibus, id eſt, in corpore, ob ſummam humilitatem ſuam deformis apparuerit, dignuſque contemptu. Quanta enim ſub extrinſeca humilitate ſua abſcondebatur pulchritudo? quantus decor & formæ elegantia in anima latebat ſub rudi & modica ejus veſte? De ipſo adagium iſtud pronuntiari liberrime poterat: *Si ſilenum hunc aperies, mira videbis.* Unde quia Perſarum nonnulli illum humiliter veſtitum videntes contemnere eum volebant, ipſe uti in Hiſtoria Lombardica legitur, hiſce eos verbis aggreſſus eſt: *ſæpe evenit, ut intra ſcrinea aurea & gemmata vilia quædam habeantur incluſa: & intra viliſſimas & ligneas capſas ſint gemmarum monilia pretioſa repoſita.* Adeo Simonis anima pulchra erat & gratioſa, ut corpus ejus pretioſam quandam gemmam videretur includere.

12. Verum, inquies, qualem gemmam corpus ejus dicet includere? Hyacinthum quendam Abbas Joachim enim in Apocalypſin ſanctum Apoſtolum per Hyacinthum, undecimam nimirum gemmam ex iis quæ civitatis Dei fundamenta conſtituunt, intelligit. Verum enimvero ſciendum eſt, quod Hiacynthus non ſolum ſit nomen aliquod gemmæ vel monilis, verum etiam fabuloſi cujuſdam juvenis, ac denique certum quoque florem ſignificet: unde dicitur

*Flos eſt Hyacinthus, lapis eſt Hyacinthus,*
*Homoque*

Inprimis igitur Apoſtolus Hyacinthus fuit, id eſt, homo quidam ſic appellatus; quia ſicut Hyacinthus fabuloſus ille juvenis mortuus eſt, dum flores legeret purpureos, ita ſanctus Simon quoque mortuus eſt, dum meſſem colligeret animarum, quas Chriſtus Dominus noſter pretioſa ſui ſanguinis purpura tinxerat, eaſdem in cæleſtis gloriæ viridarium repoſiturus. Fuit etiam Hyacinthus, id eſt, flos quidam purpureus, poſtquam enim Chriſtus Simonem Apoſtolicæ coronæ veluti Hyacinthum innexuit, ampliori eam gloria decoravit. *Simon inſeruit florem ſuum*, inquit ſanctus Fulgentius ſermone nono, *coronæ virtutis appratus manibus Salvatoris*; fulget de iſta corona igneo vigore decoratus. Denique Hyacinthus,

cinthus, id eſt, lapis pretioſus fuit, quia ſicut Hyacinthus utpote cæruleo colore tinctus cælum repræſentat, ita quoque ipſe cælum quoddam fuit, de numero ſcilicet illorum de quibus David Pſalmo decimo octavo verſu primo dicit: *Cæli enarrant gloriam Dei.* Præterea ſicut Hyacinthus colorem ſuum cum cæli colore commutat, adeo ut cælo claro atque ſereno exiſtente ipſe quoque clarus ſit atque ſerenus, obſcurus vero, cum cælum nubilum eſt & turbidum. Ita quoque ſanctus Simon, quia obedientiæ virtute excellentiſſimè præditus fuit, varias quoque cum cælo formas induit, quando id voluit, quod qui in cælo eſt Deus, idem quod Divinus Magiſter ſuum eum in ſchola ſua Matth. 6. verſu 10. docuerat dicens: *Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra* Denique ſicut Hyacinthus gemma quædam eſt, nec nimis clara, nec nimis obſcura. Unde idem Hyacinthus tanquam lapis pretioſus, nec nimis clarus, nec denſitate obſcurus à ſancto Iſidoro libro decimo ſexto Ethym. capite nono deſcribitur. Ita admirabilis Simon noſter, nec Deus fuit, qui ſumme eſt clarus, nec Homo, qui Deo comparatur non minus eſt obſcurus. Adeo virtuoſus fuit, adeo ſanctus, illuſtris, & in operibus ſuis clarus, ut non homo, ſed Deus aliquis exiſtimari potuerit. Superans nimirum id quod operibus hominum fieri poterat: Deus tamen eſſe non poterat, qui verus homo & Dei ſervus erat. Quod ſupremus exercitus Perſarum Archiſtrategus, ſtupenda quæ pariter cum Juda patrabat miracula cernens S. Simonem Deum eſſe exiſtimaverit humana carne contectum, ideoque Regi ſuo ut refert Hiſtoria Lombardica, dixerit: *Iſti ſunt Dii latentes in effigie hominis*, in hoc equidem magnum commiſit errorem, utpote qui Simonem Deum eſſe nequaquam credere debeter, ſed Apoſtolum tantum & Dei ſervum. Nonnihil tamen excuſari poſſe videtur, utpote qui eum hominem eſſe credere non poterat, cujus opera, humana opera ſuperare videbat. Hyacinthus igitur pretioſiſſimus fuit, ſub rudi veſte abſconditus & contectus.

13. Denique ut hujus ſancti Apoſtoli encomia per palmæ ſymbolum uti cæpimus, explicata fæliciter concludamus, ſciendum eſt Simonem ab Evangeliſta Matthæo capite decimo verſu quarto Cananæum appellari. *Cananæus* autem in latina lingua idem ſignificat, quod *commutatio*, quaſi palma quædam eſſet; Quæ ut Ruellius lib. 1. cap. 108. docet. *Translatione gaudet: ſeu loci commutatione.* O quantus laborum, ærumnarum hujus mundi, Tyrannorum, ipſiuſmet denique mortis contemptor S. Simon Apoſtolus fuit? De illorum numero unus erat, qui ut habetur Act. 5. verſu 41. *Ibant gaudentes à conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* Ipſe una cum Juda mori potius, quam inimicos ſuos mortuos videre voluit. Cum enim hæc illis ab Angelo optio, vel mortem perſecutorum ſuorum, vel martyrium eligendi daretur, ambo libere reſponderunt, ut refert Hiſt. Lombardica: *Adoranda eſt Dei miſericordia, ut & iſtos convertat, & nos ad palmam martyrii perducat.* Verè palma erat, quia mutatione loci gaudebat, pati & mori volebat, tranſplantari volebat ex hac terra in cælum, ubi nunc beatus exiſtens pro nobis omnibus apud Deum intercedit.

14. Tempus eſt ut à Palma tranſeamus ad Cedrum, id eſt, à Simone ad Judam, ab uno Apoſtolo ad alterum. *Sicut Cedrus libani multiplicabitur*, dicitur de S. Juda. Et quidem obſervandum inprimis, ſanctum hunc Apoſtolum in Epiſtola ſua ſervum ſe Jeſu Chriſti appellare. *Iudas Ieſu Chriſti ſervus.* Qui quidem titulus prima facie humilis nimirum eſſe videtur, ſiquidem ob dignitatis Apoſtolicæ excellentiam, ad quam eum Deus evexit Regem aut Principem meritiſſimo jure nominare ſe potuiſſet, Apoſtoli namque Reges ſunt & Principes terræ, Davide teſte, qui Pſalm 44. verſu 17. de Apoſtolis loquens dixit: *Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram.* Cur igitur is qui terræ Rex & Princeps eſt, ſervum ſe potius Jeſu Chriſti, quam Regem aut Principem nominare voluit? Certe quod ſi Rex aut Princeps nominatus fuiſſet non adeo per eos titulos eſſet honorificatus & exaltatus, quantum dum ſe ſervum vocat Jeſu Chriſti *Servus IESV Chriſti.* Et quis eſt adeo ignarus, qui id neſciat? *Nulla major dignitas, quam ſervire Chriſto*, inquit D. Ambroſius in exhortat ad Virgines. Rex igitur magnus imo Rex Regum S Judas ſervum ſe Chriſti appellando, Regem ſe magnum cognominarit, ſe quaſi altiſſimam quandam Cedrum deſcripſiſſe videtur, quæ ut Richardus à S Laurentio de Laud. B. M. inquit: *Rex arborum appellatur.*

15 Amplius quid dicam; Ex quo S Judas frater erat Chriſti, ſeque proinde ſublimi illo Fratris Chriſti titulo honorare poterat, prouti S. Jacobus frater ejus honorifico hocce titulo ſeſe nominarat; cur obſecro ſe non fratrem, ſed ſervum Jeſu Chriſti appellare voluit. *Servus Ieſu Chriſti*

*Chriſti*? Certe non alia de cauſa id facere omiſit, quam ob profundiſſimam humilitatem ſuam: Cum enim ſanctus Apoſtolus meritiſſimo jure ſe exaltare & fratrem Chriſti nominare ſe poſſet, ſervum ſe appellavit, tantundem ſe humiliando & ſubmittendo, quantum illum Chriſtus per ſtrictam parentelam ſuam evexerat. Et quis hic adeo cæcus eſt, qui non videat Apoſtolum hunc etiam hac in re ſe veram Cedrum eſſe, clare demonſtraſſe? Cedrus enim uti communiter dicitur maximum eſt & ſublimiſſimum lignum, quod ab ulla unquam ſylva produci potuit. Sanctus Judas quoque tantopere ſe humiliando magnum ſe probavit, atque ſublimem, ſiquidem humilitas propria ſit magnorum atque ſublimium virtus. Unde ſcriptura Eccleſiaſtici tertio verſu vigeſimo dicit: *Quanto magnus es; humilia te in omnibus*. Sic enim Deipara quoque Virgo Maria, poſtquam a Deo ſuper omnia quæ in cælo vel in terra ſunt, exaltata fuit, ſeſe infra omnia creata dimiſit, quando maxima cum veritate Reginam ſe hominum & Angelorum appellare potuit, ſervam & ancillam ſe nominavit Lucæ primo verſu trigeſimo octavo. Gabrieli dicens: *Ecce Ancilla Domini*: Sanctus igitur Judas in hiſce verbis ſuis quæ Epiſtolæ ſuæ præmiſit, veram ſe Cedrum eſſe probavit, cum enim è regia imo divina proſapia eſſet oriundus, ideoque Regem ſe appellare poſſet, ſervum ſe nominare voluit. *Servus Ieſu Chriſti*.

16. Verum dicat aliquis, inconvenientiſſime glorioſiſſimo huic Apoſtolo Judæ nomen impoſitum eſſe videtur. Reſpondeo, imo econtra convenientius illi imponi nomen minime potuiſſet *Judas* enim, ut nonnulli volunt, *Leo* interpretatur. Verus autem leo fuit hic Apoſtolus. Quia ſicut Leo Rex eſt inter beſtias, ita ipſe ut dictum eſt, Rex fuit inter homines, Leo fuit, qui victorioſi illius Leonis frater fuit, de quo Apocalyp. quinto verſu quinto dicitur: *Vicit Leo de tribu Juda*. Leo fuit, ob terribilem rugitum, quem tam contra Caini imitatores, quam adverſus Balaami ſequaces in Epiſtola ſua edidit. Leo fuit, quia Dæmonem vicit, qui ut dicitur primo Petri quinto verſu octavo. *Tanquam Leo rugit*. Unde ſicut Paulus Apoſtolus ob victoriam quam de Paulo Senatore obtinuit, quem fidei Chriſtianæ jugo ſubjecit, dictus eſt Paulus: ita ſanctus Judas ob infernalem Leonem detriumphatum Leo eſt appellatus. Leo denique fuit, quia ſicut Leo quoad partem anteriorem cæleſtis eſt, terreſtris autem quoad poſteriores corporis partes: *Cæleſtis eſt anteriore parte Leo, poſteriore terram ſapere videtur*, inquit Pierius libro primo. Ita quoque licet ſanctus Judas una ex parte tam ratione ſanguinis, quam titulo ſanctitatis pariter & dignitatis cæleſtis ſit atque divinus, ex altera terram ſapere videtur, id eſt adeo erat humilis, tantuſque ſui ipſius contemptor, ut ſe ſemper reputarit & nominarit ſervum. *Servus Ieſu Chriſti*.

17. Verum inquies iterum, quomodo Apoſtolus Judas, qui ovis quædam eſt, una nimirum de illarum grege, quibus Chriſtus Matth. 10. v. 16. *Ecce ego mitto vos, ſicut oves in medio luporum*, quomodo inquam idem leo appellari valebit? Fortaſſe ideo, quod ſimul ovis ſit & leo? Imo vero, hæc eſt ratio, vere namque ſimul ovis & leo fuit. Ovis nimirum per manſuetudinem, leo vero propter magnanimitatem. Ovis fuit, quia admirabili cum manſuetudine innumeros labores ſuſtinuit: Fuit quoque leo quia cum non minori magnanimitate, haud ſecus ac ſi merum cor fuiſſet, omnium ſe laborum & dolorum impetus obtulit & ſub quantumvis illatis tormentis generoſe perſtitit. Unde & *Lebbæus*, id eſt, *cor* nominatus fuit, *Lebbæus* enim *cognomentum habet à corde*, ſecundum Paſchaſium lib. 6 in Matthæum. Nam propter magnanimitatis ſuæ excellentiam quam in tolerandis pro amore Chriſti tormentis mundo exhibuit, totum ſe cor, & cordis nomine digniſſimum eſſe probavit. Vera igitur Cedrus fuit, arbor nimirum, quæ merum cor eſt, unde Cedrus arbor medulloſa dicitur; Medulla autem in arboribus, idem eſt, quod cor in animalibus: *Medullam cor malunt aliqui appellare*, inquit Ruellius libro primo capite ſecundo. Unde cum Cedrus mera medulla eſſe dicitur, idem hoc eſt, ac ſi merum cor eſſe diceretur.

18. Quandoquidem ſanctus Judas, uti audiſtis, de conſanguinitate & parentela Chriſti erat, qui ut vult Abulenſis in Matthæum, in civitate Nazareth habitabant, conſequenter S. Apoſtolum civem Nazarethanum fuiſſe, & Nazaræus fuit cujus caput nullum unquam f[illegible]um aſcendit, in cujus mente nulla unquam contra eos, à quibus calumnias & injurias paſſus fuerat aliqua vindictam ſapiens cogitatio locum habuit. An non enim per venenoſos illos ſerpentes, quos in veſte ſua coram Rege Perſarum, magna in copia attulit, maledictos illos Magos, qui Diabolicis ſuis inventionibus, illum ab Evangelica prædicatione moliebantur impedire,

dire ; occidere ſubito poterat ? Poterat utique, imo id facere ab ipſomet Rege jubebatur, ipſe vero nullatenus id facere voluit. *Nos miſſi ſumus,* ita loquebatur ad Regem ut habet Hiſtoria Lombardica, *reducere de morte ad vitam, non à vita præcipitare in mortem.* Vere hæc verba coram Rege audacter pronuntians, verum ſe probavit eſſe Nazaræum & cum Samſone Nazaræo Judicum decimo ſexto verſu decimo ſeptimo dicere videbatur : *Ferrum non aſcendit ſuper caput meum.* Veram ſe quoque Cedrum eſſe demonſtravit, quæ omnes inter arbores ſola ferrum non admittit: *Clavum non tenet Cedrus*, inquit Ruellius ubi ſupra.

19. Adhæc Cedrus etiam inter odoriferas arbores, infimum locum non habet, ideoque à Virgilio libro tertio Georgicorum odorata dicitur :

*Diſce & odoratam ſtabulis accendere Cedrum*

unde & Regina Circe, uti idem Poëta lib. 7. Æneidos refert, ut nocturno tempore lumen ſimul bonumque odorem Regiæ ſuæ miniſtraret, Cedros accendere ſolebat.

*Vrit adoratam nocturna in lumina Cedrum*

Verum quidnam inde evincere contendo ? Nihil profecto aliud, quam quod Apoſtoli propter fragrantiſſimum Chriſti odorem, quem per totum mundum ſpargebant, veræ cenſendi ſint Cedri. Cedrum ſe eſſe arbitrabatur ſanctus Paulus Apoſtolus quando ſecundo ad Corinthios capite ſecundo verſu decimo quinto dicebat: *Chriſti bonus odor ſumus Deo in his qui ſalvi fiunt, & in his qui pereunt.* Adeo magna, & mira ſanctitas ipſorum fuit, tantæ fuere ipſorum virtutes, tot tamque præclara ipſorum miracula, ut immortalem ſibi in terris famam compararint ; præcipue vero inter cæteros ſanctus Judas. De illo enim & ſancto Simone Breviarium Gallicanum dicit : *Dilecti Deo & hominibus Sancti Apoſtoli, ordinaverunt tempora ſua bono odore, uſque ad conſummationem vitæ.* Odoriferus igitur ſanctus Judas fuit, famoſus fuit, denique Cedrus vera fuit. *Sicut Cedrus Libani.*

20. Ponderemus hoc loco locum quendam ſcripturæ Exodi vigeſimo tertio verſu vigeſimo octavo ubi Deus populum ſuum hiſce verbis alloquitur : *Occidam omnem populum ad quem ingredieris, cunctorumque inimicorum tuorum coram te terga vertam : emittens crabones prius, qui fugabunt Havæum & Chananæum & Hethæum antequam introeas.* quaſi diceret : Priuſquam vos promiſſionis terram ingrediemini, tum ut ingrediendo nullam ex parte eorum qui illam hodie poſſident habeatis difficultatem, tum ut pacifica magis fiat veſtra poſſeſſio præmittam ante vos crabrones, qui pro vobis dimicabunt, veſtroſque inimicos qui conatibus veſtris molientur reſiſtere debellabunt, & in fugam convertent. Verum enimvero ex quo crabrones parva ſunt animalcula veſpis paulo majora, quæ volando ſibilant, impoſſibile omnino videtur, ut Deus juxta promiſſionem ſuam, illis mediantibus confligendo tam ingentem robuſtorum, fortium, & armatorum hominum proſternat exercitum. Quod ſi lupos, pantheras, urſos, tauros aut leones, aut alia magni roboris vaſtæque molis animalia mittere, & illis mediantibus tot populi ſui inimicos in fugam convertere promiſiſſet, rationabilis adhuc foret iſta promiſſio. Quid autem crabrones animalcula parva & debilia contra tot fortes & generoſos homines efficere potuerunt ? Veruntamen Deus tum ad demonſtrandas divinæ omnipotentiæ ſuæ vires, tum ad confundendam humanam ſuperbiam, res parvas & debiles ad maximorum facinorum executionem adhibere & applicare conſuevit. Non miſit Lupos, Leones, tygrides, tauros, aut alia animalia fortia & magna, ut inimicos populi ſui expugnet & in fugam convertat ſed crabrones, animalcula modica & debilia. Per hæc autem animalia Deus tunc Apoſtolos ſuos intelligebat, qui cum Angelis comparati, ſunt veluti crabrones collati cum hominibus. Per hos igitur crabrones Deus innumeros malorum ſeu infernalium Angelorum ex hoc mundo exturbare & proſternere contendebat, ut nos tanto majori cum facilitate cæli accipere poſſeſſionem poſſemus, id quod ſub terræ promiſſionis typo clare ſignificabatur. Audite hac de re loquentem Rupertum Abbatem libro tertio capite trigeſimo tertio in Exod. *Ignobiles & contemptibiles hujus mundi, ut nobiles & fortes confunderet, ante conſpectum noſtrum miſit, ut per illos contrita ſuperbia ſæculi facillime poſſimus ad vitam æternam ingredi. Iſti crabrones, qui ſe tanquam purgamenta mundi profitebantur, & omnium peripſema, milvos vicerunt, Diabolum;*

Principem

*Principem mundi fugaverunt*, *& omnes pompas ejus, sub pedibus suis velociter conculcaverunt.* Unus ex his crabronibus, per quos Deus tanta operatus eſt mirabilia ſanctus Apoſtolus Judas fuit. Hiſtoriam ejus legitote, ſic enim clare videbitis, quanta cum facilitate cum Dæmonibus certaverit, eoſque & ab Idolis, & è mundo generosè fugaverit. Ob hanc igitur rationem *Thadæus* etiam eſt appellatus, quod *apprehendens Principem* interpretatur: Ipſe namque tenebrarum Principem invaſit, eundemque è mundo fugatum, in Inferni barathrum præcipitem egit, ut nos ſumma cum facilitate æternæ vitæ patriam à Deo nobis promiſſam conſequi poſſemus. Porro tametſi non nemini extra chorum ſaltaſſe, aut à propoſiti mei tramite declinaſſe videri forſitan poſſim, attamen fallitur quiſquis id credit. Neque enim per hunc conceptum in Cedri oblivionem devenimus. Eo ipſo enim quo ſanctus Thadæus Dæmones ſerpentes infernales pellebat, verum ſe Cedrum eſſe probavit: *Cedrus enim odore fugat ſerpentes*, inquit Richardus à S. Laurentio lib. 12. de Laud. B. M.

21. Quod Chriſtus Salvator noſter Apoſtolos ſuos, quænam eſſet de ſua perſona aliorum hominum opinio, interrogarit Matthæi decimo ſexto verſu decimo tertio dicens: *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* id equidem tranſeat: Quod vero mox replicet verſu decimo quinto. *Vos autem quem me eſſe dicitis*, id citra neceſſitatem factum fuiſſe videri non immerito poſſet. Cum enim Chriſtus jam de hominum de ſe ſententia quæſiiſſet, Apoſtoli autem non minus quam alii homines quoque exiſtant, prima de hominum ſententia ab Apoſtolis data reſponſio, tam Apoſtolorum quam reliquorum hominum opinionem declaraſſe videtur, ut proinde ſuperflua ſit de Apoſtolorum opinione à Chriſto inſtituta quæſtio? Veruntamen nequaquam, uti quidem videtur ſupervacanea fuit ſecunda quæſtio; imo conveniens fuit & neceſſaria. Non enim Apoſtolos ſuos homines æſtimabat aliis hominibus ſimiles, ſed homines excellentioris & ſublimioris alicujus naturæ, & ideo pluſquam homines; unde poſtquam de hominum opinione interrogaſſet, neceſſarium quod fuit de Apoſtolorum quoque ſententia, utpote qui homines quidem ſint ſed pluſquam homines, quæſtionem peculiarem inſtituere. Quaſi jam non æſtimabat homines diſcipulos ſuos Dominus, quibus dicebat. Quem dicunt homines eſſe filium hominis? cui cum verbis hominum reſpondiſſent, illico adjunxit: *Vos autem quem me eſſe dicitis?* *Cum enim ſupra dixit homines*, *& deinde ſubjungit, vos autem, inter homines & diſcipulos ſuos diſtantiam fecit, & eos ſupra homines ferebat*, inquit Richardus de Sancto Victore in Prolegom. in Cant. Hiſce igitur verbis Chriſtus Apoſtolos ſuos veluti totidem Cedros à cæteris hominibus ſecrevit, utpote quæ altitudine & ſublimitate ſua alias arbores mire tranſcendunt. Dubium quidem non eſt, quin Apoſtoli ob gradus ſui ſublimitatem omnibus hominibus ſupereminean t, & ſint homines ſupra omnes alios homines ſingulariter ſublimes. Multo tamen minus ſanctus Judas, utpote ex altiſsimis hiſce Cedris proceriſsima, cui Cedri ſymbolum majori cum proprietate applicatur, cenſendus eſt aliis ſimilis homo; imo reipſa tum ob dignitatis ſuæ ſublimitatem, tum etiam ob meritorum & ſanctitatis excellentiam omnibus hominibus ſupereminuit, & pluſquam homo fuit.

22 Verum dicat aliquis: Ecquid igitur illum fuiſſe dicemus ſi non fuit homo, ſed ſupra homines excelluit? Alter quidam Chriſtus, qui eo quod non tantum homo, ſed ſimul ſit Deus, ſupra homines eſſe cenſetur & ſuperat omnes. Ratio ob quam ſanctus Judas Apoſtolus ut Paſchaſius libro ſexto in Matthæum dicit, Frater Chriſti dicitur: *Ipſe frater dicitur Salvatoris*, non ea tantum eſt, quia verus erat Chriſti cognatus & conſobrinus, verum etiam quia alter quidam videbatur eſſe Chriſtus. Hoc enim vocabulum *Frater*, idem ſignificat, quaſi *fere alter*, ut vult Aulus Gellius libro decimo tertio capite decimo. Atque ob hanc cauſam illum nomen hoc, *Thadæus*, ſortitum eſſe firmiter mihi perſuadeo, quod uti placet Authori Hiſtoriæ Lombardicæ, idem quod *tam Deus*, id eſt, magnus Deus, ſignificat. Apoſtolus hic ob ſimilitudinem quam cum Deo incarnato habebat, & propter virtutes quas in cæleſti magni hujus Magiſtri ſchola illum ſemper imitando ſibi compararat, non videbatur eſſe homo, quales ſunt alii homines, ſed alios homines longe ſuperexcedens & Deus quidam humana carne contectus. Talis enim revera Duci Regis Perſarum eſſe videbatur, quando ut ſupra diximus, de ipſo & ſancto Simone Regi ſuo dicebat: *Iſti ſunt Dii latentes in effigie hominis.* Quis igitur ſanctum Judam Cedrum

drum quandam fuiſſe non cenſebit, quem Chriſto ſimilem eſſe conſpicit, qui a ſponſa cæleſti Cant. 5. v 15 ſub Cedri ſymbolo proponitur: *Electus ut Cedri.*

23. Sanctum Judam magnum & ardentiſſimum Dei amatorem fuiſſe omnino mihi perſuaſum habeo; cum enim, ut ſupra diximus leo fuerit, hic autem tanto ſemper igne intus ardeat, ut ex mente Plinii lib 8. continuo febricitet, tanto amoris igne ardere debuit, ut una cum ſponſa præ nimia amoris vehementia infirmaretur & diceret illud Canticorum ſecundo verſu quinto *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo* Atque ideo forte *Lebæus* dici potuit, quod ab Authore Hiſtoriæ Lombardicæ, *Lebes*, ſivè Caldaria interpretetur, ſiquidem veluti lebes ad exceſſivi amoris Dei ignem expoſitus bulliebat. Cauſa enim unica ob quam tanta cum facilitate & promptitudine vitam & ſanguinem pro Dei ſervitio effuderit, magnus Dei amor fuit: *Majorem dilectionem nemo habet*, inquit Chriſtus Joannis decimo quinto verſu decimo tertio. *Ut animam ſuam det pro amicis ſuis.* Propter eundem quoque Dei amorem dicere oportet ſanctum Apoſtolum velut Cedrum quandam fuiſſe quæ a Græcis dicitur, ut vult ſanctus Iſidorus libro decimo ſeptimo Ethym. capite ſeptimo. *Arbor honoris ardentis.* Adeo namque Cedrus calida eſt, ut cum aliæ arbores aqueo ſint honore plenæ, hic igne plenus eſſe videatur.

24. De hoc eodem Apoſtolo Hiſtoria Lombardica refert, quod poſtquam Chriſtus poſt Aſcenſionem ſuam ſanctum Judam ad Abagarum Regem, juxta promiſſionem illi factam, miſiſſet; Rex ſanctum Apoſtolum aſpiciens, & faciem ejus conſiderans, magnum quendam divinumque ſplendorem è vultu ejus dirivari viderit: *Vidit Abagarus in vultu Thadæi quendam mirum ac divinum ſplendorem.* Quidnam obſecro ſplendor hic in ſancti Apoſtoli vultu ſignificabat? Erat Epigraphe, ſeu ſuperſcriptio ejus, quod habebat in corde, Divini amoris ardorem ſignificans qui intus in ejus anima ardebat Adeo enim magnus erat ignis ille quo ſanctus Judas ardebat, adeo vehementer & acutè ignis iſte Dæmones accendebat, ut non ſic Inferni ignem, quo continuo torrebantur, ſenſerint. ſcivit ignem Thadæi *Quid nobis & vobis Apoſtoli Dei.* (Ita juxta Hiſtoriam Lombardicam, Dæmones SS. Judam & Simonem alloquebantur) *ecce in ingreſſu veſtro flammis exurimur.* Quaſi inferni ardor modicus fuiſſet, & certo quodam modo tolerabilis, reſpectu ignis quo urebantur à ſancto Juda. Vera itaque Cedrus fuit, & *Arbor humeris ardentis.*

25. Burchardus in vita ſancti Bernardi libro quinto capite ſecundo ſcribit, quod ſanctus Bernardus jam moriturus diſcipulis ſuis præceperit, ut poſtquam mortuus eſſet, venerabilem quandam reliquiarum ſancti Judæ Apoſtoli partem, à certis quibuſdam Hieroſolymitanis devotis ſibi oblatam & dono datam pectori ſuo ſuperimponerent, prouti reipſa quoque poſtea factum fuit *Pectori ſuo ipſo in tumulo capſula ſuperpoſita eſt, in qua B. Thadæi Apoſtoli reliquiæ continentur, quas ſuo juſſerat corpori ſuperponi*, inquit citatus Burchardus Cur obſecro ſanctus & mellifluus hic Abbas poſt mortem ſuam, ſuo pectore ſancti Judæ reliquias ſuperimponi voluit? Forte ideo, quia quem vivens dilexerat, mortuus quoque in pectore portare volebat, in ſignum evidens, quod illum vivens in corde ſuo devotiſſime tulerit: Aut vero pro majori cadaveris ſui ornatu; Quodſi enim Apoſtoli cæleſtibus ſplendoribus ſuis cælos ornare poſſint, ut proinde à ſancto Gregorio Homilia trigeſima in Evangelio vocentur: *Ornmenta calorum*, multo magis tantus Apoſtolus defunctum aliquem ornare poterat pro eo tempore, quamdiu ſcilicet corpus animæ ejus conjunctum, aut in regnum luminum adhuc tranſlatum non erat. Vel etiam ad conſolandum & lætificandum mæſtum defuncti corpus, quod animam in cælo inter beatas gloriæ delitias, ſe vero ipſum in horridis ſepulchri tenebris depoſitum conſpiciens, juſtam habere videbatur dolendi & lugendi rationem. Neque enim majori potuiſſet corpus illud mortuum lætitia pro ſui capacitate profundi, quam per oſſium ſancti Judæ ſuperimpoſitionem, Judas enim etiam *Iubilum* interpretatur, atque ideo vim habebat omnem inde fugandi mœſtitiam. Vel denique, ut tandem etiam veram rationem edicam a Burchardo aſſignatam, ſanctus Abbas id poſt mortem fieri circa ſe voluit, eo fidei & devotionis intuitu, ut eidem Apoſtolo in die Reſurrectionis adhæreat, id eſt, ut hac ratione in univerſalis judicii die, quo ſe reſuſcitandum eſſe credebat, in ſancti hujus Apoſtoli ſocietate reſurgeret, & cadaver ſuum virtute meritorum

hujus

hujus Apoſtoli vitam reciperet. Quo in voto ſanctus hic Abbas ſanctum Apoſtolum Judam verum quandam teſtatus eſt eſſe Cedrum, quæ vita eſt corporum mortuorum. *Cedrus defunctis pro vita eſt*; inquit Ruellius libro primo capite ſexageſimo ſecundo.

26. Tandem ut præſentem Panegyricum aliquando fælici fine coronem, hoc ardens animi mei deſiderium & votum eſt, nimirum utinam cuilibet Chriſtiano perſuadere poſſem, ut quotieſcunque ſuis in neceſſitatibus Deo ſupplicat, interceſſionem ſancti Judæ Apoſtoli interponat, ne ullam vereri poſſit in fuſis ad Deum precibus ſuis repulſam. Quod ſi enim potentiſſimum hunc Principem, noſtris in neceſſitatibus adhiberemus advocatum & interceſſorem, ſine ullo dubio à Deo obtineremus quicquid à nobis à Divina pietate juſte fuiſſet poſtulatum. Quid enim Chriſtus negare poterit Fratri ſuo, Apoſtolo ſuo, tanto denique amico ſuo, qui ob amorem quo hic in terris erga ipſum exarſerat, tot ſuſtinuit labores, dolores, perſecutiones, ac denique una cum proprio ſanguine ipſam quoque vitam prodegit? Id faciendo imitabimur veteres perſecutiones, ac denique una cum proprio ſanguine ipſam quoque vitam prodegit? Id faciendo imitabimur veteres, qui ut tanto facilius ſuis in precibus exaudirentur, ad Cedri odorem falſis Diis ſuis ſupplicabat. *Cedri odori ſupplicabat antiquitas*, inquit ſæpe citatus Ruellius ubi ſupra.

* * *



# PANEGYRICVS XLVIII.

## Pro Solemnitate OMNIVM SANCTORVM.

# THEMA.

Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis. Matth. 5. v. 12.

# ARGVMENTVM.

*Summa nobilitas, pulchritudo incredibilis, ineffabilis potentia, immenſa lætitia, infinitæ denique divitiæ, quibus ſanctorum animæ in Paradiſo perfruentur, humanitus comprehendi nequeunt.*

1. NOn laudari non poteſt Ripæ ingenium, qui in ſua Iconologia, verbo, *ſpes Divina* manibus ſimul junctis, & oculis in cælum elevatis ſpem divinam depinxit; ſpem enim hominum ſanctorum & perfectorum bona cæleſtia, æterna, & incorruptibilia, non vero terrena, mortalia, & caduca bona expectat, utpote quæ a vero Chriſti imitatore merito contemnuntur. Unde Apoſtolus primo ad Corinthios undecimo verſu decimo nono dicit: *ſi in hac vita tantum in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.* Quaſi mox ſubjungere vellet; neque enim homines inveniri in hoc mundo poſſunt notis ignobiliores & humiliores, & debiliores & impotentiores, magis afflicti & infælices, pauperiores denique & egentiores: Et his quidem ſimilibuſque calamitatibus contenti ſumus, ſpem noſtram in altera vita habentes repoſitam, ibi namque æterna & vera cæleſtis patriæ bona expectamus, utpote qui ibidem verſa fortunæ vice futuri ſumus nobilisſimi, pulcherrimi, potentisſimi, lætisſimi, & opulentisſimi. Atque ideo Redemptor noſter veluti ſanctis ſuis congratulari volens Matth. 5 v. 12 dicit: *Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis.* Quaſi diceret: Tametſi in hac vita omnigenis ſitis miſeriis immerſi, læti nihilominus eſtote & jucundi, utpote qui æterna & vera cæleſtis gloriæ bona ſperatis & præſtolamini, ibi namque merces & præmium veſtrum ſupra omnem imaginationem posſibilem, majus erit & excellentius. Qui modo ignobiles, deformes, impotentes, mœſti & pauperes eſtis, tunc nobilisſimi, pulcherrimi, potentisſimi, jucundisſimi & lætisſimi eritis totque replebimini bonorum abundantia, quæ humanitus appræhendi

aut

excogitari nequaquam poterunt. *Oculus non vidit*, inquit Apoſtolus 1. ad Cor. 2 v 9. *nec auris audivit. nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum.* Talibus igitur tantiſque bonis in beata cæli patria omnes ſancti perfruuntur, ad quæ dum in terris vivebant, ſpem oculoſque ſuos habebant defixos. Quibus igitur omnibus Sancta mater Eccleſia præſentem meritò ſolemnitatem conſecrat, iis nos quoque utpote qui laudis tributum iis multis ex titulis exſolvere debitores ſumus præſentem Panegyrim humillime offerimus, in eadem ad majorem ipſorum gloriam lætiùs ſummam eorum nobilitatem, extremam pulchritudinem, ineffabilem potentiam, lætitiam immenſam, divitias denique infinitas pro viribus expoſituri.

2. Quod ſi inprimis ſanctorum in cæleſti gloria conſiderare nobilitatem, eorumque intelligere excellentiam velimus, operæ pretium erit panis quo a Deo nutriuntur cognoſcere qualitatem. Juriſtæ enim apud Gloſſam verbo *victualia*, in cap. Epiſc. 10. q. 111 dicunt, cibum juxta perſonæ nutriendæ conditionem præparandum eſſe, ita ut nobilibus cibi præparentur delicati, groſſiores vero & vulgares ignobilibus apponantur: *Alimenta debentur ſecundùm qualitatem perſonarum.* Idque hodie ferè communiter obſervatur. Nobilibus enim, quos caſualiter domus noſtræ hoſpitio excipimus panem apponimus album & regium, piſceſque exquiſitos: ignobilibus verò panem nigrum ſeu furfure mixtum, caſeum, allia aut cæpas. Ut igitur dignoſcere valeamus (ut diximus) an ſancti in cælis nobiles ſint vel ignobiles, videre neceſſum erit, quo apparatu illos in cæleſti menſa Deus tractet & quem illis panem apponat. Quis igitur aut qualis eſt panis ille quo Deus ſanctos ſuos in cæleſti paradiſo reficit? Panem illis apponit adeò delicatum & ſuavem, adeò ſapidum & gratum, ut etiam ad ſatietatem uſque manducatus, ſui in ſanctis relinquat appetitum & deſiderium; *In quem deſiderant Angeli proſpicere*, inquit S. Petrus Epiſt 1. c 1. v. 12. de pane loquens beatorum. Hic panis aliud non eſt, quam Deus ipſe. Panis enim, de quo quidam Luc. 14. v. 15. dicebat: *Beati qui manducant panem in regno Dei.* Eſt ipſemet Deus, qui manducatur, dum videtur: *Qui manducatur*, inquit Hugo Cardinalis in cap. 14. Luc. *videndo facie ad faciem, ſicuti eſt*: hoc eſt enim manducare, ipſum videre facie ad faciem, & contemplari, quod eſt frui Deo. Hic panis adeò eſt delicatus & ſuavis, ut de gratioſa ejus ſapiditate S. Bernardinus p 1 ſerm. 64 art. 3 c. 1. dicere non dubitet: *Si magnæ & multæ ſunt delectationes in rebus delectabilibus qualis & quanta eſt delectatio in illo, qui fecit omnia delectabilia? Qui hoc bono fruitur, quid illi erit? & quid illi non erit?* Cur igitur Deus beatis panem apponat adeò ſuavem & delicatum, ſignum eſt evidens, quod illos nobiliſſimos talique apparatu digniſſimos eſſe judicet *Alimenta debentur ſecundùm qualitatem perſonarum.*

3. Obſervandus eſt locus ille Eccleſiaſtici c. 24. v 8. ubi ſapientia divina dicit: *Gyrum cæli circuivi ſola*, id eſt. Ego ſola cæli gyrum & amplitudinem circumdare potui. Et quaſi clarius dixiſſet. Tametſi terram aqua circumdari faciam, aquam aëre, aërem igne, ignem cælo, cælum tamen alia re nulla circumcingitur quam memetipſo. Cur obſecro omnia alia, aliis rebus quam Deo circumdare voluit, ſolum vero cælum Deo ſolo circumcingitur? Ob immenſam amplitudinem ſuam; Cælum enim adeo eſt immenſum, adeoque extenditur & dilatatur, ut cum nulla inveniri alia creatura poſſit, quæ illud circumcingat, à ſolo Deo circumdetur. *Tanta namque magnitudinis eſt cælum*, inquit S. Bernardinus ubi ſupra ſerm. 65. Art. 1. c 1 *quod à nullo circumdatur, niſi à ſolo Deo: unde ait Gyrum cæli circuivi ſola.* Unde quia cælum, auguſtiſſimum quoddam eſt Regnum ſanctorum, ad cujus Regni poſſeſſionem ſancti aliquando invitabuntur, dum illis ut habetur Matth. 25. v. 34. à Deo dicitur: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi*; hinc omnes in univerſum ſancti Reges ab Iſaia cap 62. v. 2. dicuntur: *Videbunt gentes juſtum tuum, & cuncti Reges inclytum tuum.* Atque ideo exinde tam auguſta Regni illius magnificentia & amplitudo, quam ſumma Regũ ſuorum majeſtas & nobilitas clarè & liquidè ſatis apparet. Quis enim à majori Regni vaſtitate & amplitudine Regis quoq; illud gubernantis dignitatem & nobilitatem majorem non arguet?

4. Salomon de marito matronæ illius, quem Prov 31. cap. v. 23. adeò laudat & celebrat, loquens dicit: *Nobilis in portis vir ejus, quando ſederit cum ſenatoribus terræ*, quaſi diceret. Vir ejus nequaquam contemnendus eſt, velut ignobilis & ruſticus, quando inter ſenatores ſedebit & nobilitabitur. Quinam ſunt hi ſenatores, quorum ſedes, ignobiles quoque viros nobilitant? ſunt An-

geli. *Senatores dicuntur Angeli*, inquit Hugo Car
dinalis in cap 31. Proverb. Quantumvis homo,
quamdiu hic in terra degit, quaſi in ruſtico quo-
dam tuguriolo habitans, ruſticus ſit & ignobilis,
attamen ubi ex hac vita migraverit, atque in cæ-
lum aſſumptus inter Angelos, utpote glorioſæ
illius beatæque civitatis ſenatores ſederit, nobi-
lis omnino erit, adeoque nobilis, ut Angelis,
quibuſcum ſedebit, futurus ſit æqualis *Erunt ſi-
cut Angeli in cælo*, inquit Chriſtus Matth. 22. v. 30.
loquens de beatis cælitibus.

5. Quandoquidem Levitici 16 v. 17. ubi nos
legimus: *Nullus hominum ſit in tabernaculo, quando
Pontifex ſanctuarium ingredietur*, Septuaginta le-
gunt: *Non erit homo, cum ingredietur Pontifex intra
velamen interius in tabernaculo teſtimonii* ſignificare
velle videntur quod ſacerdos poſtquam ingreſ
ſus eſt tabernaculum jam non ſit amplius homo,
qualis antea intraverat, ſed longe alius ab homi-
ne multum diverſus Atque ideo merito quæri
poteſt, quomodo ſacerdos, qui priuſquam taber-
naclum ingrederetur homo erat, poſtea in ta-
bernaculo conſtitutus nequaquam amplius ſit
homo? Pro cujus difficultatis ſolutione ſcien-
dum, quod per tabernaculum beatorum gloria
intelligi debeat, prout illam intellexit prophe-
ta regius, quando Pſal 14. v. 1. Deo dicebat: *Do-
mine quis habitabit in tabernaculo tuo?* Quia vero is
qui in beatorum gloriam ingredi meretur, adeo
extollitur & nobilitatur, jam non amplius homo
ſed Angelus, aut Deus quidam eſſe videatur,
ideo ſacer textus illum non futurum amplius ho-
minem dicit. *Non erit homo, cum ingreditur &c.*
Audite S. Cyrillum Alexandrinum lib. 9. in Le-
viticum hac de re ſcribentem: *Non erit* inquit, *ho-
mo, cum ingredietur intra velum interius tabernaculi
teſtimonii. Quomodo non erit homo? Ego ſic accipio, quod
qui potuerit ſequi Chriſtus, & penetrare cum eo interi-
us tabernaculum, & cælorum excelſa conſcendere; jam
non erit homo; ſed ſecundum verbum ipſius, tanquam
Angelus Dei, aut etiam forte ille ſuper eum ſermo comple-
bitur, quem ipſe Dominus dixit: Ego dix Dii eſtis.* San-
cti per ingreſſum in cæleſtem gloriã adeò mag-
nificantur & nobilitantur, ut eo omni totaliter
exuantur, quicquid illis naturaliter vile ineſt,
aut ignobile, utpote qui in Angelos, imo ipſum
met Deum trãsformantur, cujus nobilitati,
nulla unquam nobilitas comparari poterit. *Natu-
ra hæc noſtra*, inquit B. Thomas a Villa Nova
Conc. 5. in Nat. Dom. *in quolibet beato divino quo-
dam lumine illuſtrabitur, & adeſſe divinum miro quo-
dam modo elevabitur, ut plus quolibet beatus videatur
habere de Deo, quam de ſeipſo.*

6. Adhæc alium quendam ex Apocalypſi cap.
21. v 19 deſumptum locum nunc ponderemus
utpotè præſenti propoſito noſtro mirè deſervi-
entem, ubi S. Joannes Apoſtolus ex gratia qua-
dam particulari ſibi facta civitatem cæleſtis Pa-
radiſi conſpexiſſe dicitur, quæ eidem eſſe vide-
batur totaliter aurea: *Civitas illa aurum mundum.*
Etenim quia hoc nomen civitas non tantum mu-
ros, ſitum, aut domos urbis alicujus verum eti-
am ejuſdem incolas ſeu cives ſignificat; *Civitas*
enim *quaſi civium* unitas communiter interpre-
tatur, ideo quod ſi vobis imaginaremini, aliquam
vos videre civitatem, in qua omnes eam inco-
lentes viri & mulieres non ſolum aureis ſint ve-
ſtibus induti, verum in qua omnes etiam incolæ
verè aurei ſint, tunc verè dicere poſſetis, vos cæ-
leſtis gloriæ civitatem oculis veſtris conſpexiſ-
ſe. Omnes enim Angeli omnes ibi degentes ani-
mæ beatæ, aureæ ſunt, & auream quandam civi-
tatem conſtituunt. Verum inquies, quid hoc ſibi
vult? Nimirum omnes ibi Deos futuros illamque
civitatem quandam futuram eſſe Deorum civi-
tatem indicata utpotè quæ intra mænia ſua, nec
homines, nec Angelos, ſed ſolos duntaxat Deos
complectitur. Aurum enim in Sacra Scriptura
certum eſt divinitatis ſymbolum adeò ut dum
ſponſa ſuum deprædicans ſponſum Chriſtum ſci-
licet, caput ejus Deum dicere vellet caput Chri-
ſti aureũ eſſe aſſeveranter dixerit Cant. 5. v. 11 *Ca-
put eius aurum optimum.* Magi quoque ut Infantem
quem adorabat, Deum eſſe demonſtrarent, au-
rum quoque inter alia ei munera obtulerint. A-
poſtolus igitur omnes Angelos, Beatorumque
animas in cælo exiſtentes à Deo Deificatos &
Deos factos eſſe ſignificare volens, civitatem i-
pſorum auream eſſe dicit: *Ipſa civitas aurum mun-
dum Ioannes*, inquit B. Thomas à Villa Nova
Conc. de Purif. B. V. *civitatem illam aurum mun-
dum dicit, nam tota Deificata eſt, tota Deiformis, & e-
levata adeſſe divinum* Ex quo igitur Sancti omnes
cælites, qui ſunt in Paradiſo, Deificati & qui-
dam a Deo Dii facti ſunt, tanta utique erit ipſo-
rum nobilitas, ut major eſſe non poſſit, cum no-
bilitate Dei nulla inveniri poſſit nobilitas major
aut excellentior.

7. Inter ea quæ de ſanctis cælitibus legi poſ-
ſunt prodigioſa atque ſtupenda, non minimum
eſt,

eſt, quod Chriſtus Deus eorum & Dominus in ſolemniſſimo illo atque perpetuo cælorum convivio, iiſdem in forma ſervi ſit miniſtraturus ad menſam Legite cap 12. S Lucæ, ibi namq; verſ. 37 hæc verba ſcripta reperietis : *Beati ſervi illi, quos cum venerit Dominus ejus, invenerit vigilantes; amen dico vobis, quod præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.* Etenim quod ſi rectè, ponderemus illud verbum illud *miniſtrare*, rectè, ponderemus illud idem, quod *minor ſtare*, ſignificare reperiemus. Ita namque verbum illud interpretatur Richardus a S. Laurentio lib. 2. de laud B M. Id quod ad ſervos propriè ſpectat, dum ii coram Dominis ſuis erecto illis corpore miniſtrantes aſſiſtant, quaſi Chriſtus in cæleſti gloria ſervus quidam eſſet, ſanctorum ſuorum perpetuis ſervitiis deputatus & dedicatus. *Diſcumbentis hominis*, inquit Petrus Chryſolog. ſerm. 24. *Deus aſtat in cæleſtibus; epulanti ſervo ſervit Dominus; pueris ſuis, miniſtris ſuis, miniſterium facit Chriſtus, & facit in Patris jam gloria conſtitutus.* Id quod ad ſummum honorem innuendum, quocum Deus ſanctos in gloria ſua afficit, nec non ad ſummam eorum dignitatem & nobilitatem explicandam dicitur. Quod ſi is qui ad qualecunque quantumvis vile & mo dicum Principis alicujus ſervitium adhibetur, nobis in hoc mundo exiſtimatur: *Adhærentes lateri Principis, & eidem in officio quocunque minimo ervientes nobilitantur, & nobiles efficiuntur*, dicunt Juriſperiti apud Chaſſanæum in Catal p 8. Conſ. 19. quam igitur illuſtres & eximiè nobiles glorioſiſſimi Paradiſi cælites erunt, qui ipſummet Principem ſuum ſuis vident obſequiis atque ſervitiis deditum, Principem inquam adeò magnum & potentem, ut non ſolum omnia hujus terræ, verùm etiam cæli regna & imperia ſceptro ſuo moderetur & regat, imò Principem tanta majeſtate conſpicuum, ut ipſi quoque ejus miniſtri, per ſola illi præſtita obſequia & ſervitia, Reges ſubito evadant: *Servire Deo regnare eſt*, inquit Boëtius.

8 Quod ſi deinde à nobilitate ſanctorum Paradiſi cælitum ad eorundem pulchritudinem tranſitum facere velimus, nullam ipſorum pulchritudini uſpiam reperimus ſimilem Porrò Beatos Reges eſſe jam intelleximus, eoſdem verò Reges quoque eſſe coronatos ex Apocalypſi clariſſimè liquet, ubi S. Joannes de illis cap 4 v. 4. tractans, expreſſe dicit. *In capitibus eorum Coronæ.* Veruntamen è quanam materia Corona iſthæc fabricata ſit, nondum æquè conſtat, Videamus igitur num ex auro, argento, an vero ex roſis, liliis, lauris, aut ſimilibus è quibus confici coronæ conſueverunt, contexta fuerit? Etenim quantum ex eo quod S Petrus Apoſtolus 1. Petri 5. v. 8 dicit, colligitur, non ex auro, aut argento, aut quovis ſimili eſt fabricata metallo, ſed ex floribus eſt contexta, & quidem ex ejuſcemodi floribus, quos cælum, non vero terra producit, hoc eſt, ex amaranthis, qui in cælo duntaxat naſcuntur. Ubi enim nos in præcitato S. Petri loco legimus. *Reportabitis immarceſcibilem gloriæ coronam*: Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædagogii cap 8 è Græco legit : *Percipietis amaranthinam gloriæ coronam*; Moxque ſubjungit : *Hunc florem terra ferre non poteſt, cælum ſolummodo eum producere poteſt.* Coronæ quibus Beatorum in cæleſti gloria redimiti ſunt vertices, coronæ ſunt amaranthinæ, non ſolum ideo quod ſcilicet inſtar amaranthi nunquam marceſſant, ſed durabiles ſemper ſint, & æternæ; verùm etiam quia tanta ſunt pulchritudine conſpicuæ, ut illis pulchrius aliquid videri aut inveniri nihil poſſit Sicut enim inter cuncta mundi decora, nihil eſt venuſtius, elegantius, oculiſque noſtris gratius amarantho: *Nihil gratius amaranthi aſpectu cernitur*, inquit Ruellius lib. 2. cap. 119. ita quoque nihil ſub humanum cadere aſpectum jucundius aut pulchrius poteſt, quam anima aliqua æternæ beatitudinis glorioſo Diademate cincta & decorata. Hujus pulchritudinis aſpectui, quodvis cedere debet aliud ſpectaculum.

9. S. Paulus Apoſtolus in Epiſtola quam ad Philippenſes exaravit cap. 3 v 8 de rebus mundi hujus ſermonem inſtituens, dicebat: *Omnia arbitror ut ſtercora* Quaſi diceret : liberum quidem cuilibet eſto ſuam in eo conſtituere delectationem, quod ea quæ in hoc mundo eximia ſunt prædita pulchritudine & decore aſpiciant & admirentur; ego tamen eadem haud ſecus ac ſtercora omni aſpectu indigna aſpernor & abominor. Verum enim vero quænam eſt cauſa quod Apoſtolus adeò abominetur, & dedignetur aſpicere ea, in quibus mundus tantum invenit gaudium & conſolationem? Nimirum in cælis fuerat, ibidemque eam fuerat contemplatus formæ ſpeciem & elegantiam qua Angeli aliique beati cælites ſunt præditi: ideoque mirum non eſt, quod omnem mundi venuſtatem contemptui habeat, æſtimetque ut ſtercora tametſi mundus eandem, qua majorem aut excellentiorem nunquam vidit,

dit, tanta cum delectatione & gaudio videat & admiretur. Hoc eſt, quod beatiſſima Virgo Maria Birgittæ dilectæ ſuæ dicebat, ut videre eſt lib. 4 Revelat S. Birgittæ cap 19 *Cum cæleſtis pulchritudo apparuerit, omnis pulchritudo terrena confundetur & reputabitur quaſi ſtercus* Adeò namque miranda atque ſtupenda eſt ſanctorum in cæleſti gloria formæ ſpecies & venuſtas, ut qui illam unico tantum oculorum obtutu meruit intueri, mox omnem terræ pulchritudinem, quaſi ſtercus quoddam indignumque quæ aſpiciatur, quæ vero horrori & abominationi cuilibet ſit digniſſimam ſit aſpernaturus. Hinc igitur ejuſcemodi intra te diſcurſum formare poteris, & dicere: Quod ſi terrenæ pulchritudines, venuſtates & elegantiæ, quæ aliud nihil ſunt, quam mera cæli fæces adeò magni a nobis fiunt tanta cum aviditate videntur, viſæque in tantam nos admirationem rapiant, qualis igitur & quanta erit pulchritudo Paradiſi, ſeu Angelorum & ſanctorum cælitum in cæleſti gloria venuſtas? Quidnam tibi terrena ſpecioſitas & pulchritudo cum cæleſti decore comparata eſſe videtur? Fax quædam eſt, ſtercus eſt, aut ſi quid eſt ſtercore fœtidius atque ſordidius, quod ne domum dedecoret, aut incolarum oculos offendat in fimetum foras projici ſolet. Quantum igitur cæli pulchritudo reſplendebit, aut delectabit, quando tibi cælorum fæces adeò ſplendere ac delectare videntur? *Sordes cæli projiciuntur in terra, & fex & omnia turpia projiciuntur in terra, & nihilominus tu vides quantum iſta fax terræ eſt pulchra, & pulchros producit effectus* inquit S Bernardinus parte 4 ſerm. 40.

10. Non omittemus hoc loco quendam ex cap. 65 Iſaiæ deſumptum locum pro meritis ponderare; ibi namque v 17. dicit: *Ecce enim ego creo cælos novos & terram novam; & non erunt in memoria priora, & non aſcendent ſuper eos.* Quaſi clarius dixiſſet: Cæleſtia bona quæ ego filiis meis in æternum duratura præparo, mox ut ſub humanum aſpectum ceciderint, totalem invidente rerum præteritarum oblivionem inducent? Quænam obſecro eſt ratio, quod cæleſtia ſanctos rerum faciant præteritarum oblivisci? Num forte animæ, quæ ad cæleſtia bona videnda in cælos ſe recipiunt, per fabuloſum illud Acherontis flumen tranſeunt, quod ut Poëtæ dicunt, in iis qui illud enavigant, præſentis vitæ rerum totalem oblivionem inducebat? An vero iis qui illuc ingrediuntur, Lothi fructus manducandos porrigit, tali nimirum proprietate præditos, ut ſe manducantis omnium faceret rerum præteritarum oblivisci? prouti ſociis Ulyſſi mox ut Alcinoe regionem, ſimilium fructuum feraciſſimam, ingreſſi ſunt, accidit? Aut vero Deus cælos ingredientibus ſimilem impertitus annulum, qualem Moyſes Æthiopiæ Reginæ, ut præteritorum quæ ipſam inter & illum facta fuerant, obliviſceretur, donaſſe legitur? Nulla prorſus ex fictis hiſce fabuloſiſque rationibus hujus dici poteſt oblivionis cauſa. Nullum enim in rebus cæleſtibus ſomnia aut Poëticæ inventiones locum habent. Ratio igitur, ob quam ſancti Paradiſum ingreſſi nullam habituri ſint eorum quæ in terris viderunt & admirati ſunt, memoriam, ſola erit quam in illa civitate beatiſque gloriæ civibus videbunt ſumma pulchritudo & formæ decor & elegantia. Tantus namque videbitur pulchritudinis illius exceſſus, ut terrena iis videatur indigna cujus ſpecies conſervetur in memoria. *Priora non erunt in memoria*, inquit Hugo Cardinalis in cap 65 Iſaiæ hunc locum explicans; *nec aſcendent ſuper cor, quia tanta erit pulchritudo eorum, quæ tunc erunt, ut memoriam iſtorum quæ nunc ſunt, recordari dedignentur.*

11. Tantus eſt ſanctorum in Paradiſo decor & pulchritudo, ut nulla reperiri poſſit à Deo creata pulchritudo quæ in illa non clarè reſplendeat? Superius Beatorum coronam Amanthinam ex mente S Petri Apoſtoli eſſe diximus; nunc juxta Davidem Prophetam illam è Topazio confectam eſſe dicere debemus. Per lapidem enim pretioſum è quo David Deum beatæ animæ coronam formaſſe Pſalm 20 v. 4. dicit: *Poſuiſti in capite ejus coronam de lapide pretioſo*, Topazius intelligendus venit: *De lapide pretioſo, ſcilicet qui Topazius nominatur*, inquit S. Bernardinus p. 2. ſer. 66. art 3 in princ. Cur obſecro Beatorum corona è Topazio, non vero ex Hiacyntho, ſmaragdo, aut alio aliquo pretioſo lapide compoſita eſſe dicitur? Quia nimirum omnes in ſe colores, qui illam conſpicuam & eximiam facere poſſunt in ſe uno complectitur, omnes in ſe eminenter pulchritudines continet, quæ illam quovis modo aut ratione decorare poſſunt. Topazius namque gemma quædam eſt omnes in ſe colores in aliis quibuſvis gemmis reſplendentes complectens. Ideoque *Topazius* merito dicitur, quod nomen derivatur à *Ton*, quod idem eſt, quod *totum*, & *pathos*, quod ſignificat *color*, quaſi gemma omnium colorum. Unde David ut in quolibet cæleſtis gloriæ ſancto omnes contineri pulchritudines poſſibiles ſignificaret, coronam illorum Topa-

zium

xiam appellat. *Poſuiſti in capite ejus coronam de lapide pretioſo.* Audite hac de re loquentem S. Bernardinum ubi ſupra : *De hoc lapide, de Topazio ſcilicet, ait Propheta ; Poſuiſti in capite ejus coronam de lapide pretioſo, id eſt, coronam gloriæ, omnem decorem in ſe habentem.*

12. Sanctus Ioannes Apoſtolus animam quandam beatam à ſe aliquando viſam , ſeu in viſione ſibi à Deo monſtratam Revelationum ſuarum ſive Apoc.cap.12.v.1.deſcripſit: *Signum magnum apparuit in cælo , mulier amicta ſole.* quaſi dicere vellet: Pulchritudo , qua Sancti in Paradiſo clareſcunt, unam ex illis animabus apprehendit , eamque in ſole ſtatuit, ut tanto à me evidentius conſpici poſſet. Porro locus hic non adeo eſt facilis, uti prima facie eſſe videtur, quomodo enim Apoſtolus animam aliquam in ſole collocatam videre potuit, cum ſol potius ipſam ne videri poſſet obſcurare debuiſſet? Quod ſi enim ſol ſtellas prope ipſum apparentes obſcurat , quomodo non diſparere & evaneſcere ea facies, quæ intra ſuam ſphæram repoſita habet? Veruntamen ſciendum eſt, quod licet obſcuratio iſta animæ alicui beatæ timenda eſſet , ſi ad inſtar ſtellarum minus ſole ſplendeſceret: nunc vero, quia uti communis eſt omnium opinio, talis aliqua anima beata ſole ſepties erit ſplendidior, ideo in ſole poſita, non ſolum à ſole obſcurari nequit, verùm etiam majoris luminis ſui exceſſu ſolem ipſum obſcurare , mundumque longe magis quàm ſol illuminare debebit : *Omnes Doctores dicunt,* ſcribit S. Vincentius ſerm. 3. Domin. in albis, *quod ſepties erit ſole clarius corpus glorioſum.* Ex hoc ſequitur , quod ſi Deus loco ſolis poneret corpus glorioſum, magis illuminaret mundum quàm ſol. Sanctorum in cæleſti gloria pulchritudo tanta erit , ut tametſi ſole in mundo nihil ſit pulchrius, hic tamen corpori alicui glorioſo, & multò magis animæ beatæ comparatur, turpis videbitur & obſcurus.

13. Ad præſens quoque propoſitum notandum eſt , quod dum Chriſtus in trium Apoſtolorum ſuorum præſentia transfiguraretur , iſque ſacrum corpus ſuum gloria cæleſti circumdatum , veluti aliquod ſanctorum hodie in cælis exiſtentium, prototypon ſeu imaginem iiſdem Apoſtolis ſuis demonſtraſſet; mox omnibus hujus rei impoſuerit ſilentium, caveritque , ne cuipiam viſionem hanc manifeſtare præſumerent, Matthæi decimo ſeptimo, verſu nono. *Deſcendentibus illis de monte, præcepit Ieſus, dicens: Nemini dixeritis viſionem.* Dicat hic merito aliquis , cur Chriſtus pulchrum hoc, quod viderant ſpectaculum, aliis enarrari aut divulgari prohibuit ? Imo vero, quoad intelligere poſſum , potius illis præcipiendum fuiſſe videtur, ut publicarent & manifeſtarent omnibus cuncta, quæ viderant, quàm ut illa ſilerent & ſubticerent, per hanc namque hujus rei viſæ publicationem alios ad tanti boni comparationem animare potuiſſent, cui comparando alias, quid vel quale eſſet ignorantes, languidè intenti erant. Certè Moyſes non alio fine exploratores in terram promiſſionis dimiſit , quàm ut illi inde revertentes , plebique Hebreæ admirabilia terræ illius bona enarrantes, plebem ad terram illam in ſuam poteſtatem redigendam animoſam atque cordatam redderent. Porro ratio vera , ob quam Chriſtus Apoſtolus viſum ſpectaculum aliis recenſere prorſus noluit, hæc eſt, quia nimirum viſionis illius decor, & pulchritudo tanta erat , ut humanitas futura fuiſſet incredibilis , adeo ut tametſi illam enarrare tentaſſent, nullibi tamen rei ab illis narrata fidem obtinere potuiſſent : *Dixit. Nemini dixeritis viſionem hanc, ne gloria futuri regni incredibilis eſſet;* inquit pro hujus difficultatis ſolutione Gloſſa in capuț 17. Matth.

13. Quid demum de animarum glorificatarum potentia dicemus ? Noſtis utique quod Chriſtus, Matth. 11. v. 12. Sanctos in cæleſti gloria exiſtentes violentos vocet : *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Cauſam ne ſcire deſideratis, cur illos violentos appellaverit ? Nimirum ut illos ſignificaret & deſcriberet eſſ Gygantes. Idem namque ſignificat hoc nomen *Gygantes*, quod *violenti.* Vbi nos Geneſeos capite ſexto, verſu quarto legimus : *Gygantes erant ſuper terram in diebus illis,* alii ex Hebræo legunt, ut notat Rupertus lib. 4. in Geneſ. c. 14 *Violenti erant ſuper terram in diebus illis. Pro Gygantibus violentos tranſtulere* , inquit venerabilis Abbas. Cur obſecro Chriſtus beatos appellare gygantes voluit? Non ſolum ideo id fecit, ut magnum & difficilem fuiſſe ſanctorum conatum oſtenderet, quem ad paradiſum ſibi comparandum adhibuerunt : verum etiam ad inſinuandam ſummam ipſorum potentiam ; quaſi clarius dicere voluiſſet : ſicut nulla inter homines potentia reperitur, quæ gygantum comparari potentiæ poſſit, ita in omnibus rebus creatis , nulla inveniri potentia poteſt , quæ Sanctorum in cælo regnantium potentiæ valeat comparari. Adeo namque potentes ſunt, ut tametſi fragili conjuncti ſint carni , Angelos

gelos tamen carnis prorſus expertes ſuperare potuerint. Tanta ſunt potentia præditi, ut locum, quem Angeli ſibi in cælis conſervare nequiverunt, ipſi ſibi compararint. Tanta pollent fortitudine, ut Deos ſeſe facere potuerint, quod Angeli quantacunque etiam adhibita violentia obtinere minimè potuerunt. *An non tibi videtur violentia*, inquit Sanctus Hieronymus epiſtola vigeſima ſecunda. *Cum caro cupit eſſe quod Deus eſt, & illuc, unde Angeli corruerunt, Angelos judicatura aſcendit?* Cum igitur tantam à Deo potentiam obtinuerint, ut ſe Deos efficere poſſ.nt, conſequenter quicquid ſub Deo eſt, factumque à Deo, facere & ipſi poterunt. Alium quendam mundum, eadem facilitate, qua Deus potuit, creare potuerunt, ſi vellent, eſſetque expediens. *Potentia ſanctarum animarum erit ita efficax*, inquit S. Bernardinus part. 4. ſerm. 19. extrav. *ut aliud cælum & aliam terram poſſint facere, ſi vellet.*

15. Nunc ſummam ipſorum felicitatem diſpiciamus. Tanta igitur ac talis eſt ſanctorum beatorum fælicitas, ut nihil illis deſit eorum, quæ ad completam eorundem fælicitatem requiri aut exigi poſſent. Id quod per obſervationem ejus, quod ſcribitur Matth. cap. 20. verſ. 2. evidentius patebit. Ibi namque parabola illa adducitur de Patrefamilias, qui dum operarios quoſdam ad vineam ſuam excolendam conduceret, cuilibet illorum denarium promiſit pro mercede diurna, *Conventione autem facta de denario diurno, miſit eos in vineam ſuam.* Porrò quia Doctores per hunc denarium æternam beatitudinem communiter intelligunt, qua ii, qui in hoc mundo, pro Dei ſervitio & obſequio laborant, poſt hanc præſentem vitam in mortis crepuſculo, præmiabuntur; Ideo quod ſi quis rationem, cur cæleſtis beatitudo denarius eſſe dicatur, à vobis ſciſcitaretur: reſponderetis utique id fieri eo quod æterna beatitudo omnes in ſe fælicitates poſſibiles complectatur, nihil ſiquidem illis, qui beatitudine fruuntur æterna, deeſt eorum, quæ ad majorem ipſorum fælicitatem poſſent deſiderari. Sicut enim numerus denarius, talis eſt numerus, qui omnes amplectitur numeros alios, & ultra quem in nulla alia natione, alius numerus excogitari poteſt: ita cæleſtis fælicitas, adeo complete omnes alias in ſe fælicitates continet, ut impoſſibile ſit, aliquam inveniri fælicitatem poſſe, quæ à beatis ad ſuæ poſſint beatitudinis complementum deſiderari. *Elegantèr vita æterna denarius dicitur*, inquit Paulus de Palatio in cap. 20. Matthæi: *Denarius ſiquidem omnes numeros claudit, & ultra denarium nulla novit natio numerare. Ita vita æterna cum felicitates in ſe comprehendit: nec eſt, quod ultra felicitatem illam quidquam deſiderare poteſt.*

16. Etenim quia lætitia fælicitatem conſequitur, cum nullus homo fælix eſſe poſſit, quin etiam lætus ſit, ideo ſicut Sancti in cælis ſummè ſunt fælices, ita quoque uberrimè lætantur. Legatis obſecro Iſaiæ caput ſexageſimum quintum, ibi namque invenietis quod Deus cum Propheta de civitate paradiſi cæleſtis, & civibus ejus loquens v. 18. eidem dicat: *Ecce ego creo Ieruſalem exultationem, & populum ejus gaudium* q. d. Sciendum tibi eſt ô Iſaia, quod in actuali ſim opere novam fabricandi Ieruſalem, volo igitur, ut ſicut civitas appellanda erit exultatio, ita quoque populus gaudium appelletur. Obſervandum autem hic eſt, quod non dicat civitatem illam exultantem nominari debere, ſed exultationem; nec populum gaudentem, ſed gaudium. Vnde naſcitur quæſtio, quænam ſit cauſa, quod cum civitas cæleſtis paradiſi, per Hieruſalem intellecta, appellari exultans, & populus lætus & gaudioſus appellari debuerit, non tamen hoc modo, ſed civitas exultatio, & populus gaudium appelletur. Viſa namque fuiſſet magis propria locutio, ſi civitas gloriæ exultans, & populus lætus in concreto, non vero exultatio & lætitia in abſtracto appellatus fuiſſet. Sicut enim murus aliquis albedine aut nigredine tinctus, non nigredo aut albedo, ſed niger aut albus à doctis dicitur; ita quoque civitas cæleſtis, ejuſque incolæ, nequaquam lætitia in abſtracto, ſed in concreto ſunt dicendi læti. Porro, ratio cur Deus cæleſtis gloriæ civitatem, ejuſque incolas, non lætos, ſed lætitiam & exultationem nominari voluerit, eſt, ut per hanc loquendi formulam, ſummam qua ſunt ſum fruuntur lætitiam & exultationem inſinuaret. Adeo enim admiranda & inexplicabilis eſt ſanctorum in Paradiſo lætitia; ut ipſummet quaſi gaudium & lætitia eſſe videantur. *Loquitur emphaticè*, inquit Hugo Cardinalis in cap 65. Iſaiæ, *ad expenſionem magnitudinis gaudij, quia tunc electi quaſi abſorbentur à gaudio bonorum domus Dei: ut non ſolum populus cæleſtis Ieruſalem gaudere, ſed & gaudium eſſe dicatur.*

17. Etenim ex quo de facto Iſaiam exponere capimus, non dimittamus illum, niſi alio quodam ejuſdem Prophetæ loco ex capite trigeſimo quinto deſumpto, conſiderationis noſtræ corculo bene preſſo

preſſo & ponderato. Ibi igitur de eadem lætitia, qua beati in cælis perfruuntur, loquens v. 10. dicit: *Venient in Syon cum laude ; & lætitia ſempiterna ſuper capita eorum , gaudium & lætitiam obtinebunt.* quaſi diceret , Sancti in civitatem Syon venient , ubi Deus videtur (Pſal. 83. v. 8. *videbitur Deus Deorum in Syon*) ibique laudibus & applauſibus excipientur Angelicis; Ibidemque læti ſemper vivent, lætitiamque ſuam ſuper capita ſua habebunt. Prima facie Propheta maledicere videtur beatos lætitiam ſuam habituros ſuper capita ſua ; exultatio namque hominis alicujus læti , non eſt ſupra caput, ſed in corde , quod non eſt ſuperius, ſed inferius capite ; potius igitur dicere debebat : ſub capitibus eorum, quam ſuper capita eorum. Verum enimvero , ſi bene conſideres, optimè loquitur, cum dicit : ſuper capita eorum. Propheta enim admirabilem & monſtroſum lætitiæ ſanctorum cælitum exceſſum demonſtrare voluit ; Hic enim exceſſus tantus erit , ut futurus ſit ſuper capita eorum, id eſt, ipſorum excedet capacitatem, quia nec capere illam valebunt, nec intelligere, tametſi illam continuo experirentur & probarent ; atque ideo dixit lætitiam illam futuram ſuper capita eorum. Ecce idipſum confirmantem Sanctum Vincentium ſermone in feriam quintam Penthecoſtes, hiſce verbis : *Dicit ſuper capita eorum, quia tanta eſt lætitia Sanctorum , quod non poteſt comprehendi.*

18. Et quidem pro confirmatione hujus lego , quod dum Sanctus Auguſtinus quendam de lætitia Sanctorum in cælo tractatum ſcribere meditaretur , velletque priuſquam huic manum ſuam operi admoveret, Sancti Hieronymi quoque hac ſuper re animi ſententiam per literas exquirere (in hujus namque ſanctiſſimi pariter & doctiſſimi viri ſanctitate & eruditione plurimum confidebat) jamque ſcripturus pennam ſuam arripuiſſet, mox ei Sanctus Doctor , qui tunc ex hac vita ad vitam migrarat beatam, apparuerit, dicens : *Auguſtine, Auguſtine quid quæris? putaſne brevi immittere vaſculo mare tuum ? brevi includere pugillo totum orbem terrarum? Cælum firmare ne uſitatos exerceat motus ? Quæ cor humanum nullatenus intellexit, nec etiam cogitavit, exiſtimas tu poſſe intelligere.* quaſi diceret. Potius totum mare ſtricto immittes vaſculo , totum orbem includes pugillo , cælum à perpetuo ſuo curſu tardabis, quam minimam lætitiæ ſanctorum quam in cælis habent, percipere portiunculam poſſis. Neque enim aliquis tantæ capacitatis intellectus inveniri poteſt, quæ illud capiat , quod omnem humanam intelligentiam tranſcendit : *Lætitia ſempiterna ſuper capita eorum.*

19. Audite Davidem Pſalmo vigeſimo nono, verſu decimo ſecundo dum ſibi ſe in Paradiſo inter beatas Angelorum aliorumque cælitum ſedes inſertum imaginaretur , hunc in modum cum Deo loquentem : *Convertiſti planctum meum in gaudium mihi, conſcidiſti ſaccum meum , & circumdediſti me lætitia.* Etenim quiſquis ad ultima verba non bene attenderit, ei illa videbuntur valde impropriè dicta, eo quod lætitia, ut jam diximus, non extra cor foris, ſed in corde ſit, non circa animum, ſed in anima locum ſuum habeat , non enim exterius ſed internum quoddam bonum eſt. Id quod idem David optimè intellexit , quando Pſalmo decimo quinto verſu decimo primo æternam ſibi beatitudinem promittens, Deo dicebat : *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo* : potius enim lætitia adimplet animam, quam ut illam circumdet. Cur igitur David loco citato non dicis Deo: *Adimpleſti me lætitia,* ſed *circumdediſti me lætitia* ? Nimirum ut ſummam Sanctorum in Paradiſo lætitiam ſignificet , quæ adeo exceſſivè magna eſt , ut potius illos qui ea fruuntur, contineat , quam contineatur ab illis, potius animas beatas circumdet, quam ab illis poſſit circumdari. *Dicit autem* , inquit Hugo Cardinalis in Pſalmum vigeſimum nonum , *circumdediſti me lætitia ; ut notet magnitudinem iſtius lætitiæ, quia potius continet ſuos poſſeſſores , quàm contineatur ab eis.*

20. Noſtiſne rationem mihi dare , ob quam Moyſes de mundi creatione ſcribens , de nulla re alia meminerit, quam de iis duntaxat , quæ intra ſeptem fuere dies creata ; cumque ad complementum ſeptimanæ , quæ octo dies complectitur , de iis , quæ octavo die contigerunt , vel facta ſunt , mentionem quoque facere debuiſſet, ne verbo quidem eorum meminerit ? Fateor equidem debuiſſe illum de octavo quoque die tractare , ut completus ejus tractatus eſſet ; nihil tamen hac de re ſcriptum reliquit , quia ea quæ ad illum diem ſpectant , non ſolum non explicari , ſed ne intelligi quidem poſſunt. Per ea namque , quæ ad octavum diem pertinent, cæleſtia intelliguntur , & præcipuè ſumma illa cæleſtium civium lætitia , cujus fruitionem octava die expectamus. Quia verò hæc omnia ob ſui immenſitatem nec explicari , nec intelligi poſſunt , ideo de iis ne

unicum quidem jota conſcripſit. Audite eundem
Hugonem in c.2. Gen. *De die octava nulla ſit mentio,*
*quia gaudium æternum, quod in octava ætate expecta-*
*mus, tantum erit, quod non poteſt excogitari.*

21. Bonam ponderationem illa Sapientis, Pro-
verbiorum capite decimo, verſu vigeſimo octavo,
ſententia meretur, ubi de ſpe, quam Sancti ad poſ-
ſidendum Paradiſi bona habent, tractans dicit:
*Expectatio juſtorum lætitia.* Merito enim aliquis ver-
ba hæc uti jacent conſiderans, dicere poſſet: Po-
tius dicendum erat: Spes eſt juſti afflictio quam
ſpes ſeu expectatio juſtorum lætitia. Quis enim
neſcit, ſpem eorum præcipuè quæ differuntur diu,
qualia ſolent eſſe cæleſtia, potius affligere, quàm
lætificare? Id quod ipſemet Salomon, Proverbio-
rum capite decimo tertio, verſu decimo ſecundo,
confirmare debuit, dicens: *Spes quæ differtur affligit*
*animam.* David quoque affligebatur ſperando,
quando Pſalmo centeſimo decimo nono, verſu
quinto dicebat: *Heu mihi, quia incolatus meus pro-*
*longatus eſt, habitavi cum habitantibus Cedar, mul-*
*tum incola fuit anima mea.* Quomodo igitur ſpes di-
ci poteſt ſanctorum lætitia, cum eorundem potius
afflictio ſit? Veruntamen tametſi negari non poſ-
ſit, ſpem magnam eſſe hominis afflictionem; cæ-
leſtium tamen bonorum ſpes, nequaquam eſt af-
flictio, ſed ingens lætitia, & quidem lætitia talis,
quæ cuicunque hujus mundi bono comparata,
ſemper excedit: *Expectatio juſtorum lætitia.* Hinc
ergo vobis diſcurrere ſive arguere licet, & dicere:
Quod ſi ſpes lætitiæ cæleſtis, quæ ſecundum na-
turam ſpei afflictio eſſe debebat, non tamen eſt
afflictio, ſed lætitia, & talis quidem lætitia, quæ
quamvis aliam lætitiam longè ſuperat; quanta
igitur erit lætitia, quæ per hanc ſpem ſperatur &
expectatur? Hic eſt diſcurſus Sancti Bernardi ſer-
mone quarto in Pſalmum, Qui habitat, ubi dicit:
*Si expectatio juſtorum lætitia, & tanta lætitia, ut omne*
*quod deſideratur in ſeculo, non valeat ei comparari;*
*ipſum quod expectatur, quid erit?* Qualis & quanta
hæc lætitia futura ſit, capi aut intelligi nequaquam
poteſt.

22. Quod ſi tandem ad contemplandas eas,
quibus ſancti cælites Patroni noſtri in civitate
cæleſti perfruuntur divitias, introeamus penitius;
illas quoque ſicut quævis alia, quæ ibi poſſident,
inveniemus eſſe magnas & immenſas. Ipſamet
cæleſtis ſponſa die quodam ſponſo ſuo in paradi-
ſum introducta, ſecundum translationem ſeptua-
ginta interpretum, Canticorum capite primo,
verſu quarto dixit: *Introduxit me Rex in cubiculum*
*ſuum.* Cælum cubiculum appellat, utpote non
ignorans, illud eſſe locum illum, quem Deus no-
bis in quietis noſtræ locum deſtinavit, cum extra
illud conſtituti laborare continuò debeant. Cu-
biculum ſive cubile locus eſt, ubi dulcis & ſuavis
capitur ſomnus, ideoque humanæ quieti dedica-
tus. Obſervandum eſt autem, quod dum ſponſa
ſe à Deo in cælum introductam videt, ipſum non
appellet Deum, ſponſum, Dilectum, aut patrue-
lem, aut alio quovis nomine, prout alias facere
conſuevit, ſed Regem. *Introduxit me Rex.* Cur
obſecro à Deo in cælum introducta, ipſum non
Deum uti ſolebat, aut aliis nominibus conſuetis
nominabat, ſed nomine Regis inſignivit? Diffi-
cultas iſthæc ab Origene Homilia prima in Can-
ticum propoſita, hiſce ſequentibus verbis reſoluta
fuit: *Vt oſtenderetur per hoc nomen prædives cubicu-*
*lum utpote regium, & multis atque immenſis opibus*
*repletum. Quando ſe a Deo cæleſtibus bonis remunera-*
*tam eſſe conſpicit, ipſa Deum Regem appellat; quia in*
*cælo, non verò in terra Deum divitem & opulentum in-*
*numerabiliumque bonorum eſſe conſpicit Dominum.*
Porro tametſi Deus in terra quoque dives ſit, imo
ditiſſimus, utpote qui omnium regnorum, civita-
tum omnium, omniumque hominum, omnium,
quos terra abſcondit & contegit theſaurorum,
omnium animalium, cunctarumque rerum, quæ
in & ſubtus terram ſunt, & videntur, abſolutiſſi-
mus & verus eſt Dominus; pauper tamen cenſen-
dus eſt, in comparatione ejus, quod habet in cælo.
Ibi verè Rex eſt, ibi ſunt ejus divitiæ, & non in
terra. Vnde facile cogitare licet, quales & quantæ
ſint divitiæ illæ, quibus in Paradiſo ſancti abun-
dant; quando terrenæ divitiæ ad illas comparatæ,
divitiarum nomen amittunt.

23. Noſtis utique parabolam ejus, qui poſt
inventum in certo quodam agro theſaurum, ut
agrum illum ſibi acquireret, illiuſq; proprietarius
Dominus fieret, omnia ſua vendere, ſeque om-
nibus exuere & ſpoliare non dubitavit. Quidnam
obſecro theſaurus iſte ſignificabat, pro cujus ac-
quirenda poſſeſſione vir ille pauper & nudus fieri
non erubuit? Regni cæleſtis ſignificabat deſide-
rium: *Theſaurus cæleſte eſt deſiderium*, inquit San-
ctus Gregorius Papa Hom. 11. in Evang. Deſide-
rium cæleſte theſaurus eſt adeo ingens & copio-
ſus, ut ad aliud obtinendum ſeu acquirendum, ho-
mo cuncta quæ habet bona vẽdere merito debeat.

Verum

Verum enimvero, cum deſiderium nihil ſit aliud quàm appetitus rei non habitæ, ſive abſentis: *Deſiderium ſemper earum eſt rerum, quæ deſunt*; inquit Leo Hebræus Dialogo primo de amore, certum utique eſt, quod quamdiu cæleſtia bona deſiderantur, verè non adſint. Quod ſi autem etiam tunc cum abſunt; ex eo ſolum quod deſiderantur, adeo nos locupletant, ut veluti novo nos theſauro accumulent, quantum nos divites efficient, ubi cæleſtia bona realiter a nobis poſſeſſa fuerint? Quam divites animæ beatæ erunt, quæ illas reapſe poſſident, iiſque perfruentur? Tantæ divitiæ nequaquam ſunt humanitus explicabiles.

24. Vt tamen intrinſecum divitiarum, quas continet, valorem intelligere aliqua ratione poſſimus, ad pretium obſecro attendamus attentius, quod ſancti cælites pro cæleſti regno comparando expoſuerunt. Porro pretium iſtud, quantum experientia docet, arduum, ingens omnino eſt, ac rigoroſum. Vt ſanctus Petrus illud ſibi conquireret vitam ſuam in Crucis cujuſdam trunco prodigere; Paulus capite truncari, excoriari Bartholomæus, Laurentius in craticula quadam vivus aſſari & torreri debuit; ſicque per alios ſanctos hodiedum in cælo regnantes diſcurrendo, invenietis, illos has ſibi divitias pretio quodam rigoroſiſſimo comparaſſe. Imo quod magis mirandum eſt, licet Sancti pro cæleſtis regni lucro proprium ſuum ſanguinem fuderint, ipſamque inter tot tormenta vitam prodegerint, ipſi tamen adhuc nihil quod comparativè ad lucrum æſtimari poſſit, dediſſe cenſendi ſunt, imo ſi millies millenis vicibus morerentur, nunquam vel pro minima etiam bonorum cæleſtis beatitudinis particula, æquivalens numeraturi pretium eſſent: *Homo etiamſi millies ſe occideret pro Deo, non eſt condignus ad minimam gloriam, quæ datur Sanctis*; ſunt verba Chriſti ad S. Birgittam, ex lib. 6. Revelat. S. Birgittæ cap. 101. Vnde ſi Deus homo factus fuiſſet, ſuumque effundendo ſanguinem hunc Denarium perfeciſſet, nullus hactenus cæleſtia potuiſſet bona obtinere, quacunque etiam paſſione & morte puri hominis intercedente. *Non potuit ſufficere pretium cujuſcunque ementis*, inquit S. Bernardinus p. 1. ſerm. 61. art. 3. c. *niſi filius Dei per ſupplicium Crucis pretium integraſſet*. Quales igitur & quantæ cæleſtes divitiæ erunt, quæ tali ac tanto debent pretio comparari!

25. Ad pretium iſtud, quod Sancti ad cæleſtes divitias poſſidendas exſolverunt, David reſpexit, quando Pſalmo centeſimo quinto, verſu vigeſimo quarto dicebat: *Pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem*. Cælum enim eſt terra illa deſiderabilis: *Terra deſiderabilis eſt terra viventium, ſcilicet cælum*, inquit Hugo in Pſalmum centeſimum quintum. Verum ô Propheta ſanctiſſime, quomodo tu illos cælum pro nihilo comparaſſe dicis, qui illud tam caro pretio, tot tormentorum & propriæ mortis inauditis cum doloribus perpeſſæ moneta ſibi acquiſiverunt? Nihil refert, inquit David, quia nihilominus *pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem*, id eſt, *cælum*; licet enim pro illo vitæ & mortis amariſſimæ pretium exſolverint, imo licet etiam illud mille mortibus, ſi millies mori potuiſſent, & per innumera martyria ſibi comparaſſent; pro nihilo tamen terram cæli deſiderabilem accipere cenſeri deberent. Adeo enim præſtantia & ingentia ſunt, quæ in terra viventium præſtolamur bona, ut impoſſibile ſit hominem illa quacunque etiam imaginabili martyriorum quantitate & acerbitate adhibita comparare aut acquirere poſſe, unde poſt toleratas in mundo acerbiſſimas ærumnas & cruces, dicere nihilominus debent. *Pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem.*

26. Daniel Propheta capite nono, verſu decimo primo de hujus vitæ ærumnis & martyriis diſſerens, ait: *Stillavit ſuper nos maledictio*; quaſi diceret, ſuſtinuimus hactenus, & etiamnum ſuſtinemus unicam ærumnarum guttulam, cui ob antiquam primorum parentum noſtrorum maledictionem ſubjacere debemus. Enimvero quia Propheta præfatus eo tempore quo hæc verba dicebat, una cum populo ſuo tot jam annis foris extra patriam captivus & crudeliſſimorum inimicorum tyrannidi ſubjectus erat, magnam illam, cui tamdiu ſubjacuerat, tribulationem, quam torrentem vel ingens mare appellare poterat, incongruè ſtillam vel guttulam eſſe dixit. Cur igitur illam ſtillam vel guttulam aſſerens, dicit: *Stillavit ſuper nos maledictio*? Ratio eſt, quia ſe per hujus tribulationis pretium cælum acquirere ſciebat, atque ideo quantumvis tribulatio illa magna fuiſſet, attamen ad ingens illud lucrum, quod per illam ſibi acquirebat, comparata, parva quædam videbatur eſſe ſtilla, magno alicui torrenti comparata. *Guttatim pœna bibitur*, inquit Sanctus Bernardinus ſerm. de nimia fallacia præſentis

ſæculi, *ly quando ſumitur per minutias tranſit, nam in remuneratione torrens eſt voluptatis.* Hæc igitur ſunt bona, quibus in Civitate cæleſtis gloriæ ſanctorum animæ in ſocietate Angelorum conſtitutæ perfruuntur, & fruentur in æternum. Hæc bona nobis quoque à Deo ſunt præparata, tandemque conferentur nobis, ubi illorum fruitione fuerimus digni.

Valde igitur Sanctorum, qui in conſpectu Dei aſſiſtunt, precibus & interceſſione indigemus, ut nos quoque ſancti ſimus, fiamuſque digni præmio illo, quod ſolis duntaxat Sanctis indulgetur. Ad illos proinde confugiamus, noſque illorum pietati humiliter recommendemus, rogantes ut opulentorum meritorum ſuorum nos reddere dignentur participes, ut per illorum valorem mediante divina gratia, quæ omnia præſtat, ad ſummorum bonorum poſſesſionem ad quam nos opera noſtra evehere non poſſunt, ſublimari valeamus. Neque ipſi in hac neceſſitate conſtitutis nobis ſua pietate deerunt, utpote qui una cum Chriſto Jeſu Domino noſtro expanſis brachiis nos invitant & expectant: *Chriſtus & concives noſtri, extenſis cum brachiis & canticis nos expectant*, inquit Sanctus Auguſtinus apud Hugonem Cardinalem in caput decimum primum ad Hebræos.

(✠✠✠)
✠

PANE-

# PANEGYRICVS XLIX.

## PRO FESTO PRÆSENTATIONIS

### Glorioſiſſimæ Dei Genitricis ſemperque Virginis MARIÆ.

## THEMA.

### Infinitus enim theſaurus eſt hominibus. Sap. 7. verſ.14.

## ARGVMENTVM.

*Beatiſsima Virgo MARIA eſt inæſtimabilis quidam Theſaurus pretioſiſsimis & incomparabilibus divitiis refertus.*

1\. OMnes Auguſti ac illuſtres tituli, quibus Sancta Anna glorioſiſſima Chriſti avia in hoc mundo celebratur, à divino benedicti ventris ſui partu, magna inquam Dei matre, quam meruit parere, duntaxat dependent. Ipſa namque terra dicitur, *quia* ut ait Sanctus Vincentius ſermone ſecundo de Nativitate Beatiſſimæ Virginis Mariæ, *roſetum illud nobiliſſimum produxit, unde verbi incarnati fragrantiſſima roſa effloruit.* Ipſa vinea appellatur, *quia* teſte Divo Damaſceno Oratione prima de Nativitate Beatiſſimæ Virginis Mariæ, *ex illa vitis illa, quæ genitrix eſt botri illius, qui omnes Paradiſi Sanctos inebrias, enata eſt.* Ipſa Oliva appellatur, quia ut Ioannes Lanſpergius ſermone de Sancta Anna docet, *fructum illum protulit, unde oleum illud quod veros ungit Reges, abunde manavit.* Ipſa ſylva cognominatur, *quia* ut tradit Sanctus Bonaventura in ſpeculo virginum, *virgam produxit, florem illum progerminantem, qui Angelos homineſque decorat.* Ipſa veluti mons quidam deſcribitur, quia ut Sanctus Damaſcenus ubi ſupra ſcribit, *fontem produxit aquas illas ſcaturientem, quæ quanto largius in cælo bibuntur, tantio ardentius ſitiuntur & deſiderantur.* Ipſa Paradiſus eſſe dicitur, quia ut habet Breviarium Gallicanum, *arborem vitæ progerminavit, unde natus eſt vitæ æternæ fructus.* Ipſa denique glorioſo Gazophylacii nomine inſignitur. Venerabilis Anna, ita Angelus quidam S Birgittam alloquitur; ut videre eſt in Revelat. S. Birgittæ in ſerm. Angeli cap. 10. Verè nuncupari poteſt omnipotentis DEI Gazophylacium. Quia novem menſium ſpatio in beatiſſimo utero ſuo portavit ac demum mundo fæliciter peperit opulentiſſimum Dei Genitricis ſemperque Virginis Mariæ theſaurum. *Bonum theſaurum mundo peperit*, inquit de Sancta Anna S. Ioannes Damaſcenus ubi ſupra. Eo ipſo enim

quo S. Anna Matrem Domini ſui hominibus peperit, quendam enixa eſt theſaurum, tantis divitiis refertum, ut a nonnullis infinitus appellari meruerit: *Infinitus theſaurus eſt hominibus*, inquit de Deipara Virgine Salomon, Sap.7.v.14. Admirabilem hunc theſaurum S. Anna hodie offert & præſentat Deo, utpote è cujus manibus illum in templo Hieroſolymitano quondam receperat. Hunc quoque theſaurum, ejuſque innumerabiles divitias, Divina gratia mediante, quàm ſua nobis apud Divinum filium ſuum interceſſione impetrare dignabitur, in præſenti Panegyrico prolixius contemplabimur.

2. Quando auguſtiſſima cælorum Regina (ut abinde exordiar) in domo Zachariæ conſtituta, Deum ob tantas ei conceſſas gratias laudabat, inter alios favores ad particularem reſpectum, quem Divina Majeſtas eidem deferebat, attendens, Lucæ capite primo, verſu quadrageſimo octavo dicere cœpit: *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*; quaſi diceret: Magnopere ad Dominum meum laudandum & magnificandum ſum obligata, qui me dignatus eſt reſpicere. Attendite obſecro ad proprietatem verbi illius, *Reſpexit*, & obſervate bene, quod non dicat: *Aſpexit*, ſed *reſpexit*, quaſi diceret, non ſolum me unica tantum vice aſpexit, ſed ut iterum iterumque aſpiceret, reverſus eſt. Reſpicere enim idem eſt, quod iteratò aſpicere ad eum modum quo rem intueri ſolemus amatam, quam quantumvis ſæpe conſpexerimus, ad eandem tamen ſæpius videndam & revidendam frequenter revertimur. Quis neſcit Deum Beatiſſimam Virginem aſpexiſſe ſemper & iterum iterumque eandem reſpexiſſe, fixoſque in eam tenuiſſe clementiæ ſuæ oculos? Quod ſi enim Deus oculos ſuos ſuper juſtos ſemper apertos tenet, Pſalmo trigeſimo tertio, verſu decimo ſexto, *Oculi Domini ſuper juſtos*, quomodo eoſdem non ſemper ſuper omnium juſtorum Dominam fixos habebit apertos? Porro hinc non inevidenter colligitur, Deum quoque ſuum in Beata Virgine cor habuiſſe repoſitum: Nam uti in communi Proverbio dici ſolet: *Vbi cor, ibi oculi*, Et conſequenter ipſam verum fuiſſe Dei theſaurum: Quod ſi enim ita eſt, uti Salvator noſter, Matthæi capite ſexto, verſu vigeſimo primo dicit: *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum*, neceſſarium eſt dicere, Beatam Virginem quendam Dei theſaurum fuiſſe, cum cor Divinum in Beata Virgine veluti in cordis ſui ſcriniolo repoſitum fuerit. Etenim verus quidam Dei theſaurus fuit, unde & à Methodio Homilia de occurſu Domini: *Amor Dei theſaurus dicitur*. Verum enimvero bene obſervandum eſt, ipſam non dici vulgaris alicujus hominis theſaurum, neque theſaurum alicujus Principis, aut Regis, aut alterius cujuſdam Monarchæ terreni, ſed theſaurum Dei vocari à Methodio: *Amoris Dei theſaurus*, utpote ſub cujus Dominio omnia bona, omnes divitiæ, univerſum denique cæli terræque aurum continetur; idque ut hac ratione nobis inſinuetur divitias in hoc theſauro reconditas, ſine numero, & ſupra æſtimationem, imo noſtro intelligendi modo immenſas eſſe atque infinitas: *Infinitus enim theſaurus eſt hominibus*.

3. Nemo eſt, qui aurum Divinæ naturæ ſymbolum eſſe neſciat. Vnde quoque aurum illud è quo Regni Hebræorum coronæ fiebant, Deum ſignificabat: Clemente Alexandrino lib.2. Pædag. cap.8. teſte, qui dicit: *Aurum ipſum verbum eſt*. Verum inquies, ad quam auri ſpeciem Deus referendus erit? Vtique ad quandam auri ſpeciem adeo pretioſam & perfectam tantique valoris ac pretii, ut ſi in ſeipſo dividi poſſet, minima quævis ejus particula, pluris valitura eſſet, quàm cælum aut terra, & quicquid cælo terraque continetur. Iam vero quis eſt ita rudis, qui neſciat Beatam Virginem locum illum fuiſſe, in quem Deus hunc mundum locupletaturus theſaurum hunc collocavit? Neque enim ipſa tunc ſolum intra ſe Deum habuit, quando ipſum hominem factum in utero ſuo portavit, verum etiam diu ante. Neque enim adhuc Deum in utero ſuo conceperat, quando ei Gabriel dixit, Lucæ capite primo, verſu vigeſimo octavo. *Dominus tecum*. Cum igitur Beatiſſima Virgo Maria armarium fuerit, in quod aurum illud Deitatis pretioſiſſimum reconditum fuit, theſaurus fuerit neceſſum eſt. *Theſaurus* enim nihil aliud ſignificat, quàm *Theca auri*.

4. Neſcio num aliquando ſtudium illud & curam conſideraveritis, quacum Deus Beatiſſimam Virginem ſumma cum ſollicitudine cuſtodivit? Certè nullum unquam in mundo hominem adeo ſollicitè curavit & cuſtodivit ſicuti ſuam ſanctiſſimam matrem. Illam namque non ſolum à S. Ioſepho, à S. Ioanne Apoſtolo, & à S. Gabriele cuſtodiri, verum inſuper ab Angelorum integro exercitu, qui illam continuo velut murus quidam adamantinus cingebat cuſtodiri voluit. Vnde Sanctus Ioannes Damaſcenus oratione 1. de Nativitate B. V. ipſam veluti infantulam in gremio

S. Annæ jacentem conſiderans, eidem dicere non dubitavit: *O ſanctiſſima filia, quæ materni uberis lacte aleris & ab Angelis undique cingeris.* De hoc quoque S. Bernardus dicit: *Credendum eſt quod B. Virgo plurimas legiones Angelorum habuerit ad ſui cuſtodiam & protectionem.* Eſtque hoc adeo verum inquit Bernardinus de Buſtis in Mariali part. 2. ſerm. 2. ut ipſi attribui poſſit illud Pſalmi: *Angelis ſuis Deus mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.* Verum dic cur Deum Beatiſſimam Virginem tanta cum diligentia & ſollicitudine cuſtodire & curare voluiſſe exiſtimas? Ratio eſt, quia ipſa theſaurus ejus erat. *Theſaurus ſollicitè cuſtoditur,* inquit Richardus à S. Laurentio lib. 4. de Laud. B. M.

5. Una è præcipuis rationibus ob quam Deus ſanctiſſimam Matrem ſuam Joſephi ſponſam eſſe voluit, eſt, ut Divinus ejus partus occultaretur Diabolo *Martyr Ignatius,* inquit S. Hieronymus lib. 1. Comm. in cap. 1 Matth. *quartam addit cauſam cur Dominus à diſpenſata conceptus ſit, ut partus, inquiens, ejus celaretur Diabolo, dum eum putat non de virgine, ſed de uxore generatum.* Dæmon enim B. Virginem Matrem factam videns, ipſamque domi ſuæ in viri ſui contubernio vivere ſciens, nequaquam illam perpetuo Virginem manſiſſe, atque Spiritus Sancti opera concepiſſe & peperiſſe judicare poterat. Dæmon quoque ſcire nulla ratione poterat eum eſſe B. Virginem inter & S. Joſephum vivendi modum, qualis fratrem inter & ſororem intercedere ſolet, nec illam à ſponſo ſuo unquam fuiſſe cognitam. Scire inquam hoc neutiquam poterat, qui ei appropinquare aut vicinior fieri unquam valebat: *Non permittebatur approximare ei, ut hoc cognoſceret,* inquit S. Antoninus p. 3. tit. 1. cap. 18. Idque certum eſt. Quod ſi enim Dæmon S. Franciſco trium dierum ſpatio appropinquare non potuit, teſte Bartholomæo Piſano lib. 1. Conform. fructu. 9. p. 2. quomodo illi quæ Domina & Regina eſt S. Franciſci, omniumque in Paradiſo cælitum & Angelorum, approximare potuiſſet. Tam igitur immenſus hic theſaurus erat, tantæ erant à Deo inibi collocatæ & depoſitæ divitiæ, ut merito à Dæmonis latrocinio tanta debuerit cum diligentia continuò cuſtodiri.

6. De Beatiſſima Virgine narratur, illę veluti ſolitudinis vitæque ſolitariæ ſummæ amatrici, magno ſemper fuiſſe gaudio, ab omni ſæculi tumultu ſequeſtratam occultam & reconditam vivere poſſe. Unde quando S. Gabriel Archangelus Incarnationis Filii Dei myſterium in ejus ſacratiſſimo utero conſummendum annunciaturus ad illam acceſſit, eandem in ſecreto ſuo cubili ab hominibus ſequeſtratam clauſis poſt ſe januis invenit: *Ingreſſus Angelus ad eam,* inquit S. Lucas, id eſt, juxta interpretationem ſancti Bernardi apud Nicolaum Lyranum in cap. 1. Lucæ. *Ingreſſus in ſecreto cubiculo, ubi clauſo ſuper ſe oſtio, orabat Patrem in abſcondito.* Erantque fores hujus cubiculi adeo clauſæ & obfirmatæ, ut eo nulli alteri præterquam cæleſti Angelo ingredi licuerit: *Non potuit ad eam ingreſſus, niſi nuntio de cælo venienti,* inquit Hugo Cardinalis in cap. 1. Lucæ. Eandemque ob cauſam ſponſus ipſo horto concluſo, fontique ſignato aſſimilare voluit, Cant. 4. v. 14. dicens: *Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, fons ſignatus.* Cur obſecro Beatiſſima Virgo adeo ſequeſtrata, abſcondita & clauſa ſemper latebat? Quia nimirum theſaurus erat. *Theſaurus occultatur & clauditur,* inquit Richardus à S. Laurentio ubi ſupra. Imo ab antiquis theſauri tanto cum ſtudio occultari ſolebant, ut carceres Plutonis paſſim appellati fuerint.

7. Adhæc ſciendum eſt, quod quotieſcunque Chriſtus in Evangelio Filius hominis appellatur (prouti Matth 8. v. 20. c. 10. v. 23. & c. 12 v. 8. & in tot aliis ejuſdem aliorumque Evangeliſtarum locis legitur) per hominem illum alius quam glorioſiſſima ejus Mater intelligi nequaquam poterat, cum non aliorum hominum more ab alio homine præterquam ab ipſa genitus fuerit. Hac igitur veritate ſuppoſita, rationem ſcire percuperem, cur quando Chriſtus filius B. Virginis appellatur, non filius Mariæ, aut vero filius Virginis, ſed filius hominis dicatur? Et quidem quantum intelligere poſſum, Chriſtum ideo ſanctiſſimam Matrem ſuam hominem appellaſſe credo, quia nimirum ipſam eſſe intelligebat ampliſſimum omnium virtutum divinarum theſaurum. Sicut enim in homine, ut vult Philoſophus, omnes ſimul congregatæ ſunt proprietates, quas natura in omnibus diviſit atque diſtribuit animalibus nimirum columbæ ſimplicitas, manſuetudo agni, liberalitas leonis, ciconiæ pietas, fidelitas canis, & ſic deinceps per ſingula diſcurrendo. Ita Deus in B. Virgine ſimul omnes gratias & virtutes in aliis ſanctis diſperſas congregavit. *Sicut enim ſecundum Philoſophum,* inquit Archiepiſc. Genuenſ. Jacobus de Voragine in ſuo Mariali lit. A. ſer. 16 *& quæ ſparſa ſunt in animalibus per naturam, collecta ſunt in hominibus per rationem, ut*

*ſimplicitas in columba, benignitas in agno, liberalitas in leone Ita omnes gratia, quæ aliis ſunt data in Maria ſimul fuerunt collecta.* Venerabilis Cancellarius Pariſienſis Joannes Gerſon ſer. de Concept. B Virg. dicit, quod poſtquam Deus glorioſiſſimam Virginem creare decrev iſſet , mox omnes virtutes pariformi conſenſu ſeſe eidem communicare eandemq; tanta cum liberalitate ac munificentia locupletare promiſerint, quanta nullus unquam ante ipſam homo decoratus fuiſſet : *virtutes uno conſenſu promiſerunt, quod nunquam fecerunt de bonis earum tantam liberalitatem, & quod nihil retinendo, omnia ei vellent tribuere.* Beata igitur Virgo omnes virtutes poſſibiles, omnes divitias quæ in omnibus aliis animabus ſanctis diviſæ atque diſperſæ fuerunt in ſe una congregatas habuit : *Cæteris per partes præſtatur, Mariæ vero tota ſe infudit plenitudo gratiæ,* inquit S. Hieronym. Ideoque Beatiſſima Virgo magnus theſaurus fuit , in quo nimirum Deus omnes totius mundi repoſuit divitias.

8 Credo equidem vos non ignorare, quod inter multas hujus nominis, *Maria*, interpretationes, una eaque præcipua ſit qua *mare* interpretatur. Vere namque juxta nomen ſuum mare quoddam fuit, omnibus bonis, omni gratia, omnibuſque poſſibilibus virtutum divitiis refertiſſimũ. Portus fuit, in quem exoneratæ ſunt omnes omnium aliorum ſanctorum gratiæ & virtutes. Et ſicut omnium fluminum aquæ in mare decurrunt, ibique congregantur : *Omnia flumina intrant in mare,* inquit Eccl. c. 1. v. 7. Ita omnes gratiæ aliis animabus à Deo conceſſæ, in ipſa veluti in mari quodam uniuntur & ſimul congregantur. Fuit igitur ampliſſimus quidam & copioſiſſimus omnium divitiarum ſpiritualium theſaurus ; divitiarum, inquam tam earum quæ in ſanctis terræ hujus , quam quæ in Paradiſi beatis conſpiciuntur : *Omnia flumina intrant in mare,* inquit Seraphicus Doctor S. Bonaventura in ſpeculo virg. *dum omnia Chriſmata ſanctorum intrant in Mariam.*

9 David Pſal 44. v 14. de B Virgine dicens: *Omnis gloria ejus,* idem dicit, quod ſancta aſſerit Dei Eccleſia, dum ait: *Fælix namque es ſacra Virgo Maria & omni laude digniſſima.* Quaſi ei diceret : O beatam te, ô glorioſiſſima Virgo Maria, quaterque beatam , cum enim aliæ Creaturæ ex particulari aliqua gratia laudentur & glorificentur tu ex omnium gratiarum dono laudari mereris, utpote quæ ex ſpeciali privilegio tuo omnes meruiſti & poſſediſti. Nonnulli propter bona naturalia laudari ſolent, ob corporis nimirum pulchritudinem, vel excellentes ingenii dotes : alliorum laus ex fortunæ bonis deſumitur, divitiarum ſcilicet abunduntia, filiorum, honorum, ſimiliumque rerum copia & multitudine : alii denique ex gratiæ bonis, virtutibus nimirum, meritis, diviniſque favoribus commendantur. Tu vero ex prædictis omnibus laudari & glorificari mereris, omniumque gloria frueris, utpote quæ omnibus gratiis digniſſima extitiſti. *Omnis gloria ejus. Omni laude digniſſima.* Audite ſanctum Florentinorum Archiepiſcopum Antoninum p. 3. tit. 31. c. 4 §. 1. *Gloria aliquorum eſt laudari de bonis naturæ, aliquorum de bonis fortunæ, aliquorum gloria eſt de bonis gratiæ : verum hujus Virginis glorioſæ, omnis gloria ejus.* Omnium igitur bonorum omniumque divitiarum quas vel natura vel fortuna ( ut mundi more & ſtylo loquar) vel etiam gratia , ſive Deus author omnis gratiæ inter alios ſanctos diviſere, ipſa copioſiſſimus quidam theſaurus extitit. *Omnis gloria ejus.*

10. S. Gregorius Nyſſenus Orat. de Nativit. Chriſti refert , quod poſtquam B Virgo in templo Hieroſolymitano multis fuiſſe annis commorata & enutrita , tandem advenerit tempus illud, quo Moſayca lege diſponente , viro alicui nubendum illi erat, Sacerdotes autem, ad quos talibus aſſiſtere nuptiis ſpectabat , illam nuptui tradere formidarint. Cur autem illam alteri deſponſare verebantur? aut quid metuebant? Nolebant ut poſtquam tantus theſaurus à parentibus ſuis Deo oblatus & præſentatus eſſet, Homo aliquis tanti fieret theſauri patronus & Dominus; timebant enim ne hoc temere audendo ſacrilegium committerent. Etenim naturæ legi illam ſubjicere ut cuipiam in matrimonio collata ſerviret, abſurdiſſimum videbatur. Inſtar enim ſacrilegii eſſet , ſi muneris Deo ſacrati Dominus homo fieret. Adeo opulentum donum illud fuit, theſauruſq; adeo pretioſus, quem Anna & Joachim Deo obtulerát, ut merito ipſis viſum fuerit, nullum in toto mundo inveniri hominem poſſe, qui illã habere aut poſſidere dignus eſſet.

11. Poſtquam S. Joſeph Deo ita diſponente Beatiſſimam Virginem ſibi deſponſatam accepit ipſamque uterum geſtare aut gravidam eſſe cognovit, diu intra ſe, quid facturus eſſet, anxius hæſit, donec tandem illam dimittere & omnino deſerere reſolvit. *Voluit occultè dimittere eam,* inquit Matthæus cap. 1. v. 19. Cur autem illam ſtatuerat dimittere ; Num forte ipſam ſuſpicabatur adulteram, quam proinde quod ſecum habitare non

poſſet,

poſſet, dimittere voluit? Nequaquam illam ideo dimittere voluit, quod in mentem ei illa ulla de conjugis ſuæ adulterio, vel de ſanctiſſimo ejus fœtu, quaſi ab alio fuiſſet viro procreatus, ſiniſtræ ei obveniſſet ſuſpicio: Verum ideo potiùs quod illam una ex parte opera Spiritus Sancti gravidam eſſe ſciens, ſe ex altera parte tam auguſtæ Dominæ ſocietate & contubernio judicaret indignum, cumque illa diutiùs commorari formidaret. Unde Angelus quidam ei apparens Matth. 1 v. 20 dixit illi: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam Non moleſtè tulit*, inquit S. Baſilius hom de Chriſti Nativitate, *neque faſtidivit, ſed timuit ipſam, veluti Spiritu Sancto repletam* Sanctiſſimus enim humillimuſque Joſeph in domo ſua theſaurum quendam incomparabilibus divitiis plenum videns, theſaurum inquam qui veras omnes cæli terræque gemmas in ſe recludebat; theſaurum denique continentem eum, in quo ut Apoſtolus ait ad Coloſſ 2. v. 3 *ſunt omnes theſauri ſcientiæ & ſapientiæ Dei abſconditi*, quem proinde ſolus poſſidere merebatur Deus; cum ea diutiùs commorari magnoperè timuit. Imò certò certiùs ipſam deſeruiſſet, niſi à S. Gabriele Archangelo ad conſtanter convivendum & perſeverandum cum illa perſuaſus fuiſſet. Dum enim Angelus illi dicebat: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam, clariùs illi dicere voluiſſe videtur*, inquit Origenes hom. in Diverſ. *Accipe eam ſicut commendatum cæleſtem theſaurum, Deitatis divitias ſicut pleniſſimam ſanctitatem, ſicut perfectam juſtitiam.*

12. Magnus itaque eſſe deberet theſaurus ille, qui integræ alicui Civitati locupletandæ ſufficeret; longè autem major foret ille, ſi quis talis reperiretur unde integrum ditari Regnum poſſet: Quod ſi autem theſaurus aliquis reperiretur, è quo maxima aliqua mundi pars, Africa nimirũ, vel Aſia, aut Europa opulenta fieri poſſet, talis utique eſſe deberet omnium maximus. Quid igitur de tali aliquo theſauro diceretis; qui incredibilibus totum mundum repleret divitiis & opibus? innumeræ utique & infinitæ futuræ eſſent illius divitiæ, taliſque theſauri immenſitatem & excellentiam nullus ſibi imaginari nedum calamo vel lingua deſcribere poſſet. Talis autem theſaurus Beatiſſima Virgo Maria fuit, utpotè quæ cælum & terram copioſiſſimè locupletavit. Unde non immeritò à S. Cyrillo Alexandrino hom. 6 pretioſus totius mundi theſaurus dicitur: *Salve per nos Sancta Deipara, pretioſus totius orbis theſaurus.* Niſi enim terra pretioſiſſimum hunc habuiſſet theſaurum, nunquam tot tantarumque gratiarum, quibus modo fruitur dives fuiſſet; Imò nec ipſum cælum ſine hujus theſauri poſſeſſione tot fuiſſet animabus locupletatus, quo modo decoratus eſſe conſpicitur. *Pretioſus orbis theſaurus.*

13. Porrò attendendum quod David Propheta regius Pſalm 8. v. 2. Loco ejus, quod Eccleſia de Deiparæ Virg. Aſſumpt hiſce verbis dicit: *Exaltata eſt Sancta Dei Genitrix ſuper choros Angelorum ad cæleſtia regna*; hiſce verbis eandem rem exprimit: *Elevata eſt magnificentia tua ſuper cælos.* Unde ſatis clarè liquet, quod B. Virgo quæ ab Eccleſia Dei Genitrix appellatur, à Davide Dei magnificentia nominetur. Verum profectò valdèque appropriatum auguſtiſſimæ Virginis nomen ſive Epitethon. *Singularis magnificentia Dei fuit B. Virgo*, inquit S Bernard. part. 3 ſerm de Aſſumpt Artic. 1. cap. 2. At verò dicat fortaſſe aliquis cur Propheta B. Virginem magnificentiam non verò liberalitatem Dei appellat? Ad demonſtrandum ipſam eſſe copioſiſſimarum & ineffabilium divitiarum theſaurum. Magna enim eſt magnificentiam inter & liberalitatem differentia; cum enim liberalitati paucæ pecuniæ ſufficiant, magnificentia copioſam & extraordinariam poſtulat pecuniarum profuſionem. *Inter magnificum & liberalem hoc intereſt*, inquit Ariſtot. lib. 2. Ethicor cap. 7. *quod ille in magnis, hic in parvis cernitur.* B. Virgo non eſt appellanda liberalitas Dei; Neque enim eſt theſaurus aliquis, in quem Deus modicas repoſuit divitias, ſive aurum & argentum modicum: ſed eſt quædam Dei magnificentia, utpotè pro cujus adimpletione ingenti auro, copioſiſſimo argento, divitiiſque immenſi opus habuit. *Singularis magnificentia Dei fuit Beata Virgo.*

14. Quidnam exiſtimatis eundem Davidem dicere voluiſſe, quando Pſal. 44 v. 13. hiſce Beatam Virginem verbis alloquebatur: *Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis?* Hoc nimirum, ac ſi clariùs dixiſſet: ô dulciſſima filia & Domina mea, erit aliquando tempus, quo ii qui in civitate tua opulentiſſimi ſunt, flexis coram te genibus, Eleëmoſynas à te ſunt poſtulaturi. Hoccine dicere voluit? Imò idipſum. At verò inſtabit fortaſſe aliquis; Quod ſi hic eſſet illius Davidici verſus intellectus, potius magiſque propriè dicturus fuiſſet: *Pauperes plebis*, quam *divites plebis*; Non enim ad divites, ſed ad pauperes pertinet Eleëmoſynam poſcere. Dico igitur Prophetam maluiſſe dicere divites, & non pauperes plebis,

 ſciebat

ſciebat enim illos de quibus ſermonem inſtitueſat, vere quidem divites eſſe, ſui tamen, Eleëmoſynarumque ſuarum maxime indigos. Adeo enim ingentes & immenſæ ſunt ejus divitiæ, ut omnes alii divites, haud ſecus ac ſi pauperes eſſent, gratia ſua & favore omnino indigeant. Tametſi enim cæleſtes Angeli ſint locupletisſimi, attamen ut nonnunquam idipſum quod indigeat à Deo obtinere valeant, ad Deiparæ Virginis liberalitatem recurrere debent. *Favore virginis arbitror*, inquit Paulus de Palatio in cap. 13 Matth. *ſua vota Angelos aſſequi.* Ipſa namque eſt theſaurus quidam adeo copioſus & immenſus ut ad illum comparati divites, vere ſint pauperes. *Vultum tuum deprædicabuntur omnes divites plebis.*

15. Audite quid ipſamet Proverb. 8. verſ. 18. de ſe dicat: *Mecum ſunt divitiæ & gloria, opes ſuperbæ.* Quaſi dicere vellet; Novus quidam, inauditus, atque ſtupendus ſum theſaurus; plena enim ſum divitiis & gloria. Etenim bene obſervandum, quod non dicat ſe ſolum divitiis plenam eſſe, ſed divitiis & gloria, quaſi diceret: Divitiæ quidem quibus hujus mundi theſauri referti ſunt, ad infernum conducunt, hominemque æternaliter miſerum reddunt; meæ autem ad cælos perducunt, & glorioſum efficiunt, unde ſicuti homines per ſuas ſibi divitias æternam damnationem conciliant, ita per meas cæleſtis ſibi beatitudinis regnum acquirunt. Unde, ut Richardus à S. Laurentio *exiſtimat. Beata Virgo dicens. Mecum ſunt divitiæ & gloria, dicere velle videtur: Mecum ſunt divitiæ glorioſæ; quæ ſcilicet faciunt poſſeſſores ſuos glorioſos.* Quam igitur ingens & ſtupendus eſt divitiarum hujus theſauri valor & pretium, quando illis mediantibus cælum, id eſt, quoddam inæſtimabilis valoris regnum comparare & acquirere nobis poſſumus!

16. De innominato quodam viro ſcribitur, quod dum omnes mundi Reges theſauros ſuos congregatos habere videret, Alexandrum vero omnium illorum Regum, nec non totius mundi Dominum, poſt tot locupletisſimas Civitates, ampliſſimaque ac potentisſima regna devicta & ſubjugata, ne vel minimum ſibi congregaſſe theſaurum cerneret, eundem Alexandrum interrogarit: ubi ſuos reconderet theſauros? Cui ut legitur in Apophtegmatibus lib. 4. Alexander reſpondit: apud amicos. Si quid hic ab Alexandro petiit, nos Deum interrogaremus, ubi nimirum ſuos haberet theſauros reconditos? Non dubito, quin reſponſurus eſſet: apud Amicam; apud illam videlicet, cui Cant. 1. v. 14. dico: *Ecce tu pulchra es amica mea.* In ſua namque ſanctiſſima Matre tantum repoſuit humanæ redemptionis pretium. *Redempturus humanum genus*, inquit S. Bernardus ſerm. de Nativit. B. M. *pretium univerſum contulit in Maria.* Beata Virgo igitur inexhauſtus quidam eſt omnium illarum divitiarum theſaurus, quibus Chriſtus infinita debita noſtra exſolvit, nobiſque æternæ beatitudinis regnum comparavit. *Pretium univerſum contulit in Maria.*

17. Ex quo non ſola Dei Mater theſaurus quidam eſt, verum etiam omnes ſancti & electi Dei quorum unus 1. Corinth. 4. verſu ſeptimo dicebat: *Habemus theſaurum in vaſis fictilibus.* Qualis obſecro inter iſtos & hunc theſaurum facienda eſt differentia? Eadem quæ inter flumina unicam duntaxat terræ partem humectant, mare vero totam terram inundat: Ita cum omnes alii theſauri, id eſt, omnes alii ſancti, uni duntaxat civitati aut uni tantum regno, quod Deus illorum protectioni ſubjecit, ſuccurrant; Beata Virgo econtra omnibus ſubvenit, adjuvat omnes, omniaque regna, & omnes mundi Civitates divitiarum ſuarum efficit participes *Ipſa eſt*, inquit devotiſſimus Idiota Contempl. Virg. in Prol. *theſauraria gratiarum.* Cæteri ſancti jure quodammodo patrocinii, pro quibuſdam ſibi ſpecialiter commiſſis plus poſſunt prodeſſe in curia cæleſti, quam pro alienis Beatiſſima vero Virgo, ſicut eſt omnium Regina, ſic etiam omnium advocata & patrona eſt, & cura illi eſt de omnibus; & ſic *nemo eſt, qui ſe abſcondat à calore ejus.* Fuitne unquam in mundo major Juda peccator? Num forte alius in terra Deum ejuſque ſanctiſſimam Matrem atrocius offendere potuit, quam perfidus & maledictus Judas fecit? Nullus perfecto dilectum animæ ſuæ, Dei & ſuum filium tradere, & crudeliter crucifigendum & occidendum rabidorum inimicorum ſuorum manibus auſu omnino temerario conſignare tentavit, ſicut perfidus nebulo iſte. Et tamen hoc non obſtante, quod ſi Judas de enormi peccato ſuo pœnituiſſet, ſuumque ad theſaurum iſtum habuiſſet confugium, utique factus fuiſſet etiam divitiarum ſuarum egregiè particeps: *Si veniſſet ad Virginem*, inquit de Juda ſanctus Vincentius ſerm. in Dom 5. poſt Trinit. *Ut oraret filium ſuum, ut parceret ſibi adhuc habuiſſet remiſſionem.* Deipara igitur Virgo ingens quidam eſt & inexhauſtus theſaurus, præparatus omni-

omnibus expoſitus, atque ad ſuccurrendum omnibus congregatus. *Non eſt qui ſe abſcondat à calore ejus.*

18. Stupore digniſſima ſunt illa Cant. 4. v. 13. ſponſi ad B. Virginem verba, cum dicit *Emiſſiones tuæ paradiſus.* Id eſt, quicquid producis, quicquid à te promanat, quicquid in conſpectu hominum & Angelorum à te foras erumpit, Paradiſus eſt. Unaquæq; virtus quam exerces, quodlibet quod exequeris opus, quælibet vel minima cogitatio, quæ à tua mente producitur Paradiſus eſt, Beata Virgo igitur pluris æſtimanda erit quam paradiſus, pluris quam cælum empyreum, plures denique quam univerſa valeat cæleſtis curia. *Beata Virgo plus valet,* inquit Bartholomæus Piſanus de vita & laud. B. Mariæ lib. 6. fructu 3. *quam tota cæleſtis patria.* Quam igitur pretioſus quam dives, quam copioſus erit iſte theſaurus, qui plures valet, quam tota valeat curia Paradiſi.

19. Noſtiſne rationem mihi reddere, cur Propheta regius copioſam vocet Redemptionem noſtram? *Copioſa apud Deum Redemptio,* inquit Pſal. 129. v. 7. Dicere fortaſſe aliquis poterit, rationem hujus eſſe, quia redemptio noſtra omnibus prodeſt; pro omnibus valet, tam pro hominibus, quam pro Angelis; tam pro juſtis, quam pro peccatoribus, tam pro iis qui erant in terra, quam pro aliis, qui claudebantur in lymbo. A valore & pretio ſanguinis Chriſti nemo excluſus fuit, quantumvis peſſimus peccator eſſet. Ne ipſemet quidem traditor Judas excluſus fuit, tametſi divinus Chriſti ſanguis ipſius enormi ſcelere fuerit effuſus. Hanc equidem rationem bonam eſſe libenter fateor, veruntamen aliam accipite propoſito noſtro convenientiorem. Copioſa igitur Redemptio noſtra dicitur, quia licet Chriſtus unica duntaxat divini ſanguinis ſui ſtilla omnia debita noſtra ſolvere poſſet, ille tamen ſanguinem ſuum in tanta voluit copia effundere, quæ mare quoddam efficere potuiſſet. *Prorſus copioſa,* inquit S. Bernard ſerm. 12. in Cant. *quia non gutta, ſed unda ſanguinis largiter per quinque partes corporis emanavit.* Cum igitur pretioſiſſimus ſanguis iſte, cujus una guttula tam inæſtimabilis valoris ac pretii fuit, à modica quadam carnis Beatiſſimæ Virginis Portiuncula deſumptus aut deciſus fuerit, facilè inde eſt arguere quanti ipſa valoris ac pretii extiterit, qualiterque verum ſit ipſam pretio ſuo superexcedere paradiſum. Unde Sanctus & Seraphicus Doctor Bonaventura ſermon. 4. Dom. 1. Quadrag exclamat; *O dives in omnes; & ſuper omnes Maria, de cujus ſubſtantia modica pars aſſumpta, totius mundi ſuffecit reddere debita.* Theſaurus igitur eſt inexhauſtus, immenſus, incomparabilis, inæſtimabilis, infinitus.

20. Quid putatis Chriſtum nobis innuere voluiſſe, quando nos Patrem ſuum Matth. 6. v. 12. hiſce verbis rogare docuit: *Dimitte nobis debita noſtra?* Nimirum ſcire nos voluit, ingenti nos debito Deo obſtrictos eſſe, utpotè qui à liberaliſſimis ejus manibus infinita bona recepimus. Nullus eſt homo in univerſo mundo, qui gratiarum ſuarum factus non fuerit particeps, factuſque non ſit diverſis omninò modis Dei debitor. Adeò dives eſt Deus, tantaque hominibus beneficia contulit, ut omnes debitores ſuos conſtituerint. Quod ſi fortaſſe homines inter aliquis inveniri homo poſſet, qui certo quodam modo non ſolum non eſſet Dei debitor, verum inſuper creditor Dei eſſet, ejus inquam, qui omnes homines nullo prorſus excepto ingenti ſibi debito obſtrictos tenet; quales & quantæ futuræ eſſent hominis illius divitiæ? Tales utique & tantæ, quæ omnem prorſus imaginationem noſtram ſuperarent. Talis B. Virgo fuit; audite quid eidem Methodius orat. in Hypopant. dicant: *Euge, euge mater Dei, quæ debitorem illum habes, qui omnibus mutuatur, Deo namque univerſi debemus, tibi etiam ille debet.*

21. Deum nudum & veſtis egenum de cælo in uterum B. Virginis ingreſſum eſſe, certum eſt: Nemini quoque dubium eſt, Beatam Virginem particularem ei veſtem contexuiſſe, ipſumque immaculatæ carnis ſuæ pretioſiſſima contexiſſe purpura. *Abſque veſte Deus,* inquit S. Ildephonſus de Virgin. S. Mariæ cap 2. *Ut ita dicam, ingreditur; qui ut certè dicam, carne veſtitus egreditur.* Unde ſicut Job cap. 1. v. 21. dicit: *Nudus ingreſſus ſum de utero matris meæ:* Ita Chriſtus dicere poterat: *Nudus ingreſſus ſum in uterum matris meæ.* Purpura iſthæc ab omnibus Angelis in cælo poſt glorioſam Chriſti Aſcenſionem viſa, ab omnibus quoque ſummo cum ſtupore & admiratione laudata fuit, ſingulis Iſaiæ 66. v. 2 dicentibus: *Quare rubrum eſt veſtimentum tuum?* Ubi igitur nunc eſt David, qui infinitas Dei divitias attentè conſiderans, dicere Pſal 15. v. 2. non dubitavit: *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges;* quando juxta benedictam matrem ſuam, ſive in ejus ſinu, adeò pauper eſſe conſpicitur ut nudus ſit, veſtiſque extremè egenus? Quales igitur & quantas theſaurus iſte divitias habet, cum ejus is quoque indigeat, qui nullius eget? quæ ſibi debi-

torem conſtituit eum, qui omnes ſibi debito ingenti obſtrictos tenet? quæ Deum veſtire potuit, eum inquam, qui Angelos pariter & homines, animalia, plantas, & flores ſuperbè atque magnificè veſtit?

22. Quando Spiritus Sanctus Cant.1 v.2. Beatæ Virgini dicit: *Adoleſcentulæ dilexerunt te*, per adoleſcentulas cæleſtis gloriæ ſanctos intelligit, tum quia non conſeneſcunt, tum etiam quia ardentiſſimè diligunt Ideo in genere fœmineo dicit, quia ferventius amant, quam adoleſcentuli, inquit Richardus à S.Laurentio lib.1.de laud B. Mariæ: *Sancti paradiſi cæleſtis Beatam Virginem ardenter adeò amant, ut præ affectus magnitudine & vehementia adoleſcentulæ, quaſi ſexus eſſent fœminei, dicantur, quæ ut alibi diximus quando amant, immoderatè diligunt.* Verùm enimverò quamobrem ſancti beatiſſimam Virginem tantopere diligunt? Quia nimirum clarè vident, illam pro redemptione & glorificatione ipſorum plus de ſuo contuliſſe, quam contulerint in unum ſimul collecti Angeli pariter & homines. Audite Bernardinum de Buſtis in Mariali p.12 ſerm.2.p.1. *Cognoſcunt quod B. Virgo cum ſit mater Dei, plus poſuit pro eorum ſalute, quam poſuerit, vel ponere potuerit tota rationalis natura ſimul ſumpta, conſiderata excellentia dilectiſſimi Filii ſui, atque ideo illam ardenter adeo diligunt.* Cùm igitur Beatiſſima Virgo ad glorificationem noſtram plus contulerit, quam omnes conferre potuerunt rationales creaturæ, neceſſum eſt dicere, ipſam theſaurum quendam eſſe adeò copioſum & divitem, qualis nec in terra inter homines, nec inter Angelos in cælo reperiri unquam poterit.

23. Porrò ex quo Beata Virgo quantum cæleſtium & ſupernaturalium divitiarum dives fuit, & amplus quidam ſupernaturalium bonorum terrenorum egena, utpotè quæ pro comparanda ſibi quotidiani victus annona filare, nere, & cum ſanctiſſimo Joſeph ſponſo ſuo quotidie laborare debuit, dubius profectò & anceps hæreo an pauperem an verò divitem & opulentam ipſam appellare debeam Si enſm divitem illam vocavero, quam tot video neceſſitatibus expoſitam, arguendus videbor: Quod ſi pauperem, illam pronuntiavero, quam tot video divitiarum patronam & Dominam, errare quoque arbitrabor. Quonam igitur nomine aut epitheto illam compellabo? Divitem illam fuiſſe audacter edicam; tametſi enim quoad terrenas facultates egena fuerit, non tamen pauper cenſenda erit aut egena, utpotè quæ veris, realibuſque divitiis abundat, ſpirituales namque divitiæ terrenis longè prævalent, & à principaliori rei deſumenda eſt denominatio. *Quando aliquid*, inquit Bartholus de ſtat.hom lec.10 *poteſt judicari ſecundum minus potens, & majus potens, attenditur majus potens.* S. Petrus Damianus lib.7 Epiſt.14 refert, quod dum Marchioniſſa quædam cui Guilla nomen erat, per certum quendam locum iter faceret, in quo parvulum quoddam ſituatum erat Oratoriolum, ipſique nomen dicti oratorii interroganti Nomen ejus eſſe S. Maria pauper reſponderetur, adeò reſponſum iſtud indignè tulerit, ut referente eodem S. Petro Damiani dixerit: *Abſit, abſit, ut eam vocemus pauperem quæ cæleſtis gloriæ genuit largitorem. Abſit ut in terris pauperis ſit digna vocabulo, quæ ſuper Angelos elevata divitias poſſidet immortales in cælo* Demum oblato oratorio illi opulentæ cujuſdam Villæ perpetuo dono, mox ſubjunxit: *Hanc continuò jure Eccleſia iſta poſſideat; eamque de cætero nemo pauperem appellare præſumat.* Sapiens nimirum hæc mulier probe ſatis intellexit, indecentiſſimè pauperis nomen illi attribui, cui ſunt divitiæ innumeræ divitiæ inquam veræ atque æternæ.

24. Quod ſi verò deinceps paupertatem & quam in hoc mundo Deipara Virgo paſſa eſt humanarum divitiarum inopiam conſiderare & ponderare velimus, ipſam quoque in divitiis, quovis theſauro mundano reperiemus copioſiorem. Quemnam aut qualem fuiſſe putatis theſaurum illum, quem Chriſto apud Lucam referente fæliciſſimus homo ille in agro invenit, & pro quo ſibi comparando, omnia quæ habuit erogavit? Ipſiſſima nimirum paupertas theſaurus hic fuit. Seraphicus Pater meus Franciſcus à diſcipulis ſuis interrogatus, quænam virtus Deo quam maximè placeret, reſpondit, *Paupertas*, & textum Evangelicum exponens inquit: *Paupertatem noveritis, fratres, ſpiritualem viam ſalutis, tanquam humilitatis fomentum, perfectioniſque radicem, cujus eſt fructus multiplex, ſed occultus. Hæc eſt enim Evangelici agri theſaurus abſconditus, pro quo emendo, vendenda ſunt omnia, & quæ vendi non poſſunt, illius comparatione ſpernenda.* Cum igitur paupertas theſaurus quidam ſit, & theſaurus quidem talis pro quo comparando ſpernendi ſunt omnes mundi theſauri, tam ii quos poſſidemus, quam quos poſſidere poſſumus, pauper nequaquam cenſendus eſt in-

ops & egenus, ſed dives, imo ditiſſimus, utpote qui talis eſt theſauri patronus & dominus Opulentiſſima igitur cenſenda eſt beata Virgo Maria tanquam ejuſcemodi theſauri potentisſima proprietaria & Domina.

25. Siquidem gaudium & feſtiva lætitia, quam Evangelica illa mulier, ob modicam pecuniolam reinventam omnes ad congratulandum ſibi amicas convocans, inſtituit, magna fuit, quantum futurum fuiſſet gaudium, ſi loco modici illius denarii copioſum valde inveniſſet theſaurum? Facile porro hinc eſt colligere, quanto hodie templum Hieroſolymitanum repletum gaudio fuerit, quando ſe theſauri illius ter maximi Beatisſimæ Virginis videt Dominum. Lætitia qua hodie in glorioſisſimæ Virginis præſentatione templum perſunditur, inexplicabilis eſt. Ipſa namque in templo comparente non ſoli lætati ſunt homines , ſed Angeli quoque feſtiva gaudia celebrarunt, imo quod magis mirandum eſt ipſa quoque jubilarunt inanimata, omniſque lætitiæ incapacia ; *Tunc Lampades*, inquit S. Georgius Archiepiſcopus Nicomedienſis apud Lipom. 21. Novemb *Lumine ingreſſum lætificabant, & omnia quæ in templo continebantur, ad lætitiam excitabantur, ipſis, ut puta, inanimatis cum Angelis lætantibus.*

26. Joachim & Anna divinam filiam ſuam, in alium magis proportionatum locum collocare minimè poterant, quam in ſacro templo. Quis enim neſcit , locum locato ſuo proportionatum eſſe debere ? Frumentum parvæ quantitatis, parvo clauditur promptuario? Quod vero copioſum eſt in magno granatio aſſervatur. Veſtis magna corpori parvo ineptè quadrat , magno vero commodisſime ſervit. Deus ſolem non niſi in cælo collocare voluit, cum alius quivis locus illum capere minimè posſit; quod ſi enim illum in terram voluiſſet reponere, terra illum nequaquam potuiſſet capere, quomodo enim terra capiet quod repetitis vicibus majus eſt illa? *Locus debet eſſe æqualis locato*, inquit Commentator Averroes lib. 4. de cælo c 43. Cum igitur Beata Virgo theſaurus quidam ſit copioſus & amplus , non niſi loco amplo reponenda erat, id eſt, in templo, quod ob ſui amplitudinem templum dicitur. *Templa dicta ſunt, quaſi tecta ampla*, inquit Iſidorus.

27. Quis igitur adeo erit iners & ſocors, & qui B. Virginem pretioſum quendam cæleſtium ac ſpiritualium divitiarum theſaurum eſſe audiens, illam non deſiderabit , non diliget aut quæret & habere deſiderabit? Porro tametſi homo etiam citra omne intereſſe , ex hoc ſolum quod ſe adeo tenere ab illa amari videat, eandem viſcerosisſimè redamare debeat, vel maximè tamen ad illam diligendam moveri debet, divitiarum ab illa & per illam obtinendarum cupiditate. Unde Richardus à S. Laurentio lib. 4 de laud. B. M. exiſtimat, quod quando B Virgo Prov. 8. v. 18. dicit: *Mecum ſunt divitiæ & gloria*, clarius dicere velle videatur: ſi amor meus non movet vos ad quærendum & diligendum me; ſaltem cupiditas moveat vos, quia mecum ſunt divitiæ & gloria. Clementisſima enim Cælorum Regina humanam probe noſcens cupiditatem, illa mediante nobis, ut ad illam in omnibus neceſſitatibus noſtris confugiamus perſuadere molitur, ut divinis nos adimplere bonis posſit, quæ iis qui ſua interceſſione iis ſemel judicati fuerint digni, nunquam deerunt.

* * *

PANE-

# PANEGYRICUS L.

## DE SANCTA CATHARINA

Glorioſiſſima Virgine & invictiſſima Martyre.

## THEMA.

Manum ſuam miſit ad fortia Proverbiorum 31. verſ. 19.

## ARGUMENTUM.

*Adeò admirabilis fuit invictiſſimæ Virginis CATHARINÆ fortitudo, ut non ſolum proprium ſuperaverit ſexum, utpote quæ ex patratis à ſe operibus vir potiùs quàm mulier cenſeri debuit, verum etiam propriam tranſcenderit naturam, utpote quæ nec vir nec mulier cenſenda eſt, ſed quidam è Paradiſo ad nos miſſus Angelus.*

1. MAgna utique Sereniſſimæ Romanorum Reginæ laus erat, quod ad illuſtre ejus enconium Caſſiodorus Theodorici Gothorum Regis præceptor, & ex ſenatore Romano factus Monachus, illam id quod in utroque humano ſexu præcipuum eſt adimpleviſſe ſcribat, utpote quæ Regem quendam ſubditis ſuis genuit, Regnumque ſuum invicta animi ſui fortitudine generosè defendit, ſic enim ſcribit Caſſiod. lib. 11. variarum lectionum lect. 1. *Felix Domina quod habe[t] eximium uterque ſexus implevit; nam & glorioſum Regem nobis edidit, & latiſſimum imperium animi fortitudine vendicavit.* Major autem laus ejus futura fuiſſet, ſi illam ſexum ſuum ſuperaſſe dixiſſet, utpote quæ licet vera mulier exiſtens, nunquam tamen ſe mulierem, ſed virum ſemper eſſe probaſſet. Deniq; longè maximum fuiſſet ejus præconium, ſi ſalva veritate illam utrumque ſexum

ſupe-

ſuperaſſe, eamque nec virum, nec mulierem, ſed quendam cæleſtis Paradiſi Angelum fuiſſe dicere potuiſſet. Atque ideo quanta invictiſſimæ Virginis Catharinæ laus futura eſt, quæ manu ſua ad fortiſſima facinora patranda adhibita, ut ait Sapiens, Prov. 31. v. 19. *Manum ſuam miſit ad fortia*, non ſolum ſe non mulierem, ſed virum probando, proprium ſuperavit ſexum, verum inſuper ipſamet adeo ſuperexceſſit naturam humanam, ut jam nec vir, nec mulier, ſed quidam cæleſtis paradiſi Angelus cenſeri debuerit. Veritatis hujus perſpicuas rationes, ſi placet, hoc Panegyrico ad invictiſſimæ hujus Virginis & Martyris honorem penitius diſpiciamus.

2. Quandoquidem mulieres communiter cupidæ videantur & avaræ: *Mulierum genus avarum*, inquit Cicero Ret. vet. lib. 1. ideo manifeſtius ad dignoſcendum ex actionibus exterioribus ſexum fœmineum, habere non poſſumus veſtigium quam avaritiam. De Regina Saba refertur, quod ad habendam de ſapientia Salomonis experientiam, duos coram illo adduxerit infantes, quorum unus puer, alter puella erat, ambos maſculis veſtibus indutos, adeoque ſibi per omnia ſimiles & æquales, ut impoſſibile videretur aliquod inter illos diſcrimen ſtatuere; ſiquidem uterque tam marem referebat, quam fæmellam, ut dicere potuiſſet illud Ovidii lib. 8. Metamorph.

*Talis erat vultu facies, quàm dicere vere,*
*Virgineam in puero, puerilem in Virgine poſſes.*

A Regina proinde petierit, ut pro exima ſapientia, qua a Deo decoratus erat, inter illos quis puer, aut quis puella eſſet, diſcernere vellet. Salomon igitur utriuſque ſexus inter hos infantes experientiam facturus, caniſtrum fructibus plenum adduci juſſit, pomaque in terram projiciens, utrique poma hæc ipſis data eſſe dixit, colligerent proinde de iis quantum vellent. Ambobus igitur poſt poma currentibus, cum mari vel puero unicum vel duo ad ſummum poma ſufficiſſent, puella non acquievit, donec fructibus illis totum ſinum ſuum adimplevisſet. Ex qua avaritia Salomon puellam dignovit à puero, & digito ſuo veluti demonſtravit. *Maſculus unum ſolum pomum accepit*, inquit Author Panagii paſtoralis de decept. pud. perſ. ſerm 22. *& apportavit, famella vero ſinum implevit; & ex illa avaritia Salomon eam eſſe famellam deprehendit.* Cum igitur una ex parte avaritiam infallibile ad cognoſcendam mulierem ſignum eſſe videam, ex parte vero altera Catharinam Virginem non mundi tantum, ſed & omnium bonorum, quæ in mundo æſtimari poſſunt generoſam contemptricem fuiſſe legam, utpote quæ à pueritia, ampliſſimas ac prorſus regias a patre ſuo ſibi relictas divitias admirabili cum magnanimitate deſeruit: *Cum eſſet adhuc in annis Virgo puellaribus, mundi renuntiavit opibus*, inquit Breviarium Gallicanum; hinc tametſi illam fæminam fuiſſe non ignorem, illam tamen non mulierem, ſed virum cenſendam eſſe judico; Neque enim muliebris ſed virilis animi eſt cor habere ab avaritia expurgatum.

3. Gaudium & voluptas, quod mulieres ab externa hauriunt corporis pulchritudine, tanta eſt, ut ſæpe palam oſtendant, aliud ſibi non eſſe gaudium quam quod pulchræ ſint & formoſæ.

*Eſt autem placuiſſe ſibi quacunque voluptas*
*Virginibus cordi grataque forma ſua eſt.*

inquit Ovidius de med. fac. Unde nonnullæ iſthac carentes pulchritudine, ut ſe nihilominus ſpecioſas foris exhibeant, millies milleenas artes inveſtigant, millenaque componunt unguenta, variisque ſe depingunt & ornant coloribus ut veluti totidem ad murum depictæ videantur imagines, ad eum modum quo a Davide Pſal. 143. v. 12. his verbis deſcribuntur: *Filiæ eorum compoſita & circumornata, ut ſimilitudo templi. Id eſt*, inquit Hugo in Pſal. 143. *curioſa ſunt, & ornata, ſicut imagines depictæ in templis, ut arte juveni ſpeciem.* Ob eandem quoque rationem, tanto cum ſtudio & tempore, tantaque cum diligentia, induſtria & arte lavantur, poliuntur, comuntur, adornantur. Nonnulli etiam dicunt, Salomonem ad dignoſcendum inter præſentatos ſibi à Sabæorum Regina infantes marem aut fæminam, juſſiſſe adduci ſibi catinum argenteum aqua plenum, ex eademque utriuſque lavari manus & faciem, cumque ipſorum unum exacta cum diligentia & per longam moram ſeſe lavantem videret, cum tamen alter vix aquam manu contingeret, mox inde uter maſculus, & uter fæmella eſſet, clarè cognovit. Cura enim quam mulieres de corporis ſui habent pulchritudine, tanta eſt, ut illam veluti ex utero materno vendicarint ſibi, atq; ab ipſamet natura ſibi congenitam habeant. Ut igitur clarè & evidenter dignoſcere poſſimus num S. Catharina Virgo vir fuerit an vero mulier, attendamus neceſſum eſt, num corporis etiam curarit pulchritudinem, ob cujus miram elegantiam adeo erat omnibus famoſa & admirabilis. Cum igitur invictiſſima hæc Chriſti Martyr Tyranno Maximino Romanorum Imperatori pia tentata atque ab eodem pulchritudinem ſuam obſtupeſcente, coram circumſtantibus, ut mentem ſuam muta-

ret , neque ut illa vultus ſui elegantiſſima ſpecies perderetur , per tormenta committeret perſuaſa; hanc , quam Tyrannus admirabatur pulchritudi- nem ſuam deſpiciens & contemnens, eidem gene- roſe, ut refert Metaphraſtes apud Lypom. 25. No- vemb. reſponderit : *Hæc quam tu admiraris pulchri- tudinem, terra eſt & cinis ; quam & tempus eſſi- reſcere facit, & morbo tabe cit, utpote quæ nihil ſtabile, nihil fir- mum habet;* deo Catharinam fæminam fuiſſe judi- care nequaquam potero. Fæmina enim, quæ pul- chritudinem ſuam non ſolum non habet in pretio, ſed aſpernatur & contemnit , cenſeri fæmina ne- quaquam poteſt, utpote quæ fœmineum in ſe nihil prodit.

4. Maria Salome Sanctiſſimorum Apoſtolo- rum Iacobi & Ioannis mater, ut videre eſt Matth. 20. verſ. 21 pro dictis duobus filiis ſuis primos à Chriſto dexteræ & ſiniſtræ in ampliſſimo regno ſuo honores expetiit : *Dic ut ſedeant hi duo filii mei , unus ad dexteram tuam , & unus ad ſiniſtram in regno tuo.* Hæc enim mulier perſuaſum ſibi omni- no habebat , fore , ut Chriſtus poſt reſurrectio- nem ſuam , eodem modo regnaturus eſſet in ter- ris , quo prædeceſſores ſui regnarant Hieroſoly- mis, atque ideo filiis ſuis in tali caſu prima Regiæ ſuæ loca conferri petebat. Quidnam obſecro mu- lierem iſtam , ad hanc petitionem Chriſto propo- nendam permovit? Muliebris ambitio. *A viditate fœminea hoc fecit*, inquit Hugo Cardinalis in hujus loci explicatione. Cum enim ſexu urgente am- bitioſa eſſet, honorumque avida, ideo ut duorum in Regno Chriſti magnatum mater fieret , hanc Chriſto petitionem proponere minimè erubuit. Etenim incredibilis eſt mulierum ambitio. Quis enim neſcit quibus artibus & dolis Semiramides ut integri alicujus Regni ſe Dominam efficeret, Maritum ſuum occiderit ? Annon Agrippina Ne- ronis Mater Auruſpicibus ſe à filio ſuo Nerone; ubi ad Thronum eveheretur , occidendam eſſe, prædicentibus, reſpondit : *Interimat, regnet modo,* ut refert Cælius libro tertio, capite quinto. Am- bitio vitium quoddam eſt , mulieribus à primiti- va ipſarum matre communicatum , in eaſque na- turaliter translatum. Illa namque ut Dea fieret, Deum offendere , ſuamque progeniem in perpe- tuam præcipitare perditionem minimè curavit. Sed quid de Sancta Catharina Virgine dicemus: Illane honorum & dignitatum cupida , & ut mu- lieres eſſe ſolent , ambitioſa fuit, ut judicari fæmi- na poſſit ? Adeo ipſa ab omni ambitione procul remota vixit, quantum cælum diſtat à terra. Ty- rannus equidem illi primum in Regia ſua , velut primæ ab Imperatrice, locum, & quandam in ejus honorem erigendam, atque ab omnibus adoran- dam ſtatuam promittere non deſtitit : His illam, uti Hiſtoria Lombardica refert , verbis aggreſſus: *Virgo generoſa juventuti tuæ conſule , & poſt Reginam in palatio meo ſecunda vocaberis ; & imagine tua in medio civitatis collocata , à cunctis velut Dea adorabe- ris.* Cui tamen ipſa , honores iſtos minime fa- ciens, liberè reſpondit : *Deſine talia dicere, quia ſce- lus eſt etiam cogitare. Ego me Sponſam Chriſto tradidi, ille gloria mea, ille amor meus, &c.* Porro mulierem illam , cujus cor ab omni eſt ambitione expurga- tum, mulierem cenſendam eſſe minimè credo, ſi- quidem mulieres naturaliter ambitioſæ ſunt atque ſuperbæ.

5. Damnum à mulieribus in mundo cauſatum adeo eſt ingens & irreparabile , ut propter illas homines ſine Deo eſſe videantur. Ad quod pro- poſitum obſervandus eſt locus quidam Apocaly- pſeos cap. 17. v. 3. ubi Sanctus Ioannes ſe die qua- dam ab Angelo in deſertum perductum fuiſſe re- fert , ut malam quandam inibi videret mulierem: *Abſtulit me in ſpiritu in deſertum & vidi mulierem ſe- dentem ſuper beſtiam, &c.* Etenim peſſimam ejuſce- modi mulierem in deſerto commoratam fuiſſe impoſſibile videtur. Ejus namque indolis mulie- res ad ineſcandos & decipiendos juvenes alioſque viros in civitatibus magnis ac populoſis commo- rari ſolent, non homines. Qua igitur ratione fit, quod hæc mulier , quæ in ampla quadam videri civitate debebat, in deſerto viſa fuerit? ut ab hac difficultate igitur paucis me verbis expediam, bre- viter dico : Mulierem iſtam non in deſerto, ſed in loco quodam ab hominibus habitato & frequen- tato ſive in civitate aliqua magna & famoſa viſam eſſe : Hanc autem civitatem, eo quod à Deo de- relicta eſſet, à Sancto Apoſtolo *Deſertum* appella- ri. Peccata enim , quæ mala aliqua muliere in- ſtigante in mundo committuntur , tanta ſunt, tamque gravia & enormia , ut Deus mundum vi- deatur deſerere. *Dicitur deſertum à Deo* , inquit Ni- colaus de Lyra , in cap. 17 Apoc. *propter peccata hominum derelictum.* Vnde Cato, ut Cælius lib. 14. cap. 14. ſcribit, dicere non dubitavit : *Si abſque fæ- mina poſſet eſſe mundus, converſatio noſtra non eſſet abſque Diis.* Verum enimvero dum in victiſſimam hanc vi- raginem Catharinam intueor , Deum propter il- lam in mundo eſſe & habitare video. Propter ſan- ctiſſimam hanc virginem Deus cum quinquaginta illis famoſis oratoribus diſputantibus fuit. Hac

ſacra

ſancta virgine mediante Deus cum Imperatrice, cum Porphyrio ſupremo & generali Romani exercitus Duce, & cum quadraginta aliis militibus fuit. Per ſanctam hanc Virginem denique Deus innumeris aliis animabus præſens fuit, quas ipſa mira ſapientia ſua ad Chriſtum convertit. Cum igitur Deus Catharina mediante in mundo fuerit in plurimis animabus commoratus, mulier nequaquam æſtimanda erit, utpote quæ Divina præſentia mundum deſtituit, & deſertum efficit.

6. Quod ſi omnes omnium civitatum atque regnorum mundi hujus ruinas & calamitates penitius conſideraveritis, illas à mulieribus ſuam traxiſſe originem comperietis. Notum ſiquidem eſt, per Helenam diſſipatum eſſe ingens illud Trojanorum Imperium. Samios quoque per Aſpaſiam deſolatos eſſe nemo neſcit; Laviniam quoque conſtat Regni & vitæ Regis Latinorum fuiſſe ruinam. Thaidem quoque perpetuam fuiſſe ſcimus Perſepolis ruinam & interitum. Sic quoque Octavia, belli civilis excitatrix manifeſtum fuit Romæ excidium. Et ſic conſequenter per omnes mundi ruinas diſcurrendo, illas per mulieres cauſatas & excitatas fuiſſe comperietis. Cum igitur mulieres ſint pernicioſiſſimæ, omniſque occaſiones ruinæ & miſeriæ, Catharina utique mulier cenſeri omnino non debet, utpote quæ tot animabus æternam procuravit ſalutem & verum bonum. Ab hac ſanctiſſima Virgine non ſolum nullus umquam damnificatus eſt aut ruinam paſſus, verum inſuper multis & innumeris animabus ipſa ſuccurrit, & per ituras ſalvavit. Unde ne mulier eſſe crederetur, Catharina appellata fuit, quod nomen, ut Theſaurus novus in feſto S. Catharinæ exponit, *carens ruina* interpretatur. Cum enim aliæ mulieres in mundo ſine aliena ruina nunquam fuerint, ipſa veluti nullatenus mulier exiſtens, ſine ruina, imo magna cum proximi ædificatione ſemper vixit. *Carens ruina.*

7. Iobi optimi viri peſſima uxor illum quidem proſperitatis ſuæ tempore nunquam deſeruiſſe legitur, tametſi illum tempore calamitoſo deſeruiſſe bene legatur. Tunc enim adeo ab illo defecit, ut ipſi in fimeto ſedenti, ut eum ab oculis ſuis totaliter ſubmoveret, Deum blaſphemare, ſeque ipſum mox interficere malaſuada mulier, conſulere tentarit utriuſque vitæ exterminium illi deſiderans. Id namque verba ejus inſinuabant, Iob. c. 2. v. 9. *Benedic Deo, & morere.* Solemne namque eſt mulieribus, valdeque proprium, nobis proſperitatis tempore adhærere, in adverſis vero poſitos nos derelinquere: *Mulieres proſperitatis participes facile eſt invenire*, inquit Ariſtoteles lib. 2. Eth. c. 475. *adverſitatis vero participes eſſe renuntiaut.* Nunc igitur Catharinam Virginem attente conſideremus, videamuſque num forte Chriſtum Sponſum ſuum in adverſitatibus & Crucis ac martyriorum ſuorum doloribus & ærumnis unquam deſeruerit, ut conſequenter, num mulier cenſenda ſit, videre poſſimus. Cum igitur ipſam pro amore Chriſti mortuam eſſe conſtet, conſequens eſt, ipſam Chriſtum ſemper ſecutum eſſe uſque ad tormentum, uſque ad crucem, imo ad mortem uſque. Audite obſecro ipſam magna cum generoſitate Tyrannum hunc in modum, ut Hiſtoria Lombardica refert, alloquentem: *Quacunque*, ait *tormenta potes excogitare, ne differas, quia carnem & ſanguinem Chriſto offerre deſidero. ſicut ipſe pro me ſeipſum obtulit.* Neutiquam igitur mulier cenſeri poterit, quæ Sponſum ſuum non ſolum in tot adverſitatibus derelinquere noluit, verum inſuper ad eadem obeunda martyria, eandemque, cui dilectus Sponſus ſuus ſubjacuit, mortem ſuſtinendam animoſe ſe obtulit.

8. Catharina mulier quædam fuit in illo agro enutrita & educata, in qua abſconditus Evangelicus inventus eſt theſaurus, uti Matt. [illegible] v. 44. ſcribitur: *Simile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro, &c.* Id eſt, mulier quædam fuit in S. Eccleſia nata & educata; Eccleſia enim per agrum illum intelligitur: *Ager eſt Eccleſia*, inquit Hugo Card. in c. 13. Matt. Eccleſia eſt ager ille, qui cæleſtem abſcondit theſaurum, id eſt, Chriſtum Redemptorem noſtrum, *in quo ſunt omnes theſauri ſcientiæ & ſapientiæ Dei*, ut ait Apoſtolus ad Col. 2. v. 3. In agro itaque & non in civitate habitaſſe dicitur, ut per hoc innuatur, quod licet fuerit mulier, viris tamen fortior extiterit, cum mulieres in campis ſeu ruri vitam degentes, fortiores ſint viris in civitate commorantibus: *Mulieres quæ in campo ducunt vitam*, inquit Chryſ. Hom. 29. in Ep. ad Hebr. *fortiores ſunt viris, qui in civitate conſtituti.* Cum igitur Catharina viris fortior extiterit, non video qua ratione mulier dici poſſit. Quod ſi *vir* aliquis à *viribus* dicitur, juſtum eſt ut ſanctiſſima hæc Virgo, quæ viros fortitudine longe ſuperavit, viri nomen accipiat, viriſque muliebre nomen relinquat.

9. Quantum exiſtimatis fuiſſe eorum numerum, quos Chriſtus in deſerto per ſtupendam quinque panum & duorum piſcium multiplicationem miraculoſe paviſſe legitur? Fuerunt circiter quinquies mille viri, inquit Evangeliſta Ioannes cap. 6. v. 10. *Diſcubuerunt viri quaſi quinque millia.*

Me quod attinet, exiſtimo hominum illorum, quos Chriſtus pavit, plures fuiſſe quàm decem millia. Cur ita? Quia nimirum Evangeliſta viros duntaxat, non vero mulieres numeravit, quæ tamen utpote viris longè devotiores, in majori numero utique erant. Solemne eſt ſacræ ſcripturæ viros tantum ad pugnandum idoneos numerare. Ratio cur Deus Moyſi præceperit ſolos ut viros numeraret, non verò mulieres, dixeritque Num. 1. v. 2. *Tollite ſummam univerſæ congregationis filiorum Iſrael per cognationes & domos ſuas, quicquid ſexus eſt maſculini*; hæc unica fuit, quia ſcilicet mulieres aptæ non erant ad pugnam. *Supputatio*, inquit Oleaſter in cap. 1. Num. *fiebat ad bellum gerendum, ad quod fœminæ non valebant*. Neque enim mulieres arma tractant, nec vadunt ad campum, neque cum inimicis decertant. Cum igitur mulieres non pugnent, Catharina vero econtra, cum tanta animi fortitudine & generoſitate, quacum nullus quantumvis generoſus miles decertaturus fuiſſet, confligat, & dimicat, idque in tali certamine, ubi Antagoniſtam habet Romanorum Imperatorem, imo ipſummet Dæmonem infernalem, totumque infernum, mulier cenſeri nequaquam poteſt.

10. Quando Moyſes in deſerto Iethro ſoceri ſui oves paſcens rubum vidit ardere quidem non tamen comburi, ut tantum miraculum vicinior factus expreſſius videre poſſet, propius ad viſionis locum accedere ſtatuit: Deus autem id minimè permittens, dixit ei, Exod. 3. v. 5. *Ne appropies huc, ſolve calceamentum de pedibus tuis, locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt* quaſi diceret. Ergone ô Moyſes hunc locum, quia ſanctus eſt, reverenter calcandum eſſe neſcis; confeſtim igitur calceamentum de pedibus tuis ſolvito, & nudis pedibus locum iſtum honorato. Verum enimvero, cur locus ille ſanctus æſtimari, tantaque reverentia affici debebat? ob varias rationes, quarum una eſt, quia Deus S. Catharinæ Virginis & Sponſæ ſuæ corpus eo in loco velut in templo quodam ſepeliendum eſſe prævidebat: *Dicitur terra ſancta, eo quod prævidiſſet Dominus ibi reponendum corpus B. Catharinæ Virginis & Martyris ſuæ*, inquit Guilielmus Pepinus in cap. 3. Exod. clauſ. 1. Locus ille ardentis & non combuſti rubi in monte Sinai erat, in quo Deus poſtea Angelorum ſuorum manibus Catharinæ glorioſiſſimæ ſponſæ ſuæ corpus collocavit. Adeo excellens hujus Virginis ſanctitas fuit, ut locum illum in quo poſt tot & tot annos ſacrum corpus ſuum ſepeliendum erat, ſanctificare poſſet. Cum igitur adeo ſancta fuerit, illam nequaquam mulierem appellandam eſſe judico. Quod ſi enim Seraphicus Pater meus S. Franciſcus Iacobam Sette ſoli Dominam ſuam devotiſſimam, Iacobum nomine maſculino, non vero fæminino nomine Iacobam ob ejus ſanctitatem, appellandam eſſe putavit: *Vocabat eam B. Franciſcus, non Dominam Iacobam, ſed fratrem Iacobum propter probitatem ſuam & ſanctitatem*; uti ſcribit Bartholomæus Piſanus lib. 3. Conformit. fruct. 4. p. 2. Certè neſcio, quomodo Catharina mulier vocari potuerit, utpote quæ à Deo majori ſanctitate decorata & locupletata fuit.

11. Quemnam is, qui Herculem, tunc cum Omphalam Lydiæ Reginam amoribus deperibat, fuſum & colum manu ſua tractantem atque in media domicellarum ſive regii Gynecæi turba filantem conſpexiſſet, de eodem Hercule formaturus fuiſſet conceptum? virumne an mulierem illum judicaſſet? Credo utique illum mulierem potius tunc quàm virum fuiſſe exiſtimatum, utpote qui talibus incumbebat operibus, quæ ad fæminas potius quàm ad viros ſpectabant. Sicut enim dum clavam manu ſua ferre, percutere & domare monſtra, cum Antheo aliiſque gygantibus confligere cernebatur, omnes illum virum eſſe fatebantur, ita fuſum & colum, muliebria nimirum tractans ab omnibus cenſeri mulier debebat. *Nomina debent proprietatibus rerum correſpondere*, inquit Doctor Angelicus Divus Thomas 3. part. 37. Art. 1. Quando igitur Catharina virilibus non vero fæmineis dedita operibus cernitur, quando cum tot famoſis oratoribus diſputando decertat, & cum Romanorum Imperatore tanta cum animi fortitudine, quanta nullus virorum poſſet, confligit, merito non mulier, ſed vir eſſe exiſtimatur. In hujus conceptus mei confirmationem S. Catharina in Eccleſia non cum fuſo & colo in manu depingitur, ſed gladium manu tenens, ut vir pingitur; Unde patet quàm aptè & quanto cum jure Virginis ſibi nomen comparatit: *Virgo*, inquit Richardus à S. Laurentio l. 6. de laud. B. Mariæ, *per ſyncopen quaſi Virago, eo quod ignoret fæmineam paſſionem: nec rectè dicitur Virago, ſi non facit opera ſervilia*. Verè virgo ſive virago Catharina fuit, quæ quid mulier ſit, nunquam cognovit, muliebria opera è quibus fæminea ejus conditio dignoſci poſſet nunquam patravit.

12. De Achille ſcribitur, quod cum pater ejus illum ſi ad bellum Trojanum ſe committeret, occidendum eſſe intellexiſſet, eundem in Licomedis regia, fæminea veſte indutum inter Regis illius filias

illas abſcondere voluerit. Quia vero Græci ex oraculo Trojam ſine Achille debellari non poſſe intellexerunt, Vlyſſem ut ſtudioſè illum inquireret, dimiſerunt; qui cum illum muliebri veſte amictum inter tot domicellas permixtim vivere intellexiſſet, ut illum tot inter fæminas diſcernere & dignoſcere poſſet, hac ſequenti uſus eſt inventione. Magnam namque monilium, gemmarum, aliorumque ad muliebrem mundum ſpectantium ſecum quantitatem accepit, atque in horum omnium medio pulcherrimam quandam repoſuit pharetram, atque cum his omnibus ementito Mercatoris habitu ad locum ubi Achilles morabatur, ſe recepit; futurum certo prævidens, quod dum hæc domicellis, quaſi iiſdem venditurus, oſtenderet, fæminis monilia & gemmas reſpicientibus, Vlyſſes ſuos ad pharetram oculos flexurus eſſet, prout reipſa accidit, quando per hoc ſignum agnitus, atque ad bellum contra Trojanos inſtructum perductus fuit. Similis inventio circa Catharinam virginem adhibita fuiſſe videtur, ut per illam vir non mulier eſſe dignoſceretur. Cum enim Tyrannus ei una ex parte ſi Chriſtum negare vellet, ſtupenda cum prodigalitate, aurum, gemmas, purpuras, coronas, aliaque id genus ad mundum muliebrem ſpectantia ornamenta obtuliſſet, ex altera vero ſi in primo propoſito perſeveraret gladios comminaretur & rotas, ipſa non aurum, non gemmas, non coronas, aut alia ei oblata munera reſpexit, ſed gladium perlubenter ſuſcepit, quo mediante ſanguinem ſuum fudit, & pro dilecti Chriſti ſui amore, una cum capite vitam prodegit. In cujus rei ſignum, uti jam intellexiſtis, gladium manu ſua tenens depingitur. Nequaquam igitur illam mulierem dicendum eſſe judico, quæ tam generoſa fuit rerum muliebrium aſpernatrix.

13. Sanctiſſimus Mediolanenſium Archiepiſcopus verba illa, quibus Deus, Gen. 7. v. 4. tempus, quo duraturum erat diluvium, expreſſit, ſcilicet: *Ego pluam ſuper terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus, & delebo omnem ſubſtantiam, quam feci* ponderans dicit: Cum dies viginti quatuor horis conſtet quibus tam dies quam nox conſtituuntur, & conſequenter Deus loco ejus quod diluvium continuandum dixit quadraginta diebus & quadraginta noctibus, melius & ſuccinctius dicere potuerit, duraturum quadraginta diebus, nomine diei etiam noctem ipſam intelligendo, cur igitur ſimul cum die noctem quoque explicare voluit. Sicut enim dum dico Romæ quadraginta diebus fui, quadraginta quoque noctibus ibi fuiſſe intelligor: ita quoque Deo prædicente diluvium continuandum quadraginta diebus, intelligendum id fuiſſet de quadraginta diebus pariter & quadraginta noctibus. Tandem vero reſpondet: Deum ita locutum fuiſſe non ſolum ad ſignificandum durationem temporis diluvii, verum etiam ad innuendum, eo tempore tàm viros occiſos eſſe quam fæminas, per dies viros intelligendo, fæminas vero per noctes. Cum enim vir propter opera publica quibus ſub claro & publico ſole intentus eſt ſub diei ſymbolo intelligitur: ita mulier quod utpote domeſticis negotiis intenta in domo ſemper commoretur ſecreta, ſequeſtrata & obſcura, intelligitur per noctem. En ipſiſſima Doctoris verba lib. de Noe & Arca c. 13. *Aliqui, inquit, ita accipiunt, qui ante nos fuerunt, ut & virorum & mulierum factus interitus demonſtretur. Actus ille clarior publico; iſta obſcurior, tanquam domeſticis clauſa parietibus, & nocti proxima.* Porro quid per hoc inferre prætendam, jam vos intellexiſſe exiſtimo. Ex quo enim magnanima Catharina Chriſtum dilectum ſuum tot Idololatriis & injuriis offendi videns, non ſicut aliæ mulieres domi ſubſiſtere, ſed ad diſputandum & pro Dei obſequio confligendum & pugnandum domo ſua egredi cernitur, indeque ſole redditur clarior & illuſtrior, nequaquam nox ſed dies, non mulier, ſed vir tam fragilitatem, quam obſcuritatem ſexus ſui mire ſuperans judicare debebit.

14. Viro in antiquo teſtamento permiſſum erat repudiare uxorem, econtra vero uxori maritum ſuum repudiare graviter prohibitum erat. Chriſtus etenim viris quidem Matth. cap. 19. v. 7. dixit: *Moyſes permiſit vobis dimittere uxores veſtras*, non tamen mulieribus dixit: *Moyſes permiſit vobis dimittere viros veſtros.* Abulenſis autem quæſt. 52. in c. 19. Matth. aptiſſimè quærit, unde veniat, quod cum maritus uxorem ſuam repudiare poſſit, uxor tamen repudiare maritum nequeat? Quamobrem mulier privilegii viri ſui particeps fieri nequit? Et mox reſpondet. Quia mulieres ſunt multum mutabiles, & cum ſint ſubditæ viris & corrigantur ab eis, pro facili cauſa & ſæpiſſime iraſcuntur, quotidie darent libellum repudii, & ita eſſet confuſio quædam intolerabilis. Tanta eſt mulierum inſtabilitas, ut mirum ſit; unde ſi uxores cum maritis ſuis eodem gauderent privilegio, quotidie ſuum eſſent mutaturæ maritum, quotidie facturæ eſſent conjugii ſui divortium, proque omni minima occaſione daturæ eſſent maritis ſuis libellum repudii,

dii, foretque, ſi id permitteretur, res in Republica prorſus intolerabilis. Vnde ne tantum ſequeretur inconveniens, Moyſes mulierem gratia marito conceſſa frui prorſus noluit. Quia igitur Catharinam, poſtquam accepto à Chriſto dilecto ſuo connubiali annulo, in ſponſam Dei electa fuit, tanta cum fortitudine & ſtabilitate Divino ſponſo adhæſiſſe video, ut tametſi ad illum deferendum per maximas mundi & inferni violentias continuò ſollicitata, truculentiſſimis tormentis exagitata, denique per ampliſſima quæ in mundo poſſideri poſſunt regalia invitata & delinita fuerit, ipſa nihilominus veluti firmiſſima rupes, omnique monte ſtabilior & immobilior, fidem Chriſto dilecto ſuo ſemel promiſſam illibatam ſemper conſervaverit, hinc non video qua ratione mulier fuiſſe dici poſſit, utpote quæ ab omni muliebri inſtabilitate procul adeo abfuit.

15. Quidnam obſecro quinquaginta illi oratores ab omnibus Græciæ partibus juſſu Imperatoris adverſus ſanctam Catharinam Virginem advocati & congregati, facere prætendebant? Nimirum illam à cælo ſanctæ fidei ſuæ, innocentiæ ſuæ, virginitatis ſuæ dimovere & præcipitare moliebantur. Quando igitur quinquaginta oratores adverſus mulierem quandam, imo adverſus puellam aliquam debilem & inexpertam exſurgere video, non dubito, quin fortunatus futurus ſit pugnæ adverſus hanc virginem inſtitutæ eventus. Nam ſi uti communiter dicitur: *Ne Hercules contra duos*; quid adverſus quinquaginta viros adeo ſapientes & eloquentes ſimplex quædam facere poterat infantula? Tantum hæc adoleſcentula in ſe robur exhibuit, tantumque præſtitit, ut non ſolum ab illis, uti Imperator quidam animo ſuo conceperat, à ſuo cælo in terram deturbari, aut ſicut Dæmon deſiderabat præcipitari in infernum non potuerit: verum potius econtra ipſa omnes illos de terra & ex inferno in cælum ſubvexit, ubi modo cum ipſa ſunt, & in æternum manebunt. Videor mihi hac in re Homeri videre catenam per quam turba illa Deorum quæ Iovem trahere moliebatur de cælo in terram, ſubjecta & attracta eſt de terra in cælum. Vnde dicitur *Catharina*, quaſi *catenula*, prout interpretatur Author Hiſtoriæ Lombardicæ. Non igitur cenſeri Catharina mulier poterit, cum tàm fortis atque robuſta fuerit, totque virorum fortium generoſiſſima victrix.

16. Baronius Tom. 3. Annalium ſcribit, nomen hujus ſanctiſſimæ virginis, dum adhuc gentilis eſſet, fuiſſe Catharina, vel Hecatharina, quæ poſtea S. Baptiſmate ſuſcepto Dorothea appellata fuit, prout illam nominat Ruffinus. Verum quænam eſt ratio quod nomen Dorotheæ, quod utpote in regeneratione ſua ei impoſitum, adeo præſtans & excellens, quodque *adorans Deum* interpretatur retinere merito debebat, non retinuerit, ſed eo relicto primitivum Catharinæ nomen reſumpſerit, quo dum adhuc gentilis erat, nominari ſolebat? Rationem hujus communiter aſſignant, quia ſub priori nomine notior erat atq; famoſior, quam ſub ſequenti, ideoque etiam poſt baptiſma ſuſceptum, illud ſibi retinuit, ſemperque dicta Catharina fuit. Verum enimvero, quia hoc ſine particulari utique myſterio factum eſſe non potuit, videtur mihi voluiſſe ut nomen hoc Hecatharina ſibi reſervaret, ut vel ſic innueretur quod licet mulier eſſet, non tamen ſit mulieribus annumeranda, utpote quæ tanta prædita erat fortitudine, ut veluti Briareus quidam centum manus habens, cum tot hominum turba generoſe confligere, & glorioſam ab illis reportare victoriam potuerit. Quia enim Ly *Catharina* ab *Hecate*, quod *centum* interpretatur, derivari dicunt, videre eſt apud Zachariam Lippeloo Tom. 4. 25. Novemb. quod nomen juxta Boccacium lib. 4. de Genealogia Deorum cap. 16. multiplicitatem potentiæ denotat. Ideo per hoc Catharinam centimanum, potentiſſimam, robuſtiſſimam, fortisſimamque fuiſſe inſinuatur, eamque ob tantam ejus fortitudinem nequaquam æſtimandam aut appellandam eſſe mulierem.

17. Inter alias viſiones myſticas quæ S. Ioanni Apoſtolo in Pathmos Inſulam relegato exhibitæ, ab eoque in Apocalypſi deſcriptæ fuerunt, haud minimum fuit illud Angeli cujuſdam ſpectaculum, qui veſte quadam nubea amictus, Iride coronatus, ſolem facie referens de cælo deſcendit, dextrumque pedem ſuper mare, ſiniſtrum vero ſuper terram collocavit, Apoc. 10. v. 2. *Poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare, ſiniſtrum autem ſuper terram.* Scitiſne cauſam cur Angelus pedem ſuum dextrum mari, ſiniſtrum vero terræ impoſuit, & non econtra? Pro illius intelligentia inprimis ſciendum eſt, hunc angelum ſignificaſſe Chriſtum qui à Malachia c. 3. v. 1. *Angelus Teſtamenti dicitur*, qui duos pedes habet, id eſt, duo ſanctarum perſonarum genera, per quas hoc in mundo obambulat, dextrum videlicet & ſiniſtrum. Dexter, qui fortis eſſe ſolet, ſanctos fortes & ſpiritu robuſtos

ſignificat: ſiniſter vero qui ſolet eſſe debilis, debiles quoque & infirmos ſignificat. Quia igitur benignissimus Dominus noſter non vult nos ſupra vires noſtras laboribus gravari: *Fidelis Deus eſt*, inquit Apoſtolus 1. Cor. 10. v. 13. *qui non patiatur vos tentari ſupra id quod poteſtis*, ideo licet fortiores & robuſtiores, per dextrum pedem ſignificatos in mare locum ſcilicet periculoſiorem pluribuſque moleſtiis obnoxium reponat: Debiliores tamen atque infirmos, qui per ſiniſtrum pedem intelliguntur, in terram nimirum minoris periculi & laboris locum collocat. *Ad hoc pertinet*, inquit Gulielmus Durandus lib. 1. Rational. Divin. c. 1. n. 46. *quod Ioannes vidit Angelum fortem, qui poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare nam & fortia membra majoribus periculis opponuntur.* Ob eandem quoque rationem antiquitus quando fideles in templo congregabantur, mulieres ſegregabantur à viris, illis nimirum ad partem borealem, his vero in auſtrali parte collocatis. Audite hac de re Amalarium Fortunatum lib. 3. de Eccl. officiis cap. 1. *Maſculi ſtant in auſtrali parte, fœminæ in boreali; ut oſtendatur per fortiorem ſexum firmiores ſanctos ſemper conſtitui in majoribus tentationibus æſtus hujus mundi. Et per fragiliorem ſexum, infirmiores aptari loco minus periculoſo, ſicut dicit Apoſtolus: Fidelis Deus qui non patitur tentari ſupra id, quod poteſtis.* Ex loco igitur quem S. Catharina in Eccleſia Dei habet, manifeſtè cognoſci poterit, an fæmina vel mas, fragilis aut vero fortis fuerit. Porro quantum video, non in terra aut parte boreali quaſi infirma & ſexus fragilis, ad inſtar aliarum mulierum, ſed in mari, & parte auſtrali periculoſioribus, nimirum moleſtioribus, difficilioribuſque in locis, id eſt, id diſputationis de materia fidei controverſa, quæ utpote res admodum ſpinoſa & difficilis prohibitæ ſunt mulieribus; in arenam cum Imperatore, minis, donorum blandimentis duriſſimis flagellis, rotiſque horrendiſſimis armato pugnatura, denique ſub cultrum ſive enſem, quo caput ejus glorioſè eſt detruncatum collocata fuit. Tametſi igitur ſexu mulier ſit, illam tamen nemo mulierem æſtimet, quam Deus adeo fortem reputat, ut fortium illi locum aſſignet.

18. Credo equidem nullam illis temporibus inveniri mulierem potuiſſe adeo perfectam & conſummatam quoad omnia, id eſt, tam quoad utriuſque hominis pulchritudinem, quam quoad ſapientiam, animique in tot martyriorum generoſa patientia, fortitudinem centenaſque alias virtutes quibus Catharina publicè celebrabatur. Ac proinde quidnam creatura aliqua adeo completa & perfecta in terra facere debebat, cui in cælo potior & convenientior quàm in terra locus erat. Quiſquis divinum hoc miraculum vel ſemel videre meruit, dicere potuit quod Apelles quandam à Prothogene depictam imaginem videns, dixit: ut habetur Apopht. lib. 6. *Ingens labor & mirandum opus deſunt tamen gratiæ, quæ hoc in cælum reponant.* Quantumvis Catharinæ ejuſcemodi gratiæ non defuerint, ſiquidem poſt mortem ejus de cælo deſcendentes in terram angeli corpus ejus in Sinai montem ſublimarunt, ejus vero animam ad dilectum ſponſum ſuum in paradiſum ſecum tranſvexerunt. Cum igitur ſanctiſſima hæc virgo adeo fuerit cum in donis naturalibus, cum in favoribus ſpiritualibus perfecta & abſoluta; neſcio qua ratione mulier vocari poſſit, cum mulier creata ſit imperfecta, dicaturque à Commentatore Averrone lib. 1 Phyſ. tex. 81. *Homo imperfectus.*

19. Imo vero excellentius quid de hac virgine dicam. Cum enim Catharina adeo fuerit perfecta omnibuſque numeris abſoluta, conſequenter nec vir nec mulier cenſeri debuit; nullum enim totius humanæ naturæ individuum, tot unquam à Deo perfectionibus cumulatum:

*Non ſimul omnia Dei dederunt hominibus,*

inquit Homerus Iliade 4. Dicendum igitur erit, ipſam fuiſſe mulierem Angelizatam, nec aliud quàm verum quendam Paradiſi Angelum. Quia enim Angelus erat, ideo ab Angelis medicinam accepit, ideo poſt mortem corpus ejus in montem Sinai ſubvectum fuit. *Volatilia ad ſibi ſimilia conveniunt*, inquit Eccleſiaſticus cap. 27. verſ. 10. *Quidni viſitet Angelus vitæ ſociam*, inquit Bernardus ſerm. de Nativit. B. V. M. *Angelica plane vita virginitas eſt.*

20. Tantum abeſt ut Catharina humana aliqua creatura judicaretur, ut non ſolum Angelus quidam eſſe viſa fuerit, verum etiam Dea quædam humano corpore veſtita fuerit exiſtimata. Etenim quod adhuc gentilis exiſtens, hoc nomine Hecatharina inſignita fuerit, quod nomen, uti diximus, ab Hecathe Deæ cujuſdam nomine derivatur, nequaquam vacat myſterio & ratione. Illo namque tempore nulla unquam viſa eſt mulier ei ſimilis, adeo pulchra, adeo ſapiens, adeo prudens, totque aliis virtutibus tam intus quam foris conſpicua, atque ideo cum mulier

cenſera

censeri nequaquam poſſet, ſed Dea quædam humano corpore veſtita, nomen Deæ convenientiſſimè eſt ſortita. Talem ipſam eſſe Tyrannus cenſuit, poſtquam eam conſpexit, & loquentem audivit? *Cum autem Imperator*, ita refert Simeon Metaphraſtes apud Lypom. 25 Nov. *admiratus eſſet, quæ dicta fuerant, & intentius defixiſſet oculos, exiſtimavit eam non eſſe unam ex iis, quæ nata ſunt è terra, ſed ſe Deorum aliquam videre viſionem, loquentem in habitu humano.* Quibus in verbis obſervandum quod Imperator illam videns ipſam non Deam ſed Deum aliquem exiſtimaverit. Neque enim Metaphraſtes dicit *Dearum* ſed *Deorum* viſionem quaſi ſi, uti apparebat, verum habuiſſet eſſe Divinum, futura fuiſſet non Dea fœmina, ſed Deus maſculus. In quotquot modis S. Catharina apparuit, ſemper apparuit fortis, nunquam fragilis, nunquam infirma, nunquam debilis *Manum ſuam miſit ad fortia.*

Concludamus hunc Panegyricum, invictiſſimam fortiſſimamque Chriſti Martyrem rogantes, ut apud glorioſiſſimum ſponſum ſuum pro nobis intercedere dignetur, ut ad cælum nobis comparandum vires nobis & animi robur concedat, ut adverſus adverſarios noſtros fortior dimicando victoriam reportare, & ſublimius loci illius, ubi illabeatur participes fieri, ipſique ibidem gratias pro gratiis ab authore gratiarum nobis obtentis humillimè referre poſſimus.

(✠✠✠)

✠

## Sit nomen Domini benedictum.

INDEX

# INDEX PANEGYRICORUM ET THEMATUM SECUNDÆ PARTIS.


PANEGYRICUS I.

De S. Petro glorioſiſſimo Apoſtolorum Principe.

THEMA

Beatus es Simon Barjona. Matth.16.v.1.

PANEGYRICUS II.

De Sancto Paulo admirabili Chriſti Apoſtolo.

THEMA

Nimis honorificati ſunt amici tui Deus. Pſalm.38.v.17.

PANEGYRICUS III.

De glorioſiſſima Virgine & Dei Genitrice Maria habitus in ejus viſitatione.

THEMA

Exurgens Maria abiit in montana cum feſtinatione in Civitatem Juda. Luc.1.v.39.

PANEGYRICUS IV.

De Sancto Bonaventura Doctore Seraphico.

THEMA

Gratia Dei ſum id, quod ſum.

PANEGYRICUS V.

De glorioſiſſimo pœnitentiæ ſpeculo S. Maria Magdalena.

THEMA

Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Lucæ 7.v.47.

PANEGYRICUS VI.

De S. Jacobo majore glorioſiſſimo Chriſti Apoſtolo.

THEMA

Fuit magnus ſecundum nomen ſuum. Eccleſiaſtici 46.v.1.

*PANEGYRICVS VII.*

De S. Anna glorioſiſſima Matre Dei Genitricis, ſemperque Virginis Mariæ.

THEMA

Mulier gratioſa invenit gloriam. Eccleſiaſt.11.v.16.

*PANEGYRICVS VIII.*

De S. Dominico glorioſiſſimo ſacri Prædicatorum Ordinis Patriarcha.

THEMA

Collocavit ante Paradisum voluptatis Cherubim. Gen 3 v.24.

*PANEGYRICVS IX.*

De S. Laurentio invictiſſimo Chriſti Martyre.

THEMA

Beatus vir qui ſuffert tentationem. Jacobi 1. v.12.

*PANEGYRICVS X.*

De glorioſa Aſſumptione beatiſſima ſemperque Virginis Dei genitricis Mariæ.

THEMA

Tu gloria Jeruſalem, tu lætitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri. Judith, 15.v.10.

*PANEGYRICVS XI.*

De S. Bernardo mellifluo & ſuaviſſimo Eccleſiæ Doctore.

THEMA

Volavit ad me unus de Seraphim. Iſaiæ 6. v. 6.

*PANEGYRICVS XII.*

De S. Bartholomæo admirabili Chriſti Apoſtolo.

THEMA

Exſurrexit quaſi ignis, & verbum illius quaſi facula ardebat. Eccleſiaſtici 48. v.1.

*PANEGYRICVS XIII.*

De S. Auguſtino glorioſiſſimo Eccleſiæ Doctore.

THEMA

Quaſi ſol refulgens, ſic ille effulſit in templo Dei. Eccleſiaſt. 50. v. 24.

*PANEGYRICVS XIV.*

De feſto glorioſiſſimæ Nativitatis beatiſſimæ ſemper Dei Genitricis Mariæ.

THEMA

Liber Generationis Jesu Chriſti. Matth. 1. v. 1.

*PANEGYRICVS XV.*

De exaltatione S. Crucis.

THE-

THEMA

Mihi autem abſit gloriari niſi in Cruce Domini noſtri Jesu Christi ad Galath. 6 v. 14.

*PANEGYRICVS XVI.*

De S. Matthæo glorioſiſſimo Chriſti Apoſtolo & Evangeliſta.

THEMA

Cum tranſiret inde Jeſus, vidit hominem ſedentem in telonio Matthæum nomine, & ait illi: ſequere me. Matth. 9. v. 9.

*PANEGYRICVS XVII.*

De Sancto Michaële glorioſiſſimo Archangelo.

THEMA

Quis putas maior eſt in regno cælorum. Matth. 18. v. 1.

*PANEGYRICVS XVIII.*

De Angelo noſtro Cuſtode.

THEMA

Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem patris mei qui in cælis eſt. Matth. 18. v. 10.

*PANEGYRICVS XIX.*

De admirabili ſancto Eccleſiæ Doctore S. Hieronymo.

THEMA

Vas admirabile opus excelſi. Eccleſiaſtici 3. v. 3.

*PANEGYRICVS XX.*

De S. Franciſco Patriarcha Seraphico Ordinis Minorum.

THEMA

Species quarti ſimilis Filio Dei. Dan. 3. v. 91.

*PANEGYRICVS XXI.*

De S. Luca glorioſiſſimo Evangeliſta.

THEMA

Dedi te in lucem gentium. Iſaiæ 49. verſ. 6.

*PANEGYRICVS XXII.*

De glorioſiſſimis Chriſti Apoſtolis Simone & Juda.

THEMA

Juſtus ut palma florebit, ſicut Cedrus Libani multiplicabitur; plantati in Domino, in atriis domus Dei noſtri florebunt. Pſalm. 91. v. 13.

*PANEGYRICVS XXIII.*

Pro ſolemnitate Omnium Sanctorum.

THEMA

Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cæiis.
Matth. 5. v. 12.

PANEGYRICUS XXIV.

Pro Feſto Præſentationis glorioſiſſimæ Dei Genitricis ſemperque Virginis Mariæ.

THEMA

Infinitus enim theſaurus eſt hominibus.
Sap 7. v. 14.

PANEGYRICUS XXV.

De Sancta Catharina glorioſiſſima Virgine & invictiſſima Martyre.

THEMA

Manum ſuam miſit ad fortia. Proverb. 31. v. 19.

# INDEX
## LOCORVM SACRAE SCRIPTVRÆ

Quæ in hujus operis Secunda parte citantur & expenduntur.

*Primus numerus Panegyrim, ſecundus conceptum vel numerum indicat.*

## Ex Veteri Teſtamento.

### GENESIS.

Caput 1.

V. 1. *IN principio creavit Deus cælum, & terram, Paneg* 28. *num* 8 & *Paneg.* 37, *n.* 3

*v.* 3 *Fiat Lux, Paneg.* 38, *n.* 10

*v.* 6. *Fiat Firmamentum, Paneg.* 28, *n.* 17

*v.* 26 *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram Paneg* 45 *n* 16

*v.* 28. *Dominamini piſcibus maris, &c. Paneg.* 40. *num.* 5

Caput 2.

*v* 8. *Plantaverat autem Dominus Paradiſum voluptatis à principio, Paneg* 27, *n.* 12

*v.* 15 *Tulit Dominus Deus hominem, & poſuit illum in Paradiſum voluptatis, Paneg* 27, *n.* 4

*v.* 21 *Tulit unam de coſtis ejus, & replevit carnem pro eo, Paneg.* 32, *n* 34

Caput 3.

*v* 24 *Emiſit eum Dominus Deus de Paradiſo, & collocavit ante Paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem, Paneg.* 26, *num.* 15. & *Paneg* 34. *num.* 9

Caput 6.

*v.* 4 *Gygantes erant ſuper terram in diebus illis, Paneg* 48, *n.* 14

Caput 7.

*v.* 4. *Ego pluam ſuper terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus, Paneg.* 50, *n.* 13

Caput 13.

*v.* 10. *Sicut Paradiſus Dei, Paneg.* 44, *n.* 23

Caput 14.

*v.* 27 *Loquar ad Dominum, cum ſim pulvis & cinis, Paneg.* 29, *n.* 9

Caput 32.

*v.26. Dimitte me, jam enim aſcendit aurora*, Paneg 40, n 31 & Paneg. 43, n. 20

Caput 40.

*v 5. Scyphus quem furati eſtis, ipſe eſt, in quo bibit Dominus meus, peſſimam rem feciſtis*, Paneg. 44, n. 18

EXODI.

Caput 3.

*v.5. Ne appropies huc: ſolve calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt*, Paneg. 50, n. 10

Caput 15.

*v.25. Oſtendit ei lignum, quod cum miſiſſet in aquam in dulcedinem verſa ſunt*, Paneg. 40, n. 29

*v. 51 Quis ſimilis tui in fortibus Domine*, &c. Paneg. 45, n. 25

Caput 23.

*v.20. Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te & cuſtodiat in via, & introducat in locum quem paravi tibi, & eſt nomen meum in illo*, Paneg 42, num. 17

*v 28 Occidam omnem populum ad quem ingredieris, emittens crabrones qui fugabunt Hevæum*, &c. Paneg. 47, num. 20

Caput 25.

*v.18. Duos Cherubim aureos & productiles facies ex utraque parte oraculi*, Paneg. 33, n. 16

*v 19. Cherubim unus ſit in latere uno, & alter in altero, reſpiciantque ſe verſis vultibus in propitiatorium* Paneg. 40, n. 20

*v.20 Expandentes alas*, Paneg. 33, n. 23

Caput 34.

*v 35. Operiebat ille faciem, ſi quando loquebatur ad eos*, Paneg. 42, n. 7

LEVITICI.

Caput 23.

*v. 40. Sumetis vobis primo die fructus arboris pulcherrimæ*, Paneg 47, n. 3

Caput 16.

*v. 1. Nullus hominum ſit in tabernaculo, quando Pontifex ſanctuarium ingreditur*, Paneg. 48, num. 5

NUMERORUM.

Caput 1.

*v. 2. Tollite ſummam univerſæ Congregationis filiorum Iſrael per cognationes & domos ſuas, quicquid ſexus eſt maſculini*, Paneg. 50, num. 9

DEUTERONOMII.

Caput 4.

*v. 28. Dominus Deus tuus ignis conſumens eſt*, Paneg. 27, n. 16

Caput 8.

*v. 15. Eduxit rivos de petra duriſſima*, Paneg. 38, num. 6

Caput 32.

*v. 33. Fel draconum vinum eorum*, Paneg. 46, num. 14

JUDI-

## JUDICUM.

Caput 6.

v 22 *Heu mihi Domine Deus, quia vidi Angelum Dei facie ad faciem*, Paneg.43,n 13

Caput 16.

v.17. *Ferrum non aſcendit ſuper caput meum quia Nazaraus ſum*, Paneg.47,n.18

## LIB. I. REGUM.

Caput 2.

v.5 *Sterilis peperit multos*, Paneg.32,n 18

Caput 17.

v 49. *Tulit unum lapidem & funda jecit, & circumducens percuſſit Philiſthaum in fronte*, Paneg.40, num 17

## LIB. II. REGUM.

Caput 1.

v 26 *Doleo ſuper te frater mi Ionatha*, Paneg.49, num. 1

Caput 16.

v 13 *Surge & unge eum*, Paneg 29, num. 24

Caput 29.

v.9. *Bonus es tu in oculis meis, ſicut Angelus Dei*, Paneg 29, num. 24

## LIB. III. REGUM.

Caput 2.

v 9. *Poſitus eſt thronus matris Regis, qua ſedit ad dexteram ejus*, Paneg.28,n. 23

Caput 6.

v.31. *In ingreſſu oraculi fecit oſtiola de lignis olivarum*, Paneg.32, n. 25

## LIB. IV. REGUM.

Caput 6.

v.17 *Aperuit Dominus oculos pueri, & vidit: & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum*, Paneg.43,n. 11

Caput 19.

v.35. *Factum eſt igitur nocte illa, venit Angelus Domini, & percuſſit in cunctis Aſſyriorum caſtris octoginta quinque millia*, Paneg.42,n.16

## JUDITH.

Caput 15.

v 10. *Tu gloria Ieruſalem, tu latitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri*, Paneg 35, n. 1

## JOB.

Caput 1.

v 3. *Erat vir ille magnus inter omnes Orientales*, Paneg 28, n. 20

Caput 2.

v.4. *Pellem pro pelle, & cuncta qua habet dabit homo pro anima ſua*, Paneg.37, n. 22

v.9. *Benedic Deo & morere*, Paneg. 50, n.7

Caput 8.

v.8 *Oculi tui in me, & non ſubſiſtam*, Paneg. 41, num. 12

Caput 10.

v.4 *Nunquid oculi carnei tibi ſunt*, Paneg 35, n. 25

Caput 24.

*v.23 Deus intelligit viam ejus.* Paneg.28, num.20

Caput 25.

*v.1. Stellæ non ſunt mundæ in conſpectu ejus,* Paneg. 33, num. 3

Caput 38.

*v.7 Cum me laudarent aſtra matutina,* Paneg.31, n.14. & Paneg.32, n.29. & Paneg.33, n 3

Caput 39.

*v.27. Elevabitur quaſi aquila, & in arduis ponet nidum ſuum,* Paneg. 37, n.3

PSALMORUM.

Pſal. 2.

*v.4. Qui habitat in cælis deridebit eos,* Paneg. 34, num. 10

Pſal. 4

*v 4 Scitote quoniam mirificavit Dominus ſanctum ſuum : Dominus exaudiet me cum clamavero ad eum,* Paneg.44, n 16

*v 7. Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine,* Paneg 39, n 11

Pſal. 8.

*v 2 Elevata eſt magnificentia tua ſuper cælos,* Paneg 49, n. 3

*v.5. Quid eſt homo quod memor es ejus, aut filius hominis, &c* Paneg 43, n.1

*v 6. Minuiſti eum paulo minus ab Angelis,* Paneg. 43, n 8

Pſal. 15.

*v.11. Adimplebis me lætitia cum vultu tuo,* Paneg. 34, n. 25

Pſal. 16.

*v.5. Igne me examinaſti,* Paneg 37, n 7

Pſal. 17.

*v 10. Inclinavit cælos & deſcendit,* Paneg.45, n.29

*v 11 Aſcendit ſuper Cherubin & volavit, volavit ſuper pennas ventorum,* Paneg 45, n. 29

Pſal. 18.

*v.1. Cæli enarrant gloriam Dei,* Paneg 27, n.10

*v 6. In ſole poſuit tabernaculum ſuum,* Paneg. 38, num 13

*v 7 Exultavit ut gygas ad currendam viam,* Paneg.28, n.14, & Paneg.38, n.12

Pſal. 19.

*v 8 Oculi ejus in pauperem reſpiciunt,* Paneg. 41, num. 6

Pſal. 20.

*v.4. Poſuiſti in capite ejus coronam de lapide pretioſo,* Paneg 48, n 11

Pſal. 21.

*v.7 Ego autem ſum vermis & non homo,* Paneg. 29, n. 17

Pſal. 22.

*v 5. Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt,* Paneg.40, n. 26

Pſal. 28.

*v 9. Dilectus quemadmodum filius unicornium,* Paneg 30, n.5

Pſal. 39.

*v.12. Convertiſti planctum meum in gaudium mihi* con-

*conſcidiſti ſaccum meum, & circumd. diſti me lætitia,* Paneg 48, n. 19

## Pſal. 33.

*v.8. Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum,* Paneg. 43, n. 11

*v.16. Oculi Domini ſuper juſtos,* Paneg. 49, n. 2

## Pſal. 39.

*v.9. In capite libri ſcriptum eſt de me.* Paneg. 39, num. 4

*v.18. Ego autem mendicus ſum & pauper,* Paneg. 41, num. 5

## Pſal. 41.

*v.4 Fuerunt mihi lacrimæ meæ panes die ac nocte,* Paneg. 30, n. 21

*v.24. Excuſſus ſum ſicut locuſta,* Paneg 43, nu. 14

## Pſal. 43.

*v 24. Quare faciem tuam avertis,* Paneg. 34, num. 25

## Pſal. 44.

*v.2. Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis,* Paneg. 38, n 15

*v.3. Speciosus forma præ filiis hominum* Paneg. 42, num. 12

*v 10 Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato,* Paneg 28, num 23, & Paneg. 35, num 13

*v. 13. Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis,* Panegyr. Ibidem num. 28. & Panegyr. 49, num. 14

*v.14 Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus,* Paneg. 29, n. 22, & Paneg. 49, n 9

*v.17. Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii,* Paneg. 41, num. 12

*Ibid. Conſtitues eos principes ſuper omnem terram,* Paneg. 27, n. 8

## Pſal. 46.

*v 10. Principes Populorum congregati ſunt cum Deo Abraham,* Paneg. 43, n. 15

## Pſal. 47.

*v 1. Magnus Dominus,* Paneg 31, n 3

## Pſal. 48.

*v 13. Homo cum in honore eſſet non intellexit; comparatus eſt iumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis.* Panegyr 33, num. 14. & Panegyr. 40, num. 30

## Pſal. 54.

*v 13. Quoniam ſi inimicus meus maledixiſſet mihi ſuſtinuiſſem utique, &c.* Paneg. 31, n. 9

## Pſal. 62.

*v 13 Similis factus eſt illis,* Paneg. 33, n 13, & Paneg. 40, n. 30

## Pſal. 65.

*v.12. Tranſivimus per ignem & Aquam,* Paneg. 34, num. 9

## Pſal. 67.

*v.16. Mons Dei Mons pinguis,* Paneg. 44. num. 23

## Pſal. 68.

*v.12. Factus ſum illis in Parabolam,* Paneg. 36, nu. 22

*v.16. Exiſtimabam ut cognoſcerem hoc, labor eſt ante me, donec intrem, &c.* Paneg. 29, n. 10

Pſal. 77.

*v.25. Panem Angelorum manducavit homo, Paneg 42, n.18, & Paneg. 44, n 21*

Pſal. 81.

*v.1 Deus ſtetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat, Paneg. 26, n.28*

Pſal. 48.

*v 10. Inhabitet gloria in terra noſtra, Paneg 32. n 3*
*v.13. Terra noſtra dabit fructum ſuum, Ibid. n.2*

Pſal. 86.

*v 17. Iudicare terram, Paneg 40, n.16*

Pſal. 88.

*v.38. Sicut Luna perfecta, Paneg 28, n.16*

Pſal. 90.

*v.15. Cum ipſo ſum in tribulatione, Paneg 34, n 14*

Pſal 91.

*v 13. Iuſtus ut palma florebit, ſicut Cedrus Libani multiplicabitur, plantatur in domo Domini, &c. Paneg. 47, n. 1, & ſeqq.*

Pſal. 92.

*v 1 Dominus regnavit, decorem indutus eſt, Paneg. 39, num. 2*

Pſal. 93.

*v.10. Qui corripit gentes, Paneg. 39, n 24*

Pſal. 95.

*v.13. Tunc exultabunt omnia ligna ſylvarum, Paneg. 40, n. 16*

Pſal. 98.

*v.1. Sedet ſuper Cherubim, Paneg 33, n. 6*

Pſal. 103.

*v.1. Decorem induiſti, amictus lumine ſicut veſtimenta, Paneg. 36, n.2*
*v.2 Extendit cælum ſicut pellem, Paneg. 28, n.9*
*v. 4. Qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem urentem, Paneg. 27, n. 29, & Paneg. 28, num. 5, & Paneg 37, num. 22, & Paneg. 41, num. 19, & Paneg. 42, n.22*

Pſal 105.

*v.24. Pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem, Paneg. 48, n. 25*

Pſal. 111.

*v. 3. Gloria & divitiæ in domo ejus, Paneg. 35, n.18*

Pſal. 112.

*v.6. Humilia reſpicit in cælo & in terra, Paneg. 19, num 25*

Pſal. 126.

*v.2. Surgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris, Paneg. 36, n.5*

Pſal. 129.

*v.7. Copioſa apud Deum redemptio, Paneg. 49, n.19*

Pſal. 138.

*v.17 Nimis honorificati ſunt amici tui Deus, Paneg. 17, num. 1*

Pſal. 143.

*v 7. Emitte manum tuam de alto, & eripe me, Paneg. 41. n. 31*

*v.12. Filiæ eorum circumornatæ ut ſimilitudo templi*, Paneg. 50, n. 3

## PROVERBIORUM.

### Caput 8.

*v.18. Mecum ſunt divitiæ & gloria, opes ſuperbæ*, Paneg 49, n 15, & 27

*v 22. Dominus poſſedit me ab initio viarum ſuarum*, Paneg 28, n. 22

*v.35. Qui me invenerit, inveniet vitam*, Paneg. 39, num. 30

### Caput 10.

*v.20 Expectatio juſtorum lætitia*, Panegyr. 48, num. 21

### Caput 14.

*v.1. In gaudio ejus non miſcebitur extraneus*, Paneg. 35, num. 23

### Caput 16.

*v.2. Spirituum ponderator*, Paneg. 27, n. 12

### Caput 21.

*v 28. Vir obediens loquetur victorias*, Paneg. 47, num. 6

### Caput 31.

*v.19. Manum ſuam miſit ad fortia*, Paneg. 50, num. 1, & ſeqq.

*v 23 Nobilis in portis vir ejus, quando ſederit cum ſenatoribus terræ*, Paneg 48, num. 4

## ECCLESIASTES.

### Caput 1.

*v.7. Omnia flumina intrant in mare*, Paneg. 49, num. 8

## CANTICORUM.

### Caput 1.

*v.1. Oſculetur me oſculo oris ſui*, Paneg. 45, num. 4

*v.2. Adoleſcentulæ dilexerunt te*, Paneg. 49, n 22

*v.3. Introduxit me Rex in cubiculum ſuum. Tranſlatio Septuag* Paneg 48, n. 22

*v 4. Nigra ſum, ſed formoſa*, Paneg. 33, n. 14

*v 5. Nolite me conſiderare quod fuſca ſum, quia decoloravit me ſol*, Paneg. 41, n. 25

*v.7. Si ignoras te ô pulcherrima mulierum*, Paneg. 45 num. 21

*v.12. Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur*, Paneg 45, n. 3

*v.13. Botrus Cypri*, Paneg. 40, n. 12

*v.15. Pulchra es amica mea*, Paneg 38, n. 1

### Caput 2.

*v 1. Ego flos campi*, Paneg. 34, n. 10

*v. 5. Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo* Paneg 47, n. 23

*v 9. Similis eſt dilectus meus capreæ hinnuloq; cervorum*, Paneg. 28, n. 25

*v.10. Columba mea, formoſa mea*, Panegyr 28, num. 2

*v.12. Vox turturis audita eſt in terra noſtra*, Paneg. 30, num. 7

*v 13. Surge, amica mea, ſpecioſa mea, & veni*, Paneg. 42, num. 3

### Caput 3.

*v. 1. In lectulo meo per noctem quæſivi quem diligit anima mea*, Paneg 41 n. 26

*v 4. Inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam*, Paneg. 30, n. 4

### Caput 4.

*v. 1. Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es, oculi tui columbarum, abſque eo quod intrinſecus latet*, Paneg. 38, num. 1, & Paneg. 43, num. 17

*v. 9. Vulneraſti cor meum ſoror mea*, Paneg. 45, num. 9

*v.* 11. *Favus diſtillans labia tua Sponſa, mel & lac ſub lingua tua*, Paneg 33, n. 4

*v.* 13. *Emiſſiones tuæ Paradiſus*, Paneg. 35, num 7, & Paneg 41, n 14

*v.* 14. *Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, fons ſignatus*. Paneg. 49, n. 6

*v.* 15. *Fons hortorum*, Paneg 35, n 6

*v.* 16. *Surge Aquilo, veni auſter* Paneg 27, nu 12

Caput 5.

*v.* 2. *Soror mea columba mea*, Paneg 28, n 2

*v.* 7. *Invenerunt me cuſtodes, qui circumeunt civitatem tulerunt pallium meum*, Paneg 37, num. 23

*v.* 11. *Dilectus meus candidus & rubicundus*, Paneg 27, num. 16

*v.* 14 *Manus illius tornatiles*, Pan 28, n. 12

*v.* 15 *Electus ut Cedri*, Paneg 47, n. 22

Caput 6.

*v.* 2. *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi*, Paneg. 32, num. 31

*v.* 4. *Averte oculos tuos à me, quia ipſi me avolare fecerunt*, Paneg 41 num. 16, & 28, Paneg. 30, num 4

*v.* 8. *Vna eſt columba mea*, Paneg. 28, n 2

*v.* 9. *Quæ eſt iſta quæ progreditur ſicut aurora conſurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol*, Paneg 28, num 10. & Paneg. 32, num. 13. & Paneg. 39, num 23 & Paneg. 41, n 29

*v.* 12. *Revertere, revertere Sulamitis, revertere, ut intueamur te*, Paneg. 45, n. 20

Caput 7.

*v.* 1. *Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia principis*, Paneg 28, n 9

*v.* 2. *Vmbilicus tuus ſicut crater tornatilis*, Ibidem num 13

*Ibid Venter tuus ſicut acervus tritici vallatus Liliis*, Paneg 29, n 7

*v.* 4 *Collum tuum ſicut turris eburnea*, Paneg 33, num. 22

*v.* 7. *Statura tua aſſimilata eſt palmæ*, Paneg. 27, num. 2

*v.* 10 *Ego dilecto meo & ad me converſio ejus*, Paneg. 43, n. 4

Caput 8.

*v.* 5. *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto delitiis affluens*, Paneg 32, n 33

*v.* 1 *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum*, Paneg. 39, n 12, & Paneg 45, n. 3

*v.* 7 *Aquæ multæ non potuerunt extinguere Charitatem*, Paneg. 42, n 24

SAPIENTIÆ.

Caput 1.

*v.* 1. *Diligite juſtitiam, qui judicatis terram*, Paneg. 51, n. 16

Caput 3.

*v.* 1. *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt*, Paneg. 44, num. 23

Caput 5.

*v.* 7. *Regnum decoris*, Paneg. 35, n. 20

Caput 6.

*v.* 14. *Qui de Luce vigilaverit ad illam, aſſidentem illam foribus ſuis inveniet*, Paneg. 28, num. 28

Caput 7.

*v.* 14. *Infinitus enim theſaurus eſt hominibus*, Paneg 49, num. 1

*v.* 24 *Omnibus mobilibus mobilior eſt ſapientia*, Paneg. 28. n. 16

Caput 9.

*v.* 15. *Corpus quod corrumpitur aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum*. Paneg. 44, num. 11

## ECCLESIASTICI.

### Caput 3.

*v.10. Quanto magnus es, humilia te in omnibus. Paneg.47 n.15.*

### Caput 11.

*v.1. In medio magnatorum conſidere illum faciet. Paneg 42.nu 1.*

*v.16. Fuit magnus ſecundum nomen ſuum. Pan. 32 n.1 & ſeqq.*

### Caput 13.

*v.1. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Pan 41.num.15.*

### Caput 17.

*v.28. Gratiam quaſi pupillam conſervabit. Paneg. 29 nu.8.*

### Caput 24.

*v.5. Primogenita ante omnem creaturam. Paneg. 28.num.8.*

*v.6. Gyrum cæli circuivi ſola Pan.48.n.3.*

*Ibid. In fluctibus maris ambulavi. Pan 28.n.19.*

*v.9. In omni terra ſteti Ibid.*

*v.14. Ab initio & antè ſecula creata ſum, & uſque ad futurum ſeculum non deſinam, & in habitatione ſancta coram ipſo miniſtravi Pan 35.n.28.*

*v.16. In plenitudine ſanctorum detentio mea. Paneg. 35.num.15.*

*v.17. Sicut palma exaltata ſum in Cades. Paneg. 48.47.n.8.*

*v.23. Sicut vitis fructificavi ſuavitatem odoris. Pan 35.n.12.*

*v.43. Flores mei fructus honoris. Pan.32.n.8.*

### Caput 26.

*v.21. Sicut ſol oriens in altiſſimis Dei, ſic mulieris bonæ ſpecies in ornamento domus ſuæ. Pan.35.n.2.*

### Caput 40.

*v.17. Gratia ſicut Paradiſus. Paneg.28.num.7.& Pan.35.n.16.*

### Caput 43.

*v.2. Vas admirabile opus excelſi. Pan.44.num.1. & ſeqq.*

### Caput 45.

*v.1. Dilectus Deo & hominibus. Pan.19.n.16.*

### Caput 46.

*v.1. Fuit magnus ſecundum nomen ſuum. Pan.31. num.1. & ſeqq.*

### Caput 50.

*v.17. Quaſi ſol refulgens, ſic ille effulſit in templo Dei. Pan.31.n.1.& ſeqq.*

## ISAIÆ.

### Caput 2.

*v.7. Non eſt finis theſaurorum eius. Pan.24.n.14.*

### Caput 6.

*v.1 Vidi Dominum ſuper ſolium excelſum, & elevatum. Pan 3[illegible].n.29*

*v.2. Seraphim ſtabant ſuper illud. Pan.36. num. 7.& 29.*

*Ibid. Sex alæ uni & ſex alæ alteri. Pan.28.n.6.*

*Ibid. Duabus velabant faciem eius. Pan.36 n.27.*

*Ibid. Duabus volabant. Ibid.n 23.*

*v.6. Volavit ad me unus de Seraphim. Paneg.16. num.1.& ſeqq.*

### Caput 8.

*v.1. Sume tibi librum grandem. Pan.39 n.13.*

*v.9. Voca nomen eius accelera, ſpolia detrahe, feſtina. Paneg.28.n.25.*

Caput 11.

*v.4. Spiritus labiorum ſuorum interficiet impium, Paneg.42, num.21,*

Caput 14.

*v.4. Ero ſimilis altiſſimo, Pan.43, n.24,*

Caput 33.

*v 7. Ecce videntes clamabunt foris, Angeli pacis amarè flebunt, Pan 43, n.28,*

Caput 35.

*v. 10. Venient in Syon cum laude & lætitia ſempiterna ſuper capita eorum, Panegyric. 48, numero 17.*

Caput 49,

*v 6. Super muros tuos Ieruſalem conſtitui cuſtodes, Pan.36, n.19,*

Caput 64.

*v 8. Pater noſter es tu, nos vero lutum : fictor noſter es tu, & opera manuum tuarum nos, Panegyr. 44. num.1.*

Caput 65,

*v.17. Ecce ego creo cælos novos & terram novam, & non erunt in memoria priora, Panegyricus 48, numero 10.*

*v.18. Ecce ego creo Ieruſalem exultationem & populum eius gaudiu. Pan.48, n.16.*

Caput 66.

*v.1. Cælum mihi ſedes, Pan.32, n.27,*

IEREMIÆ.

Caput 15.

*v.18. Si ſeparaveris pretioſum à vili, quaſi os meum eris, Pan.37, n.14.*

THRENORUM,

Caput 3.

*v.46. Oculus meus afflictus eſt, nec tacuit, donec aſpiceret, & videret Dominus de cælis, Panegyric. 4[illegible], num.7.*

*v.51. Oculus meus deprædatus eſt animam meam, Pan. 41. n.2.*

Caput 4.

*v 8. Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, Paneg 33. num.3.*

EZECHIELIS.

Caput 1.

*v.9. Non revertebantur cum incederent, Pan 3[illegible] num 26.*

*v. 18. Totum corpus oculis plenum in circuitu ipſorum quatuor, Pan.33. n.11.*

Caput 10.

*Ipſum eſt animal quod vidi iuxta fluvium Chobar, Panegyric.33. numer.16. & Panegyric.46. numer.7. & 12.*

Caput 28.

*v.12. Tu ſignaculum ſimilitudinis, Panegyric 39. num.11.*

*v.13. Omnis lapis pretioſus operimentum tuum, Paneg 39. n.12.*

*v.14. Tu Cherub extenſus & protegens, Pan 3[illegible]. num 23.*

DANIELIS.

Caput 3.

*v. 90. Nonne tres viros miſimus in medio ignis ecce ego video quatuor viros &c. Pan. 42. num.12.*

*v.92. Species quarti ſimilis Filio Dei, Pan. 45. num. 1. & ſeqq.*

### Caput 5.

v. 27. *Appenſus es in ſtatera, & inventus es minus habens*, Paneg. 27, num. 12.

### Caput 6.

v. 18. Non affecerunt moleſtia Danielem. *Alia Translatio*, Pan. 43, n. 28.

### Caput 9.

v. 11. *Stillavit ſuper nos maledictio*, Pan. 48, n. 26.

### Caput 10.

v. 13. *Princeps regni Perſarum reſtitit mihi; & ecce Michael unus de principibus primis venit in adiutorium meum*, Pan. 42, n. 20.

### Caput 12.

v. 1. *Conſurget Michael Princeps magnus* Ibidem num. 1.

v. 1. *Qui erudiunt multos, fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates*; Pan. 38, n. 13

## O S E E.

### Caput 9.

v. 11. *Ephraim quaſi avis avolavit, gloria eorum à partu, & ab utero, & à conceptu*, Panegyr. 32, num. 6.

## A M O S.

### Caput 9.

v. 13. *Ecce dies veniunt dicit Dominus, & ſtillabunt montes dulcedinem*: Paneg. 32, n. 35.

---

# Ex novo Teſtamento.

## MATTHÆI.

### Caput 1.

v. 1. *Liber generationis Ieſu Chriſti*, Pan. 39, n. 1, *& ſeqq.*

v. 19. *Voluit occultè dimittere eam*, Pan. 49, n. 11.

### Caput 2.

v. 9. *Antecedebat eos, uſque dum veniens ſtaret ſupra, ubi puer erat*. Pan. 33, n. 7.

### Caput 4.

v. 2. *At illi continuò relictis retibus ſecuti ſunt eum*, Pan. 47, n. 5.

### Caput 5.

v. 3. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum* Pan. 29, n. 21.

v. 7. *Beati miſericordes*, Pan. 32, n. 25.

v. 9. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*; Pan. 43, n. 43.

v. 12. *Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis*, Pan. 48, n. 1, *& ſeqq.*

v. 14. *Vos eſtis lux mundi*, Paneg. 37, numer. 11. & Paneg. 38, n. 1.

Ibid. *Supra montem poſita*, Pan. 31, n. 8.

v. 15. *Non accendunt lucernam & ponunt eam ſub modio ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo ſunt*, Panegyrico 35, numer. 18. & Panegyr. 46. numer. 14.

v. 18. *Amen quippe dico vobis, donec cælum & terra tranſeat, iota unum aut unus apex non præteribit à lege*, Pan. 40, n. 12.

### Caput 6.

v. 12. *Dimitte nobis debita noſtra*, Panegyric. 49, num. 40.

v. 20. *The-*

v.20. *Theſaurizate vobis theſauros in cælo, ubi neque ærugo &c.* Pan.34, n.7,

v.21. *Vbi eſt Theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum,* Paneg.32, n.14, & Paneg 34, n.7, & Pan 37, n 3, & Pan.49, n.2,

v.22. *Lucerna corporis tui eſt cor tuum,* Paneg 46, num.10.

## Caput 7.

v.7. *Petite & accipietis,* Pan.31, n.14,

v.20. *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos,* Paneg 32 num.12.

v.23. *Deſcendit pluvia, & irruerunt flumina & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat ſupra firmam petram.* Pan. 34, num.16,

## Caput 8.

v.20 *Filius hominis,* Pan.49, n.7,

## Caput 9.

v.9. *Cum tranſiret inde IESVS, vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi: ſequere me,* Pan.41, n.1, & ſeqq.

## Caput 11.

v.12. *Regnum cælorum vim patitur & violenti rapiunt illud,* Paneg.48, n.14.

## Caput 13.

v.43. *Iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno Patris eorum.* Pan.35 n 21.

## Caput 14.

v.19. *Acceptis quinque panibus, & duobus piſcibus aſpiciens in cælum, benedixit &c.* Paneg.41, numer. 9.

v.28. *Domine, ſi tu es, iube me venire ad te ſuper aquas,* Paneg 26, n.4.

## Caput 16.

v.13. *Quem dicunt homines eſſe filium hominis,* Pan.47 n.21.

v.15. *Vos autem quem me eſſe dicitis.* ibid

v.17 *Beatus es Simon Bar-Iona,* Pan.29, num.1.

v.18. *Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam,* Paneg.26, n.17.

v.21. *Abſit à te Domine, non erit tibi hoc.* Ibidem num. 10.

v.24. *Si quis vult venire poſt me abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me,* Paneg 40. num.25.

## Caput 17.

v.1. *Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius; & duxit illos in montem excelſum, & transfiguratus eſt ante eos,* Pan.26, n.22.

v.4. *Domine bonum eſt nos hic eſſe, faciamus hic tria tabernacula tibi unum, Moyſi unum, & Eliæ unum.* Ibid num.3,

v.9 *Deſcendentibus illis de monte, præcepit Ieſus dicens: Nemini dixeritis viſionem,* Paneg.48 n.13,

## Caput 18.

v.1. *Quis putas maior eſt in regno cælorum.* Paneg. 42, n.1, & ſeqq.

v.3. *Niſi converſi fueritis, & efficiamini ut parvuli non intrabitis in regnum cælorum.* Panegyr 38, numer. 25.

v.10. *Videte ne contemnatis unum ex iis puſillis,* Paneg.43, n.6,

Ibid. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt,* Pan 27, n.20,

## Caput 19.

v.7. *Moyſes permiſit vobis dimittere uxores veſtras.* Paneg.50, n.14,

v 29. *Sedebitis ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael,* Pan.31 n.10.

## Caput 20.

v.2. *Conventione autem facta de denario diurno.* Paneg.26, n.17. & Pan 48, n 15,

v.21. *Dic ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram in regno tuo.* Paneg. 50. num.4.

v 22. *Neſcitis quid petatis,* Pan 31, n.17,

Ibid. *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum,* Ibid. num 17.

Cap.22,

Caput 22.

v. 30. *Erunt ſicut Angeli Dei in cælo.* Panegyric. 48 num. 4.

Caput 23.

v. 2. *Super Cathedram Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi.* Pan. 29 n. 12.

Caput 24.

v. 27. *Sicut enim ſulgur exit ab Oriente, & paret uſque ad occidentem &c.* Pan. 28 n. 25.

v. 29. *Statim autem poſt tribulationem illorum dierum ſol obſcurabitur, luna non dabit lumen ſuum, ſtellæ cadent de cœlo.* Pan. 40 n. 14.

Ibid. *Virtutes cælorum movebuntur.* Panegyric. 43. num. 14.

v. 30. *Tunc apparebit ſignum filii hominis in cælo.* Pan. 40. n. 13.

Caput 25.

v. 24. *Scio quia homo durus es.* Pan. 30. n. 6.

Caput 26.

v. 51. *Extendens manum exemit gladium, & percutiens ſervum Pontificis ſacerdotum, amputavit auriculam ejus.* Pan. 26. n. 8.

v. 73. *Loquela tua manifeſtum te facit.* Panegyr. 36. num. 9.

v. 75. *Egreſſus foras flevit amarè.* Panegyrico 26. num. 13.

Caput 28.

v. 2. *Angelus Domini deſcendit de cælo, & accedens revolvit lapidem; erat enim aſpectus ejus ſicut fulgur &c.* Pan. 43 n. 13.

v. 20. *Ero vobiſcum uſque ad conſummationem ſæculi.* Pan. 27. n. 20. & Pan. 38 n. 13.

MARCI

Caput 3.

v. 17. *Boanerges* Pan 31. n 23.

Caput 16.

v. 6. *Ieſum quæritis Nazarenum crucifixum ſurrexit; Non eſt hic.* Pan. 40 n. 10.

LUCÆ.

Caput 1.

v. 15. *Erit magnus.* Pan 31. n 37.

v. 28. *Ingreſſus Angelus ad eam.* Pan. 49. n 6.

Ibid. *Ave gratia plena.* Pan. 28. n. 7.

v. 29. *Turbata eſt in ſermone eius.* Pan. 43 n. 17.

v. 35. *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te &c.* Paneg. 39 num. 4.

v. 38. *Ecce ancilla Domini.* Pan 28 n. 4.

v. 39. *Exſurgens Maria abiit in montana cum feſtinatione in civitatem Iudæ.* Panegyrico 28. num. 1. & ſeqq

v. 48. *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* Paneg. 42 num 2.

v. 49. *Fecit mihi magna qui potens eſt.* Paneg 39. num. 14.

Caput 2.

v. 13. *Facta eſt multitudo militiæ cæleſtis exercitus laudantium Dominum, & dicentium, &c.* Paneg. 43. num. 22.

Caput 5.

v. 28. *Relictis omnibus ſurgens ſecutus eſt eum.* Pan. 41. n. 2.

v. 29. *Fecit ei convivium magnum levi in domo ſua.* Ibid. n. 10. & Pan. 47. n. 9.

Caput 6.

v. 20. *Et ipſe elevatis oculis in diſcipulos ſuos, dicebat &c* Pan. 3[illegible]. n. 12.

Caput 7.

v. 37. *Mulier in civitate peccatrix.* Panegyr. 30. num. 11.

v. 38. *Oſculabatur pedes eius.* Ibid n. 2.

v. 39. *Hic ſi eſſet Propheta, ſciret utique quæ & qualis eſt hæc mulier, quæ tangit eum &c.* Ibid. num 3.

v.44. *Vides hanc mulierem*, Ibid.n.6.
v.47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, Ibid.n.1. & ſeqq.

Caput 9.

v.31. *Dicebant exceſſum eius*, Pan.27.n.1.

Caput 10.

v.23. *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis*, Paneg.32.n.32.
v.39. *Maria ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius: Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium*, Pan.30.n.9.
v.40. *Domine non eſt tibi curæ quod ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare?* ibid.
v.42 *Martha, Martha ſollicita es, & turbaris erga plurima; porro unum eſt neceſſarium; Maria optimam partem elegit*, ibid.

Caput 12.

v 32. *Nolite timere puſillus grex.* Panegyrico 43. num.3.
v.37. *Beati ſervi illi, quos cum venerit Dominus ejus invenerit vigilantes. Amen dico vobis quod præcinget ſe & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis* Pan.48.n.7.
v.49. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut accendatur*, Paneg 27.n.17.& Paneg.36. num.21.

Caput 14.

v.15 *Beati qui manducant panem in regno Dei*, Paneg.48.n.2
v.16. *Homo quidam fecit cœnam magnam.* Paneg. num.19.

Caput 15.

v.10. *Gaudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.* Paneg.27.n 7. & Paneg.30.num.7.

Caput 16.

v.22 *Factum eſt ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ*, Pan.43, num. 21.

Caput 19.

v.2. *Quærebat videre Ieſum quis eſſet, & non poterat præ turba, quia ſtatura puſillus erat.* Panegyrico 26. num 21.

Caput 22.

v.43. *Apparuit illi Angelus de cælo confortans eum.* Paneg.43.n.19.
v.48. *Iuda oſculo filium hominis tradis?* Paneg.31. num 11.
v.61. *Converſus Petrus reſpexit Ieſum*, Paneg.41. num 17.

Caput 23.

v.58. *Si in viridi hoc faciunt, in arido quid fiet?* Paneg.39. n.2.

Caput 24.

*Nonne cor noſtrum erat ardens, dum loqueretur in via*, Paneg.27.& 17.
v 39 *Spiritus carnem & oſſa non habet*, Paneg.33. num.27.

JOANNIS.

Caput 1.

v.1. *In principio erat verbum*, Paneg.39 n.19.
v.3. *Omnia per ipſum facta ſunt*, Pan.41.nu 31.
v.9 *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, Paneg 28.n.4.
v 10. *In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit.* Panegyrico 45.numero 2.
v 19. *Miſerunt ab Ieroſolymis ſacerdotes & Levitas ad Ioannem, ut interrogarent eum: Tu, quis es?* Paneg.29.num.23.

Caput 2.

v.4. *Deficiente vino, dicit mater Ieſu ad eum.* Paneg.28.num.27.

Caput 3.

Caput 5.

v.35. *Erat lucerna lucens & ardens*, Paneg.33. num.12.

Caput 6.

v.10. *Diſcubuerunt ergo viri quaſi quinque millia.* Pan.30 num.9.

v.15. *Ieſus ergo cum cognoviſſet, quia venturi eſſent &c.* Pan.20 num.20.

v.51. *Ego ſum panis vivus, qui de cælo deſcendi.* Paneg.28 n.8.

v.57. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo*, Pan.49 n.13.

v.69. *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Paneg.26.num.12. Paneg 39.num.20.

Caput 11.

v.9. *Nonne duodecim horæ ſunt diei?* Panegyr.37. num.10.

Caput 12.

v.24. *Niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet*, Paneg.34 n.31.

v.26. *Ubi ego ſum, illic & miniſter meus erit*. Paneg. 31 num.29.

v.28. *Et clarificavi & iterum clarificabo*, Pan.14. num.18.

Caput 13.

v.23. *Erat unus recumbens ex diſcipulis in ſinu Ieſu, innuit ergo huic Simon Petrus, & dixit: Quis eſt de quo dicit?* Pan.26 num.11.

Caput 15.

v.13. *Majorem dilectionem nemo habet, ut animam ſuam det quis pro amicis ſuis.* Paneg.27.n.17. & Pan. 34.n.11.

v.19. *Odit vos mundus*, Pan.31.n.7.

Caput 16.

v.24. *Petite & accipietis, ut gaudium veſtrum plenum ſit.* Paneg.39.num.15.

Caput 17.

v.15. *Non rogo ut tollas eos de mundo, ſed ut ſerves eos à malo*, Paneg.47.num.10.

Caput 19.

v.27. *Ecce mater tua*, Paneg.39.num.18.

Caput 20.

v.11. *Maria ſtabat ad monumentum foris plorans*, Paneg.30.num.13.

v.12. *Vidit duos Angelos in albis ſedentes &c.* Paneg.30 num.19.

v.15. *Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum dicito mihi, ubi poſuiſti eum & ego eum tollam*, Paneg.30 num.14.

v.17. *Vade ad fratres meos*, Pan.31.num 9.

Caput 21.

v.15. *Simon Ioannis diligis me plus his? Tu ſcis Domine, quia ego amo te*, Pan.26.num 16 & 24.

ACTUUM APOSTOLORUM.

Caput 5.

v.15. *Ut in plateis ejicerent infirmos, ut veniente Petro, ſaltem umbra illius &c.* Pan 26.n 29.

v.41. *Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilii &c.* Paneg.47.num.13.

Caput 6.

v.15. *Intuentes in eum qui erant in concilio viderunt faciem ejus tanquam faciem Angeli*, Paneg. 9 n. 26. & Paneg.33.n.17. & Paneg.34.n.24. & Paneg. 46.num.7.

Caput 7.

*v.55. Cum autem eſſet plenus Spiritu Sancto intendens in cælum &c.* Pan. 29. n. 18.

Caput 12.

*v.1. Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio.* Pan. 31. n. 21.
*v.3. Cum apprehendiſſet Petrum, miſit in carcerem &c.* Pan. 26. n. 15.
*v.3. Oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo.* Pan. 28. n. 24.
*v.6. In ipſa autem nocte erat Petrus dormiens.* Pan. 43. n. 25.

Caput 14.

*v.10. Dii ſimiles facti hominibus deſcenderunt ad nos.* Pan. 27. n. 25.
*v.11. Dicebant Paulum Mercurium, quoniam ipſe erat dux verbi.* Pan. 27. n. 21.

Caput 18.

*v.3. Erat enim ſcenofactoria artis.* Panegyrico 27. num. 23.

Caput 20.

*v.35. Beatius eſt magis dare, quam accipere.* Pan. 32. num. 23.

Caput 26.

*v.6. Exiſtimabant eum in furorem convertendum, & ſubito &c.* Pan. 27. n. 5.
*Ibid. Dicebant eum eſſe Deum,* Ibid.

AD ROMANOS.

Caput 1.

*v.1. Paulus ſervus Ieſu Chriſti ſegregatus in Evangelium Dei.* Pan. 46. v. 13.
*v.20. Inviſibilia enim ipſius à Creatura per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur.* Pan. 39. n. 1.

Caput 28.

*v.16. Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram.* Pan. 43. num. 27.
*Ibid. Poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Pan. 43. n. 16.
*v.28. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Pan. 30. n. 9.
*v.35. Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio? an anguſtia? an fames? nuditas?* Pan. 27. n. 16. & Pan. 37. n. 25.

Caput 9.

*v.3. Optabam enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.* Pan. 28. n. 17.

Caput 12.

*v.4. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, ita multi unum corpus ſumus in Chriſto.* Pan. 45. num. 18.

Caput 16.

*v.25. Iuxta Evangelium meum.* Pan. 46. n. 17.

I. AD CORINTHIOS.

Caput 1.

*v.24. Dei virtutem & ſapientiam.* Panegyrico 43. num. 5.

Caput 2.

*v.2. Non enim iudicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum & hunc crucifixum.* Paneg. 29. num. 12.
*v.9. Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus illum.* Pan. 48. n. 1.

Caput 3.

*v.7. Cum ſint inter vos contentiones, nunquid homines eſtis?* Pan. 40. n. 13.

Caput 6.

### Caput 6.

*v.3. Neſcitis quoniam Angelos judicabimus*, Paneg. 27 n. 17. & Paneg. 3 n.10

*v.17 Qui adhæret Deo unus ſpiritus eſt*, Paneg. 36. num. 16.

### Caput 7.

*v.25 De virginibus præceptum Domini non habeo*, Paneg. 21 n. 13.

*v.6. Unus Dominus Ieſus Chriſtus*, Paneg. 31. num. 4.

### Caput 9.

*v.9 Non alligabis os bovi trituranti*, Paneg. 33 n. 1

*v.20 Factus ſum Iudæis Iudæus ut Iudæos lucrarer, &c* Paneg. 27 n. 23

### Caput 10.

*v.4 Petra autem erat Chriſtus*, Panegyr. 30. num. 6.

*v.13 Fidelis Deus qui non patitur vos tentari ſuper id quod poteſtis*, Paneg. 30 n. 17.

### Caput 11.

*v.32. Dum judicamur à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur*, Paneg. 39 n. 25.

### Caput 12.

*v.4. Diviſiones gratiarum ſunt, alii datur ſermo ſapientiæ &c* Paneg. 27, n. 11

*v.6. Si voluero gloriari non ero inſipiens, parco autem, ne quis exiſtimet ſupra id quod videt in me.* Ibidem num. 30.

### Caput 15.

*v.9. Ego enim ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei, ſed abundantius illis omnibus laboravi*, Paneg. 29, n. 31

*v.10. Gratia Dei ſum id quod ſum*, Paneg. 29, n. 1

*v.19. Si in hac vita tantum in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus*, Paneg. 48, n. 1

## II. AD CORINTHIOS.

### Caput 2.

*v.15 Chriſti bonus odor ſumus Deo in iis, qui ſalvi fiunt, & in iis qui pereunt*, Paneg. 67, n. 19

### Caput 4.

*v.7. Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus* Paneg 49, n. 17. Pan. 44, n. 12

### Caput 6.

*v.10 Tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes*, Paneg 27, n 9

### Caput 8.

*v.18. Cujus laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias*, Paneg. 46, n. 20

## AD GALATHAS.

### Caput 1.

*v.10. Si hominibus placerem, ſervus Chriſti non eſſem*, Paneg 29, n. 26 & Paneg 36, n. 6

*v.11 Notum vobis facio fratres Evangelium, quod evangelizatum eſt à me, quia non eſt ſecundum hominem, neque ego ab homine accepi, ſed per revelationem Ieſu Chriſti* Paneg. 27, n 14

*v.18 Veni Hieroſolymam videre Petrum, & manſi apud eum diebus quindecim*, Paneg 26, n. 31

### Caput 2.

*v.20 Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Chriſtus*, Paneg. 27, n. 29, & Paneg. 45, n. 6

### Caput 3.

*v.27 Quicunque in Chriſto baptizati eſtis Chriſtum induiſtis*, Paneg 37, n. 24

Caput 6.

v.13 Ego enim ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto, Paneg. 45, n. 17

v.14. Mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, Paneg. 37, n. 24

AD EPHESIOS.

Caput 3.

v.8 Mihi autem omnium Sanctorum minimo, data eſt gratia hæc in gentibus evangelizare inveſtigabiles divitias Chriſti, &c. Paneg 27, n. 26

AD PHILIPPENSES.

Caput 1.

v.21 Mihi autem vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum, Paneg. 31, n. 18

Caput 2.

v 4. Chriſtus factus eſt pro nobis obediens uſque ad mortem, Paneg, 40, n. 1

v 9. Donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Ieſu, &c. Paneg. 45, n 27

Caput 3.

v.8. Omnia arbitror ut ſtercora. Paneg. 48, num. 9

AD COLOSSENSES.

Caput 2.

v. 3. In quo ſunt omnes theſauri ſcientiæ & ſapientiæ Dei abſconditi, Paneg. 29, n 13

I. AD TIMOTHEUM.

Caput 4.

v.6, Ego enim jam delibor, Paneg. 27, n. 19

II. AD TIMOTHEUM.

Caput 2.

v. 20 In magna domo non ſolum ſunt vaſa aurea sed & argentea, lignea, & fictilia, Paneg. 44, n. 1

AD HEBRÆOS.

Caput 1.

v. 2. Locutus eſt nobis in filio, Panegyricus 42 num. 21

JACOBI.

Caput 1.

v.12. Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam accipiat coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe, Panegyricus 26. num. 31. & Panegyr. 34, num. 1

Caput 4.

v.3. Petitis & non accipitis, eo quod male petatis, Paneg. 33, n. 14

I. PETRI.

Caput 1.

v. 6. In quo exultabitis modicum nunc ſi oportet contriſtari in variis tentationibus, Paneg 26 num 14

v.12 In quem deſiderant Angeli proſpicere, Paneg. 48. num. 2

Caput 5.

v. 8 Reportabitis immarceſcibilem gloriæ coronam, ibid. num. 8

I JOAN-

## I. JOANNIS.

### Caput 3.

*v.2. Scimus enim quod cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt*, Paneg. 45. num 13

### Caput 4.

*v.8 Deus charitas eſt*, Paneg. 27, n. 16

*v.18 Timor non eſt in Charitate, ſed perfecta Charitas foras mitit timorem.* Paneg. 30, num 17

## JUDÆ.

*v.1. Iudas ſervus IESV Chriſti*, Paneg. 47, n. 14.

## APOCALYPSIS.

### Caput 1.

*v.14 Oculi ejus tanquam flamma ignis*, Paneg 41 num. 27

### Caput 2.

*v.1 Angelo Epheſi ſcribe: Age Pœnitentiam*, Paneg 36, num. 4

*v. 17. Vincenti dabo manna abſconditum*, Paneg. 29. num 17

### Caput 3.

*v 19. Quos amo corrigo & caſtigo*, Panegyr. 27, num. 29

### Caput 4.

*v. 7. Habens faciem quaſi hominis*, Paneg. 41. num. 20. Ibid *Secundum anima ſimile vitulo*, Paneg. 46 num 5

*v.8. Singula eorum habebant alias ſenas.* Ibidem num. 7.

### Caput 5.

*v.1. Vidi in dextera Dei ſedentis liberum ſcriptum intus & foris ſignatum ſigillis ſeptem*, Paneg. 39 num. 14 & ſeq.

*v 5 Vicit leo de tribu Iuda*, Panegyr. 47. numero 16.

### Caput 6.

*v 12. Sol factus eſt niger tanquam ſaccus cilicinus*, Paneg 38, n. 21

### Caput 7.

*v. 2. Vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei vivi*, Paneg 33. num. 10

### Caput 10.

*v.1. Amictum nube*, Paneg. 41, n. 18

*v. 2. Poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare ſiniſtrum autem ſuper terram*, Panegyrico 50. num. 17

### Caput 11.

*v. 19. Apertum eſt templum in cælo, & viſa eſt arca teſtamenti ejus in templo ejus*, Paneg. 28, num. 3.

### Caput 12.

*v. 1. Signum magnum apparuit in cælo Mulier amicta ſole, Luna ſub pedibus ejus & in capite ejus corona ſtellarum duodecim*, Paneg. 28, num. 11 & 32, num 5, & 35, num. 18, & 39, num. 16, & 42, num 4, & 48, num 12

*v 7. Factum eſt prælium magnum in cælo, Michael & Angeli ejus pugnabant cum dracone*, Paneg. 42, num 15

*v.11 Non dilexerunt animas ſuas uſque ad mortem*, Paneg 43, n. 29

Caput

Caput 14.

*v.1.Vide & ecce agnus ſtabat ſupra montem Syon, Pan g.31, n.13*

*Ibidem Habentes nomen ejus ſcriptum in frontibus ſuis. Paneg 33, n.22*

*v. 6. Vidi alterum Angelum volantem per medium cæli habentem Evangelium. Panegyr. 46. num 8*

Caput 17.

*v.3. Abſtulit me in ſpiritu in deſertum, & vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam, &c. Panegyr. 50. num. 5.*

Caput 19.

*v.10. Cecidi ante pedes ejus, ut adorarem eum & dicit mihi; &c. Paneg 43, n. 21*

Caput 21.

*v.3 Tabernaculum Dei cum hominibus, Paneg. 38, n. 11*

*v 19. Civitas illa aurum mundum. Paneg. 48. num. 6.*

# FINIS

## Indicicis Locorum Sacræ Scripturæ.




INDEX

# INDEX
# RERUM ET VERBORUM MEMORABILIUM.

## Quæ in hac Secunda hujus Operis parte continentur.

*Primus numerus notat Panegyricum, Secundus numerum vel conceptum.*


A.

*Abſtinentia.*

DE Abſtinentia S. Petri Apoſtoli, Paneg. 26. num. 14.

*Adamas.*

Ejus proprietates, Paneg. 29. numero 27.

*Adam.*

In Paradiſum & non in cœlum collocatus fuit, & cur, Paneg 27. num 4.
Monarcha mundi fuit, 40, 5.
Quis illum agriculturam docuerit, 42, 24.
In ablatione coſtæ non ſenſit dolorem, & cur, 32, 34.

*Alexander.*

Mundum ſibi mira cum ſollicitudine acquiſivit, Paneg. 27, 24
Ab Apelle depictus, inimitabilis, 45, 15.

*Amaranthus.*

Eſt flos à cælo productus, 48, 8.
Nequit à fulmine percuti, Ibid.
Ornamentum eſt domus, Ibid.
Baculus eſt ſenum, Ibid
Igne plenus eſt, Ibid. num. 11.

*Ambitio Ambitioſi.*

Vis Ambitionis, 29, 23.
Stultitia ambitioſorum, Ibid 19.
Mulieres ambitioſæ, 50, 4.

*Ambroſia.*

Maria Virgo terra eſt Ambroſia producens, 35, 11.
S Bernardus à B.V. Ambroſia nutritur, 36, 10
Novies eſt melle dulcior, Ibid.
Homines pulchros facit, Ibid. 12.

*Amor Amantes.*

Amor quo S. Petrus exarſit, author eſt & promotor

motor earum excellentiarum, quibus Apoſtolus ille præfulſit, 26 n 1. & ſeqq.
Machina corda noſtra ſurſum trahens, Ibid.
Inimicus ſeparationis, Ibid n 3
Amans imminens ſibi periculum non videt, Ibidem 5.
Pingitur cæcus, & cur, Ib. 6.
Amans neſcit quo vadat, Ib.
Eſt alatus, & cur, Ib. 9.
Inimicus moræ, Ib.
Lacrimæ teſtimonia amoris, Ib. 13:
Qui Deum amat, mundana gaudia abominatur, Ibidem 14.
Qui Deum amat nec mortem nec ærumnas timet, Ib 15.
Differentia inter amare & diligere, 26, 16.
Pedes ſymbolum amoris, Ib. 18.
Ubi amor ibi oculi, Ib. 19.
Chriſtum amare, & amari à Chriſto ſunt duo dulciſſima mundi, Ib. 23
Petro Paradiſi claves tradidit, Ib. 25.
Qui Deum amat, ambulare ſuper aquas, & per aëra volare poteſt, Ib. 26
Amantem in rem amatam transformat, Ibidem 30
Facit ex homine Deum, Ib.
Deus ſervos adeo vehementer diligit, ut excedere videatur, 27, 1.
Gratiæ ſanctorum ab amor Dei, Ib.
Amor terrenus Divino amori comparatur, Ibidem 16.
Chriſtus amor, Ib.
S. Paulus merus amor fuit, Ib.
Amor eſt animæ quantitas & magnitudo, Ibidem.
Cauſa eſt rerum ſtupendarum, 30, 1. & ſeqq.
Ligat Deum, Ib 4.
Neſcit verecundiam, Ib. 8.
Omnia ipſi placent, Ib. 9.
Dealbat Æthiopes, Ib 11.
Cauſa eſt pulchritudinis animæ, Ib.
Non ſentit labores, 30, 13.
Vires Giganteas habere creditur, Ib. 14.
Nihil impoſſibile reputat, Ib.
Neſcit timorem, Ib. 17.
Nutrimentum fuit Mariæ Magdalenæ, Ib. 20.
Manna & nectar eſt, Ib.
Pulcherrimas pingit figuras, Ib. 22.
Ex ſpeluncis Paradiſos facit, Ib. 15.
Beatitudo eſt cæleſtis, Ib.
Machina cordis eſt, Ib. 24.
Indulcurat mortem, 34, 12.
Ignis materialis ad amoris ignem comparatus frigidus eſt, Ib n. 11.
Eſt pulchritudo animæ, 36, 2.
Nequit ab alio igne ſuperari, 36, 3.
Fuit condimentum S Bernardi, Ib 5.
Ut ameris ama, Ib. 6.
Fecit S. Bernardum Seraphim, Ib. 1. & ſeq.
Sanguis Chriſti amor, Ib. 14.
Habitat in pectore Chriſti, Ib. 15.
Duo amantes unum ſunt, non duo, Ib. 16.
Amor in puellæ ſpecie exhibitus, Ib 20.
Homines Seraphinos efficit, Ib. 21, 23.
Divinos efficit, Ib. & 37, 4.
Purgat quidquid terrenum eſt, Ib n 7.
Ubi amor regnat, peccatum locum non habet, Ibidem.
Magiſter eſt Muſicæ, 37, 9.
Omnes virtutes comites habet, Ib, 12.
Amans transformatur in rem amatam, Ibidem 14.
Eſt beatitudo, Ib. 20.
Eſt potentior omnibus, Ib. 21.
Cauſa eſt pulchritudinis, 42, 4.
Amatus eſt anima amantis, Ib. 21.
Amor ſancti Michaëlis erga Chriſtianos, Ib. 22. & ſeq.
In neceſſitate majori probatur, Ib 24.
Id ſumus quod amamus, 45, 2.
Amans ſpeculum eſt rei amatæ, 45, 5.
Qui amat, moritur, Ib. 7
Transformatio ſolius eſt opus amoris, Ib. 8.
Pingit Chriſtum ad vivum, Ib. 9.
Ut Chriſtum in Franciſco ad vivum depingeret, Chriſtum præſentem eſſe voluit, & cur, Ibidem 10.
Amici ſunt una & eadem res, Ib. 22.
Amor mulierum ardentior, 49. n. 22.

*Angeli.*

Moyſes de illorum creatione nihil ſcripſit, & cur, 27, 6.
Cur non dicantur Dii, Ib.
Magnopere gaviſi ſunt in converſione S. Pauli, Ibidem 7.
Extra Paradiſum, Paradiſo fruuntur, Ib. 20,
Nuntii Dei ſunt, Ib 24.
Sancti ſunt Angeli, Ib. 28.
Paulus homines in Angelos convertebat, Ibidem.

Humil:

Humillimi, 29, 25.
Pulchritudo, 30, 19.
Frequentebant ſpeluncam Mariæ Magdalenæ, & cur, 30, 22.
Timent Deo appropinquare, 31, 14.
Laudant Dei Matrem, 32, n. 28, & 29.
Sunt ſtellæ, 33, 3.
Splendor quem de ſe vibrant, Ib.
Inquiſitores, Ib. 7.
S. Franciſcus unus fuit ex iis Angelis, quos Joannes vidit, ib. 9.
Serviebant S. Dominico, ib. 25.
Pulchritudinem B. V. admirantur, 35, 1.
Nova ornamenta quæ Beata Virgine cælos ingrediente acceperunt, ib. 8.
Canticum quod Angeli in illa die cecinerunt, ib. 22.
Ratio cur pœnitentia Angelo præcipiatur, 36. 4
Sancti referunt faciem Angeli 36, 4.
Pœnitentia ex homine Angelum facit, 38, 24.
Viſio Angeli inſupportabilis eſt, & cur, ib.
Angeli in cælis B Virgine indigent, 39, 31.
Illuminantur à B Virgine, ib.
Angelus qui ad venerandam S. Crucem ter in anno deſcendebat, 402.
Gloriantur in Cruce, ib. 10.
Non audent tangere Chriſtum, ib. 11.
Crux nos Angelos facit, ib. 32.
Evangeliſtæ Angelorum nomen habent, 41, 18.
Dicuntur venti, & cur, 41, 19.
Angelus apud Matthæum depictus quid ſignificet, ib. 21.
Virtus homines Angelos efficit, ib. 23.
Omnes ſunt magni, 42, 1.
Idem eſt Angelus, quod fortis, ib. 18.
Quanto plus Deo approximant, tanto magis diligunt, ib. 4.
Depinguntur alati, & cur, 43, 4.
Creati ſunt in cælo Empyreo, 43, 2.
Quia nobiliſſimi ſunt, locum quoque altiſſimum obtinent, ib.
Sunt Principes noſtri, ib. 5.
Subditi ipſorum ſunt Principes terræ, ib.
Chriſtum qua hominem nobilitant, 43. n. 7, & 8
Sunt Senatores, ibid.
Ratio cur Moyſes eorum creationem non deſcripſerit, ib. 9.
Hæretici Angelos adorarunt, ib. 10.
Admirabilis eſt illorum potentia, ib. 11.
Qui Angelum videbat, timebat mori, & cur, ib. 16.
Præſentia eorum terribilis, ib.
Dicuntur viri & mulieres, & cur, ib. 16.
Pulchritudo eorum, ib & ſeq.
Non meremur eorum intueri faciem, ibidem 20.
S. Joannes Angelum quendam adorare voluit, & cur, ib. 21.
Virgines ſunt Angeli, 46, 6.
Ærumnæ & labores homines in Angelos transformans, 46, 7.
Ratio ob quam S. Stephanus in facie ſua Angelum repræſentarit, ib.
Sunt obedientes, 45, 5.
Cuſtodiebant B Virginem, & cur, 49, 4.

*Angelus Cuſtos.*

Deus nos valde honoravit, quando unum ex Paradiſi Principibus nobis ad cuſtodiam noſtram deputavit, 41, 1. & ſeq.
Dicitur Princeps noſter, ib. 5.
Nobilitat hominem ignobilem, ib. 6.
Æquivalet integro exercitui, ib. 12.
Eſt Gigas, ibid.
Homines per ipſos gigantes vincunt, Ib 14.
Abſque illo Dæmoni reſiſtere non poſſumus, ibidem.
Conſervat regna & civitates, ib. 15.
Concurrunt ad portandam animam ad cælum, ib 22.
Gaudium quod de noſtra ſalute habent, 43, 23, & ſeq.
Bonum noſtrum ſuum reputant, ib. 24.
Nobis dormientibus ipſi vigilant, ib 25.
Iram Dei non ſine lacrimis exequuntur, ibidem 26.
Deſiderium ſalutis noſtræ quod eſt in illis, eſt inexplicabile, ib 27.
Dolor quem nobis peccantibus habeant, ibidem 28.
Dum anima aliqua ad infernum truditur, Angelus Cuſtos illacrimatur, ib. 29
Si poſſibile eſſet, pro nobis morerentur, ibidem 30.

*Anima.*

Quid illam eſſe exiſtimarint Philoſophi, 37, 1.

## S. ANNA.

Summa ejus eſt gloria, quod Mater ſit Matris Dei, 32. & ſeq. per totum.
Gratia quam Deus illi præſtitit inexplicabilis eſt, ibid.
Anna interpretatur gratioſa, ibid.
Intelligitur per terram, ibid 2.
Fructum produxit admirabilem, ibid.
Adimpletur gloria, ibid 3.
Ornamenta ejus, ibid. 4.
Summa gloria ſua, ibid. 7.
Dicitur honor, & cur, ibid 8.
Quod ſi Mater Dei adeo alias honoravit mulieres quantum debuit Matri ſuæ honorem conciliaſſe, ibid. 9.
Summis laudibus digna eſt, 32, 10.
Angeli nedum homines ipſam laudare debent, Ibidem.
Omnes Creaturæ ipſi obligantur, ibid. 11.
A fructu cognoſcitur, ibid 12.
In gloria ſua parem non habuit, ibid.
Eandem cum divina filia ſua effigiem retulit, Ibid. 13.
Pulchritudo ejus, ibid. & ſeq.
Eſt Gazophylacium Dei, ibid. 14.
Sylva eſt, ibid. 15.
Genuit filiam millenis aliis filiabus æquivalentem, ibidem.
Eſt ſimilis arbori Cicaræ, ibid. 16.
Eſt leæna, ibid. 17.
Cur tot annis ſterilis fuerit, ibid. 19.
Excellentia ejus demonſtratur per excellentiam filiæ, ibid.
In utero ſuo eam habuit, quæ eum capere potuit, quem cæli capere nequeunt, 32, 20.
Intelligitur per ſymbolum Elephantis, & cur, ibid num. 2.
Magna eſt atque ſtupenda, & admiratione digniſſima, ibid.
Cælum in utero ſuo tulit, ibid. 23.
Beata fuit in terris. ibid. & ſeq.
In utero ſuo filiam habuit amictam ſole, calceatam Luna, & ſtellis coronatam, ibidem 24.
Cælum in uterum ejus deſcendit, ibid.
Una eſt ex portis per quas introitus eſt in Sancta Sanctorum, 32, 25.
Anna interpretatur miſericors, ibid.
Eſt domus Dei à SS. Trinitate inhabitata, ibid. num. 26.
Ornata omnibus virtutibus, ibid. 27.
Eſt Paradiſus, ibid.
Venter ejus aureus eſt, ibid. 28.
Circumdata fuit in partu ſuo Angelorum Choris, ibidem num. 29.
Particeps fuit Divinitatis, ibid 31.
Collocatur inter ſanctos novi Teſtamenti, & cur, ibid. 32.
Vidit & oſculata eſt Chriſtum Infantem, ibid.
Abundabat delitiis & cur, ibid 33.
In terra velut in cælo fuit, 32, 33.
Cur filia & non Mater Matris Dei dicatur, ibid. 37.
Gaudium quod in partu ſuo habuit, ibid. 36.
Cor ejus abyſſus gratiarum fuit, ibid.
Quicquid illa voluit, voluit quoque ſuus cum filia nepos Jeſus, ibid.
Theſaurum mundo peperit, 49, 1.

### *Apoſtoli.*

Sunt Civitas, 31, 8.
Admirabilis eorum dignitas, ibid.
Sunt totidem Chriſti, ibid.
Sunt Judices hominum & Angelorum, ibid. 10.
Formidini ſunt Dæmonibus, ibid. 11.
Chriſtus ſe parvum exhibuit, ut ipſos magnos faceret, ibid 12.
Intelliguntur per Aquilam, 37, 2.
Sunt horæ diei, ibid 10.
Sunt duodecim fontes Helim, 41, 4.
Sunt Patres, ibid. 12.
Sunt Chriſti, ibid. 29.
Dicuntur puſillus grex, & cur, 43, 3.
Pulchritudo eorum, 47, 3.
Sunt ſoles mundi, ibid. 10.
Crabrones, ibid. 30.
Pluſquam homines fuerunt, ibid. 21.
Sunt ornamenta cælorum, ibid. 25.

### *Aquila.*

Eſt ſymbolum Apoſtolorum, 37, 2.
Eſt Candelabrum Jovis, ibid.
Avis flammigera, ibid.
In excelſis nidum facit, ibid. 3.
Divina æſtimatur, ibid 4.
Vera pennas nigras habet, ibid 5.
In cælum recta volat, ibid. 7.

*Arbor.*

Cicara mirabilis eſt in fructu ſuo, 32.16.

*Argus.*

Plenus eſt oculis 41.26.

S. AUGUSTINUS.

Eſt inter Doctores ſicut ſol inter ſtellas. 38. 1. & ſeq
Poſt Apoſtolos ſibi parem non habuit Ibid.
Interpretatio nominis Auguſtinus ibid 2.
Suo lumine alii Doctores reſplendent. ibid. 3.
Sapientiæ ſuæ lumen à Deo habuit. ibid 4.
Nihil illi occurrit quod ſibi difficilè viſum fuerit. ibid. 5.
Ab hæreticis lupus dicitur. ibid.
Eſt filius lachrimarum ibid. 6.
Eſt filius divinæ matris. ibid. 7.
In ejus doctrina nemo facile errabit. Ib. 8.
Nemo in vita ſua legere poteſt, quod ille ſcripſit., 8. 9.
Poſt Apoſtolum nemo de divina gratia illo melius ſcripſit. ibid. 10.
Auguſtinus derivatur ab Auguſto, & cur. ibid. 11
Hæretici coram ipſo nequibant ſubſiſtere. Ibidem.
In nube quadam lucida, viſus eſt oculos habere ſolis ſimiles ibid.
Cur in manu ſua templum ferens pingatur. ibid. 12.
Quantum Eccleſiam juverit. ibid.
Fuit Gygas ibid.
Fuit Atlas. ibid.
Eccleſiam in manu portat, ut eam defendat. 38. 13.
Chriſtum ſecum habet. ibid. 14.
In nullum poteſt errorem incidere. ibid.
Eſt lingua Eccleſiæ. ibid. 15.
Eſt oculus Eccleſiæ. ibid. 16.
Alios obſcurat Doctores ibid 17.
Eſt Briareus Centimanus. ibid, 18.
Eſt monſtrum naturæ. ibid.
Ab Inferno eſt attactus in cælum. ibid 19.
Solus Eccleſiam in Africa defendit. ibid. 20.
Mille millenis Doctoribus æquivalet. ibid.
Nigro colore veſtitur, & cur. ibid. 23.
Pulchritudo animæ ejus 38. 22.
Eſt liquefactus in lachrimas, Ibid. 23.
Vix mortuus, ibid. 21.
Transformatus eſt infantem, ibid. 25.
Scripta ejus ſunt menſa ſolis. ibid. 27.
Eccleſia nunquam illi parem habuit, ibid 28.
Sedet ſuper omnes alios Doctores, ibid.
Ardet amore divino, & quanto, ibid. 29.
Auguſtinus derivatur à menſe Auguſto, ibid. 30.
Eſt plurimarum Religionum Patriarcha, ibid.
Ipſum præ oculis habentes peccare non poſſumus, ibid.
Eſt unus ex pueris fornacis Babylonicæ, 41. 1.
Cedit S. Hieronymo, 44. 22.

*Auguſtus Imperator.*

Noluit appellari Dominus, & cur, 31. 4.
Lumen quod ex ejus vultu emicabat, 38. 11.

*Aurora.*

Interpretatio nominis, 32. 18.
Eſt ſymbolum Virginis Deiparæ, ibid.
Eſt res pulcherrima mundi. 35. 10.
Eſt bajula diei, ibid.
Avibus ora & linguas ſolvit, ibid. 22.

*Aurum.*

Unde dicatur, 35. 13.
Veſtis B. V. in cælo aurea eſt, & cur, ibid.
Vas de auro Enalli, 44. 6.
Igne non diminuitur, ibid. 8.
Cælum eſt civitas aurea, & cur, 48. 6.
Eſt ſymbolum verbi æterni, 49. 3.

---

B.

S. BARTHOLOMÆUS

Apoſtolus.

Videtur animam habuiſſe igneam, 37. 1
Viſceroſiſſimus Dei amator fuit, Ibid & ſeq. per totum.
Aquila fuit. ibid 2.
Sanguine regio oriundus fuit, ibid.

Candelabrum aureum à Spiritu Sancto accenſum fuit Ibidem.
Cor in cælo habebat.Ibid.3
Dicitur divinus Ib.4
Ab amore divino Deus quidam factus eſt. Ibidem.
Capilli ejus nigri fuerunt, & cur.Ib 8
Fuit accenſa quædam fornax. Ib.
Aquila fuit in ſublime volans Ib.6
Recta ad cælum volavit.Ib 7
Dicitur Luſcinia. Ib.8
Cicada fuit.37.9
Semper ardebat. Ib.
Languebat præ amore. Ib 8
Centies de die & centies de nocte orabat Ib.9
Fuit myſtice ſexta diei hora.Ib.10
Cæteris Apoſtolis ardentior fuiſſe videtur. Ibidem.
Interpretatio nominis Bartholomæus.Ib.11.
Sol mundi fuit Ib.
Nunquam apud ipſum nox fuit.Ib.
Veſtes ejus nunquam inveteraverunt.Ib.
Vultum ſemper hilarem ac jucundum habuit. Ibid.
Paradiſus fuit floridus Ib.n.12
Fuit quidam Paradiſi factor.37.13
Faciem Dei referebat Ib.14
Transformatus in Deum fuit.Ib.
Lingua ejus ignea. Ib.15
Urebat Dæmonem.Ib.
Carne erat candida & veſte purpurea,Ib.16
Quidam videbatur eſſe Chriſtus.Ib.
Dominus fuit omnium quæ Dei erant Ibid.17
Pallium ejus Amethyſtis ornatum fuit Ibidem 19.
Cælum quoddam pulcherrimum fuit. Ib.20
Ibat cum Angelis.ib.
Decoriatus fuit, & cur?ib.21
Tormentum quoddam paſſus eſt , quod nulli aliorum unquam illatum fuiſſe legitur. Ibidem.
Veſte ſuæ pellis ſe exuit, ob immoderatum quo accenſus erat amoris æſtum,37.21
Pluſquam homo fuit,ib.22
Angelus corpore amictus.ib.
Excoriatus fuit ad oſtendendam internam ejus pulchritudinem.ib.23
Chriſto indutus fuit.ib.24
Pelle ſua ex collo ſuſpenſa prædicabat. Ibidem 25.
Verus Paſtor fuit.ib.
Mortuus eſt crucifixus, & cur.Ibid.26
Crucifixus eſt inverſo corpore, & cur. ibid.17
Tanto amore plenus fuit, ut non fuerit viſus homo.Ibid.
Seraphim fuit ib.18
Etiam ejus reliquiæ urunt.ib.29

*Beatitudo.* Vide Gloria Beatorum.

## S. BERNARDUS.

Non homo ſed Seraphim eſſe videbatur.26,1.& ſeq.
Pulcher in utroque homine fuit.ib.2
Interpretatio nominis Bernardi.ib.
In igne conſtitutus non arſit.ib,3.
Homo angelicus fuit. ib 4.
Cur tantam fecerit pœnitentiam ib.
Panis quo nutriebatur qualis ib 5.
Condimentum S.Bernardi quodnam,ib.
Dilectus Deo & hominibus.ib 6
Dulcedo linguæ ſuæ ib 7
Pictor ſermonis fuit.25.7
Intelligebatur ab Idiomatis ſui ignaris ib.
Interpretatio nominis Bernardi. ib 8 23
Accendebat corda hominum.ib.
Lingua Angelica loquebatur ib.9
Scripta ejus igneis ſcintillis ſunt plena.ib.
Nutritus eſt à B V.Ambroſia ib 10
Et vino calido ejuſdemmet virginis manu potatus. ib. 11
Guſtavit ſanguinem lateris Chriſti.ib.14
Chriſtus crucifixus ipſum eſt amplexatus.26 14
Nutritus amore ib.
Habitator pectoris Chriſti.ib.15
Sphæræ item ſolaris ib
Idem cum Chriſto effectus eſt ib.16
Semper puer fuit ib.17
Canticum in ejus in cælos ingreſſu decantatum, ibid.
Splendor ex ejus vultu emanans.ib.8
Per catalum candidum & ſemirufum præfiguratus.ib.19
Animam purpuream habuit, & cur.ib.
Qualiter S.Mechtildi demonſtratus fuerit. ibidem 20.
Exceſſus amoris ſui erga Deum 26.10
Igne illo uſtus , quem Chriſtus in terra attulit: ib.21

Sera-

Seraphim alatus fuit, Ibid. 22
In terris exiſtens totus in terra & totus in cælo fuit, ibid. 24
Ad mundana cœcus fuit, ib. 27
Ad perfectionem tam per naturalia, quam per ſpiritualia dona adjutus fuit, ib. 25
Gaudium ejus in converſione peccatorum, ib. 26
Vidit nudam divinam ſapientiam, ib. 27
Eſt Seraphim ille quem Iſaias carbonem in manu ſua tenentem conſpexit, 26 28
Sedet juxta Matrem Dei in ſede cæleſtis gloriæ, ib. 29

S. BONAVENTURA.

Ob admirabiles virtutes ſuas, quidam divinæ gratiæ partus eſſe videbitur, 29.1. & ſeqq per totum
Amabatur ab omnibus, ib.
Donum Spiritus Sancti, ib.
Miraculosè à morte liberatur, ib 2
Pater ejus dictus eſt Joannes, & cur, ib. 3
Non videbatur in eo Adam peccaſſe, ib. 5
Tanquam filius S. Franciſci, gratiæ filius erat, ib 6
Filius erat B. Virginis, ib.
Habitu S. Franciſci à gratia veſtitus fuit. Ibidem 9.
Summè literatis admirationi fuit, 29. 10
Brevi tempore factus eſt ſapiens, ib 11
Crucifixus erit præcipuus liber, unde ſtudebat, ib. 12
Habitabat in viſceribus Chriſti, ib 13
Parem ſibi in mundo non habuit, ib 14
Intelligitur per margaritam, & cur, ib. 15
Dulcedo linguæ ſuæ, ib. 15
Admirabilis ejus humilitas, ib 16
Infima non erubuit exercitia, ib. & ſeq.
Contemptor fuit honorum terrenorum, ibidem 18.
Nil præter cæleſtia quærebat, ib 19
Parvi fecit ea quæ mundus magni æſtimat, 29. 20.
Magnus fuit paupertatis amicus, ib. n. 21
Pontificatum ſibi oblatum reſpuit, ib. 23
Mirabilior erit S Joanne Baptiſta, ib.
Videbatur Angelus eſſe, ib. 24. & ſeq.
Altiſſimus erat per humilitatem, ib.
De ipſo nec peccatum legitur, nec aliqua peccati ſuſpicio, ib. 25
Seraphim erat, Ibid.
Qualis fuerit dum Cardinalis eſſet, ib.
Dilectus erat Deo & hominibus, 29. 26
Omnes ſe videntes in ſui amorem rapiebat, ib.
Myſticus quidam Adamas fuit, ib. 27.
Eccleſiam Romanam & Græcam inter ſe pacificavit, ib
Elevabatur in aëra, ib 28.
Lingua ejus correptionem neſcivit, 29
Videbatur aurea eſſe, ib.
Eloquentia & fervor ejus in loquendo, ib.
Cupidus vel unius guttulæ ſanguinis Chriſti, 36. 14.

*Bos.*

Symbolum eſt Prædicatoris, 33 1
Proprietates ejus, ib.
Ab Ezechiele viſus eſt transformatus in Angelum, ibid.
Cherubim habent faciem bovis, ib. 16

*Briareus.*

S. Auguſtinus fuit Briareus quidam centimanus, 38 18. 19.
Allegoria fabulæ, ib. 19.

---

C.

*Caput.*

Humanum cælum repræſentat, 40.

*Cardinales.*

Repræſentans Seraphinos, 29 25.

S. CATHARINA.

Ob inſignem animi fortitudinem non videbatur mulier eſſe, 50 1 & ſeq. per totum.
Liberaliſſima fuit, Ibid. 2.
Contemptrix propriæ pulchritudinis, ib. 3
Interpretatio nominis Catharina, ib. 6
Expurgata ab ambitione, ib. 4
Nunquam ſponſum ſuum deſeruit, ib. 7
Mulier campi, & non civitatis fuit, 50. 8.

Montem

Montem Sinai ſanctificavit priuſquam nata eſſet, Ibid. 10.
Depingitur cum enſe in manu, & cur, ibid. 12.
Stabiliſſima in fide Chriſti, ibid. 14.
Interpretatio alia nominis Catharinæ, ibid. 15.
Quinquaginta Philoſophos ad cælum attraxit, 50 15
Dicta fuit Hecatharina, ibid 16.
Poſt baptiſmum Dorothea nominata fuit, ibid.
Briatea, ibid
A Chriſto in periculoſiſſima loca repoſita fuit, ibid 7.
Terra ipſa digna non erat, ibid. 18.
Sepulta eſt in monte Sinai, ibid.
Viſa fuit eſſe Angelus quidam, 50 19.
Deus, & non Dea quædam judicata fuit, & cur, ibid 20.

*Cedrus.*

Materia fuit Crucis Chriſti, 40. 13.
Vita eſt mortuorum, ibid.
Licor quam ſtillat, ibid.
Arbor eſt altiſſima, ibid.
Symbolum eſt S Judæ Apoſtoli, 47. 1. & 14.
Rex eſt arborum, ibid 14.
Tota eſt & mera medulla, ibid. 18.
Animalia venenoſa illam fugiunt, 40. 18.
Plena eſt humoris ardentis, ibid. 23.
Vita eſt mortuorum, ibid. 25.
Arbor eſt, quia olim Diis ſupplicabant, ibid. 26.

*Charta.*

Facta ex arborum corticibus, 39 2.
Ex papyro, ibid 3.
Ex pelle animalium, ibid. 4.
Ex petiis linteis, ibid. 5.
Chartæ viſcera nivea dicuntur, ibid. 7.
Charta antiquorum & modernorum, ibid. 8.

*Cherubim.*

S. Petrus poſitus eſt in locum Cherubim cuſtodis Paradiſi, 26 15.
Depingitur in forma velociſſimi animalis, 28. 3.
Transformatus eſt in bovem, 33. 1.
S. Dominicus Cherubim quidam eſſe videtur, Ibid & ſeq.
Interpretatur immaculata pictura, ibid. 2.
Repræſentatur per gratioſum quendam puerum ibid. 4.
Deus delectatur in Cherubinis, & cur, 33. 5.
Sunt velociſſimi, ibid.
Pleni ſunt oculis, ibid. 10.
Illuſtrant corda noſtra, ibid. 11
S Paulus Cherubim fuit, ibid. 14.
Facti ſunt de auro martellorum ictibus, ibid. 15.
Habent faciem vituli, ibid 16.
Lachrimando evadimus Cherubim. ibid. 17.
Interpretatur pugnans, ibid. 19.
Pictus, ibid. 24.
Stant expanſis alis, & cur, ibid 23.
Chriſtus S. Franciſcum ſtigmatizaturus non accepit formam Cherubim, ſed Seraphim, & cur 45 8.
S. Lucas Cherubim quidam fuit, 46. 7.

CHRISTUS.

Quantum fuerit amatus à Petro 26. 1. & ſeq.
Fuit totum & omne bonum Petri, ibid. 12
Noluit proditorem ſuum prodere & cur. ibidem 11.
Quam dulcis ejus præſentia, ibid 13.
Qui illum conſpicit magnus eſt, ibid. 21.
Nihil eſt in mundo dulcius, amare Chriſtum & à Chriſto amari, ibid. 23.
Permiſit ut Petrus inciperet ſubmergi & cur, Ibid. 26.
Omnibus bonis ſuis in nos profuſis, ſeipſum quoque dedit nobis, 27. 13.
S. Paulo cor ſuum dedit, ibid.
Ipſum in Schola Paradiſi erudivit. ibid. 14.
Dicitur amor, & cur ibid 16.
In terram venit ut ignem adduceret, ibid 17.
Crucifixus liber eſt verorum literatorum. 29. 11
Fugit oblatam ſibi in deſerto coronam, & cur. ibid 20.
Ne quidem à ſublimiſſimis gloriæ ſpiritibus tangi potuit, 30. 2.
Cur ſe permiſerit tangi à Maria Magdalena, 30. 2.
Ineffabilis ejus excellentia, 31. 3.
Ipſi ſoli Domini nomen convenit, Ibid. 4.

Terribilis ejus majeſtas. Ibidem 14.
Repræſentatur à Cherubinis 33 21
S Dominicus, ita dicitur quod Chriſto ſimilis fuerit Ibid.
Ejus præſentia ærumnoſos lætificat. 34.14
Eſt flos campi, & cur 34.10
Turbis appoſuit hordeaceum panem, & cur. Ibidem 30
Eſt granum frumenti, & cur. Ib. 31
S. Bernardo ſanguinem ſuum adhibendum præbuit. 36 11
Pectus ejus habitaculum amoris. Ib. 15
Ignem in terram attulit, & cur. Ib. 21.
Fecit homines Seraphinos. Ib.
Eſt theſaurus noſter 37.3
Nihil eſt ipſo pretioſius. Ib.'
Extra ſolem non habitat. 38.14
Eſt lignum viride 39.2
Veſtis pulchritudinis. 39.2
Propter B. Virginem noſter eſt.
Liber eſt Ib. 28
Altitudo ejus admirabilis.
Depauperat & exſpoliat hominem oculis ſuis. 41.2
Eſt ornamentum Crucis. 40.19
Ab eadem Cruce eſt glorificatus Ib. 17
Oculi ejus ſunt magnetes quibus attrahuntur bona cæleſtia. 41 9
Ubi Chriſtus eſt, ibi cælum. Ib. 10
Solo obtutu ſuo hominem benignum efficit. Ib.
Oculi ejus homines prorſus in alios commutans ab iis qui fuerunt. Ib 11.
Paradiſum efformant. Ib. 14
Aſpiciendo hominem Angelum eum facit. Ibidem 16
Oculis S. Petro locutus eſt. Ib. 17
Fælicitas ejus qui illum aſpicit. Ib. 21
Illuminat. Ib. 25
Beatificat. Ib. 26
Oculi ejus glaciei, & cur Ib. 27
Dicitur manus Dei. Ib 31
Labia Dei. 42.21
Ut homo nobilitatur ab Angelis. 43.7
Eſt virtus noſtra. 45 5
Depingitur ab amore. Ib. 9
Veſtis ejus inconſutilis birretini coloris. Ib. 12.
Cingebatur chorda quadam Ib.
Chriſtiani ſunt Chriſti quædam effigi s. Ib, 18.
Depictus eſt à S Luca 46 11



Pulchritudo & decor vulnerum ſuorum. 47.7
Miniſtrat beatis in cælis. 48.7
Transfigurationem ſuam publicari noluit, & cur. Ibidem 13
Apertis brachiis nos in cælo exſpectat. Ib. 26

*Chriſtiani.*

Sunt Angeli 46.12

*Chryſolytus.*

Ad ſolem poſitus velut ſtella reſplendet. 40.3

*Cælum.*

Eſt ſchola Apoſtoli. 27 14
Velocitas ejus admirabilis. 28 8
Diſtantia cæli à terra. 28.15
Motus admirabilis firmamenti. Ib. 17
Pulchrius eſt intus quam foris. 47.12
Pulchrius eſt poſt B. V. in cælos ingreſſum 35. & ſeq.
Cælum unde dicitur. 37.20
Ornatur à Cruce. 37 19
Comparatur à pauperibus. 41.5
Deſiderium cæleſte theſaurus eſt. 48.22
Repræſentatur per corpus humanum. 40.6

*Columba.*

Cur ita dicitur. 16.1
Symbolum eſt S. Petri Apoſtoli. Ib.
Symbolum eſt amatoris Dei. Ib.
Hominis ſublimati ſymbolum quoque eſt. Ib.
Amat homines. 28.2
Velox in volatu Ib.
Defert literas. Ib.

*Columna.*

Symbolum humanæ altitudinis. 40.2
Crux in columna quadam erecta. Ib.

*Corona.*

Cur ſuper Coronam Crux collocetur. 40.3

## CRUX.

Super omnia à Deo eſt exaltata. 40 1.& ſeq.
Eſt cauſa exaltationis noſtræ. Ib.
A duobus Imperatoribus erecta eſt ſuper duas columnas, & cur, Ib 2.
Ratio cur fronti imprimatur Ib.
Coronis imponitur, & cur. Ib. 3.
Ante Chriſti mortem a Regina Saba in veneratione habita fuit, Ib.
Plantata eſt in monte Calvario, & cur? Ib. 5.
A fidelibus capiti eſt impoſita, 40 6
In cælo & non in terra eſſe debet Ib.
In fine mundi à Romanorum Rege coronabitur, & ſic exaltabitur in cælum Ib 7
Pomum quod fieri curavit Bonifacius VIII crucem deſuper habet Ib 8
Eſt cithara Davidis Ib 9
Angeli gloriantur in Cruce Ib 10
Deum terigis, quem Angeli contingere non audent. 40. 11.
Dicitur vitis, & cur. Ib. 12
Cedrus Ib. 13
Æternitas gloriæ Crucis Ib.
Altitudo ejus omnia ſuperat. Ib.
Sole pulchrior eſt Ib. 14.
Obſcurabit ſolem Ib.
Ipſa eſt locus ille in quo Deus plurima miracula fecit. Ib 15.
Gaudium lignorum ſylveſtrium ad conſpectum Crucis Ib 16
Glorificavit Chriſtum. 40. 17
Ornata eſt à Chriſto Ib. 19
Ornamentum cælorum. Ib.
Angeli illam ob oculos habent, & cur. Ibid 19.
Libertas eſt ſervorum Ib 20
Per Crucem à beſtiis differimus. Ib. 23.
Sapientia eſt inſenſatorum. Ib.
Cæli nobis pretium dedit. Ib 25
Clavis eſt Paradiſi Ib. 25
Baculus eſt claudorum. Ibid 26
Invincibiles & glorioſos nos efficit. 40. 27.
Currus eſt Martyrium Ib.
Defunctus in ſepultura Crux præfertur, & cur? Ibid. 28
Nos lætos mori facit Ib. 29
Lignum eſt quod indulceat deſerti aquas. Ibidem.
Eſt locus qui dicitur Crucis viſus. Ibid.
Eſt locus qui dicitur Crucis viſus, Ib.
Nos ab ignominia peccati expurgavit, Ib. 30
Nos Deo & Angelis familiares reddidit, Ibid. 31
Nos Angelos effecit, 40, 32
Mater eſt beatorum Ib 32
Euchariſtiam nobis dedit, Ib. 33

### *Crochlilus.*

Avis eſt, quæ veru infixa ſeipſam rotat & gyrat, 34, 27

---

## D.

### DANIEL.

A Leonibus reverentiam accepit, & cur 45, 18.

### *David.*

Cythara Davidis crucem ſignificabat. 40, 9.
Quid dixerit ad Goliath jam à ſe proſtratum. 42, 13.
Quicquid à Deo petiit obtinuit, 44. 16.

### *Dæmon.*

Cur dicatur eum non fuiſſe Seraphinum, 36. 18.
Uritur à noſtris orationibus, 37 15.
Facies peccatoris Dæmonem refert. 27. 18
Cur vincitur ab hominibus. 43. 14
Nequit ad Deiparam Virginem appropinquare. 45. 5.
Neque ad S. Franciſcum. Ib.

### *Deſiderium.*

Eſt rerum abſentium. 48. 23.
Gloriæ cæleſtis beatorum eſt theſaurus. Ib.

### DEUS.

Pulchritudo quacum ſe in cælis videndum exhibet. 26. 21.

Petrus

Petrus Apoſtolus videbatur Deus quidam, Ibidem 26
Beati facti ſunt Dii quidam. ib. 18
Amor hominem Deum facit, ib. 30
Deus ſanctos amore nimio & exceſſivo diligit, 27. 1
Zelus quo Deus divinitatem ſuam proſequitur, ib. 6
Amor noſter amore divino comparatus glacies eſt. ib 16
Quantum ab Apoſtolo amatus fuerit, 27. 16
Ira qua adverſus peccatum furit, 30. 4
Quod ſi ſuper Cherubim ſedeat, quomodo ſupra ſtellas ſedere dicitur, 33. 6
Ratio ob quam adeò in Cherubim delectetur, ib. 8.
Ex amore hominis factus eſt homo, 37. 14
Pulchritudo divina, 39 10
Divitiæ divinæ, 42 14
Domus ejus vaſis plena eſt, 44. 1
Quicquid magnum & ſingulare eſt, Deo attribuitur, 44. 22
Amando Deum Dii ſimus, 45. 2
Confundit humanam ſuperbiam & quomodo, 47 20
Quantum ſit delectabilis, 48. 2
Circumdat cælum, ib. 3
In cælo Rex dicitur, & cur, ib. 22
Debitor eſt B. Virginis, 49. 20

*Divitiæ, Divites.*

Viſcus ſunt hominem corripiens, 46 3
Menſæ divitum, menſæ ſolis dicuntur, & cur, 38. 27.
Dicuntur Dii, 42 14
Sunt mera paupertas, 41 5
Deus in cælo dives eſt & cur, 48 22
Conducunt in Infernum, 49. 15

*Doctor.*

S Paulus Doctor fuit hominum & Angelorum, 27 26
Doctoratus in famoſa quadam univerſitate aſſumptus, præfertur aliis alibi aſſumptis Doctoratibus ib. 14
Qui actualiter legit aut docet, aliis præfertur, ib 15.

## S. DOMINICUS.

Qui videt S. Dominicum dicere poteſt ſe videre Cherubim quendam carne veſtitum, 33. 1. & ſeq per totum.
Explicatur ſub ſymbolo bovis, ib.
Interpretatio nominis Dominicus, ib.
Ab omnibus amabatur, ib. 2
Pulchritudo ejus interna & externa, ib.
Pictura pulcherrima fuit divinis manibus elaborata, ib.
Splendor vultus ejus, 33. 3
Gratioſus fuit ſua pueritia, ib. 4
Semper puer, id eſt, purus manſit, ib. 5
Adam in eo videbatur non peccaſſe, ib.
Præmonſtratus eſt per catulum faculam ore ferentem, ib. 7
Zelus ejus pro fide Chriſtiana, ib.
Quam velociter factus ſit ſanctus, 33. 8
Vixit vitam Angelicam, ib. 9
Zelus ejus pro ſalute animarum, ib. 10
Plenus oculis, veluti Argus quidam, ib.
In unico temporis inſtanti vidit omnes diſcipulos ſuos in mundo diſperſos, ib.
Fervor prædicationum ſuarum, ib. 11.
Piſci lucernæ ſimilis fuit, ib.
Illuſtrabat corda, ib.
Erat totus Dei ib. 12.
Interpretatio alia nominis Dominicus, 33 12
Crucifigebatur continuò, ib.
Nihil à Deo petiit quin obtinuerit, ib. 13.
A S. Paulo factus eſt Cherubim, ib. 14.
Adeò purus fuit ut alios purificaret, ibid. 15.
Faciebat pœnitentiam ut fieret Cherubim, ibidem.
Martyr æſtimari debet, ib. 16.
Ratio cur adeò copioſè fleverit, 33. 17.
Profunditas literaturæ ſuæ, ib 18.
Magiſter fuit Sacri Palatii, ib.
Terribilis fuit adverſariis ſuis, ib 19.
In terra exiſtens ſimul in cælo erat, ib. 20.
Vultu ſemper læto erat, ib.
Vidit Deum facie ad faciem. ib.
Videbatur eſſe Chriſtus quidam depictus, ibid. 21.
Dictus eſt Dominicus, quia Chriſto erat ſimilis, 33. 22.

Eccleſia non celebrat deinceps feſtum ejus quinta Auguſti. & cur. Ibidem 22.
Filius fuit Deiparæ Virginis. Ibid.
Sæpe elevatus fuit in aëra, & cur. ib. 23
Semper virgo fuit ib. 24
Luxurioſos caſtos faciebat ib
Nomen Dominicus, nomen eſt Angeli, 33 25.
Item nomen eſt eorum, qui de ſtirpe ſunt Chriſti ibid.
Angeli ei miniſtrarunt, ib.
Januis clauſis Eccleſiam intravit, ib. 26
Omnium aliorum ſanctorum dona in ſe habuit, 27.
Pandora fuit, ibid. 27
Filius Dei fuit. ib 27
Fuit unus ex tribus pueris fornacis Babylonicæ, 45. 1


E.

*Elephas.*


Animal eſt grande & ſtupendum. 32 22
Nobilitas ejus conſiſtit in ebore, Ibid.
Dicitur Lucas, & cur, 46. 20.


ELIAS.


Multiplicatus eſt in Eliſeo, 45. 14.


*Epicurus.*


In horrendo quodam morbo exiſtimabatur beatus, 34 26
Deditus fuit voluptatibus ſenſualibus, ib.
Quid dixerit moriens, ib.


*Eucharistia.*


Hanc à Cruce Chriſti habemus. 40. 33.


F.

*Felix.*


Totius mundi feliciſſimus eſt qui infeliciſſimus reputatur, 34. 21.


*Filii:*


Boni ſunt matrum ſuarum ornamentum, 32. 4
Debent Patribus aſſimilari, ibid. 13.


*Fons.*


Unde nomen ſuum ſortiatur, 35. 6.
Fons Scotiæ miraculoſus, 41. 4.
Fons Cadmi prodigioſus ibid. 18.


S. FRANCISCUS.


Gratia Dei, 29. 6.
Liber è quo ſtuduit, crucifixus fuit, ibid 12.
Eſt Angelus à S. Joanne in Apocalypſi viſus, 33 9
Qui illum ſemel vidit, dicere poteſt ſe Chriſtum de novo de cælo deſcendentem vidiſſe, 45 1 & ſeq. per totum.
Intelligitur per quartum qui viſus eſt cum tribus pueris fornacis Babylonicæ, ib.
Magnus amor ejus erga Deum, 45. 2
Transformatus in Deum fuit, ib.
Habebat Chriſtum in corde, ib. 3
Amor ſuus eſt ſtigmatum ſuorum cauſa, ib.
Chriſtum inter brachia habuit, ib. 4
Eſt ſpeculum Chriſti, ib. 5
Contemplando transformabatur in Deum, ibidem 6
Mutabatur in virum alterum, ib.
Ratio ob quam adeò mortificatus vixerit, ibidem 7.
Color veſtium ſuarum idem erat qui veſtium quibus mortui induuntur, 45 7.
Chriſtus illi S. Stigmata impreſſurus, in forma Seraphim alicujus ei apparuit, & cur. Ibidem. 8.


Pretio-

Pretioſus tapes acu pictus fuit, Ib. 9.
Angelus qui ſtigmata illi impreſſit, non fuit Angelus, ſed Chriſtus in forma Angeli id fecit, Ib. 10
Veſtis S. Franciſci refert Crucem, Ib n. 11
Semper Crucifixus vixit, Ib.
Veſtiebatur eodem colore quo tincta erat veſtis Chriſti, 45, 12
Chorda quadam cinctus eſt, uti Chriſtus, Ibidem.
Vidit Deum facie ad faciem, Ib. 13
Poſtquam S Franciſcus vulnera Chriſti habuit, erant quaſi duo Chriſti, Ib. 14
Simulachrum Chriſti inimitabile fuit, Ibidem 15
Deo & quoad animam & quoad corpus ſimilis fuit, Ib. 16
Stigmata ejus à ſancto Paulo prævisa fuerunt, Ib. 17
Apud Deum tanti valuit, quanti omnes alii ſancti, 45, 18.
Canonizari poteſt perfectus Regulæ ſuæ obſervator, Ib. 19
Quanta cum proprietate Chriſtum repræſentarit, Ib. 2
Ut Chriſtum videret, ſufficiebat ſi ſemetipſum aſpiceret, Ib 21
Videns Franciſcum Chriſtum videbat, Ib.
Poſt mortem ſuam à quodam Fratre Minore viſus eſt, Ib 22
In cælo eſt in pectore Chriſti, 46, 22
Magnus ejus honor eſt Chriſto eum ſimilem eſſe, Ib. 23
Prophetizatus eſt à Moyſe, Ib. 25
Chriſtus quidam vocari poteſt, Ib. 27
Creaturæ ei obediebant. Ib 28
Corpus ejus cælum quoddam eſſe videbatur, Ib 19
Locum inter Seraphinos habuit, 45, 29
Intercedit pro nobis, vulnera Chriſti Deo exhibendo. Ib. 30
Dæmon ei appropinquare non potuit, 49, 5
Jacobam devotam ſuam Jacobum, non Jacobam vocabat, & cur, 50, 10

## G.

### *Gloria Beatorum.*

Deus Beatis aliud non loquitur quam *Ama me*, 26, 22
S. Paulus in terra exiſtens beatus fuit, 27, 10
Spelunca M. Magdalenæ quidam beatorum Paradiſus eſſe videbatur, & cur, 30, 22
Eſſe nequit ſine amore, Ib.
Ex auro conſtat, & cur, Ib.
Quid ſit gloria quam beati decantant, Ib.
Eſt Cœna magna, & cur, 31, 19
Eſt ſimilitudo Dei, 32, 31
Quidnam dulcedo beatitudinis operetur, 34, 5
In cælo unicus tantum dies eſt, Ib. 6
Surſum in cælo ignoratur quid nox ſit, Ib.
Pulchritudo Cæli Empyrei, Ib. 19
Cælum à ſecuritate ſeparari nequit, 34, 23
Conſiſtit in ſimilitudine divina, Ib. 31
Quo plures animæ gloriam cæleſtem ingrediuntur tanto magis augetur, 35, 14
Cælum plenum eſt gaudio, Ib. 15
Via ejus ſtricta eſt, 37, 25
Eſt civitas grandium, 42, 1
Beati ſunt totidem Chriſti, 45, 13
Divitiæ Cælorum, 48, 22
Bona cæleſtia inexplicabilia ſunt, 48, 1
Panis beatorum qualis & quam dulcis, Ib. 2
Excellentia illius regni, Ib. 3
Eſt civitas aurea, 48, 6
Beatorum menſæ Chriſtus miniſtrat, Ibid. 7
Materia Coronæ gloriæ, Ib. 8
Facit hominem oblivisci omnis terrenæ pulchritudinis, Ib. 9, 10
Pulchritudo terrena fæx eſt pulchritudinis cæleſtis, Ib.
Continet in ſe omnem pulchritudinem creatam, Ib 11
Corona ejus ex Topazio, Ib 11
Splendor animæ alicujus glorioſæ, aut corporis glorioſi, Ib. 12
Bona ejus incredibilia ſunt, 48, 13
Beati ſunt gigantes, Ib. 14, 4

Sunt violenti, & cur, Ib.
Aliud quoddam cælum, & aliam terram facere potuerunt, Ib.
Includit in ſe omnem fælicitatem, Ib 15
Eſt denarius, Ib.
Beati adeo ſunt læti, ut ipſamet dicantur eſſe lætitia, Ib. 16
Lætitia beatorum compræhendi nequit, Ibid. 17, 18
Beati ſunt Dii, Ib. 14
Deſiderium bonorum cæleſtium eſt theſaurus, 28, 23
Deus in cælis vere dives, Ib. 22
Pretium quo à ſanctis comparatur, Ib. 24
Datur pro nihilo, Ib. 25
Eſt terra deſiderabilis, Ib.

*Gratia Divina.*

Neſcit tarda molimina, 28, 7
Maria Virgo dicitur gratia, & cur, Ib.
Rationes ob quas gratia pupilla dicitur, Ibidem 8
Facit humiles, 29, 8
Eſt charitas, Ib. 9
Facit vere literatos, Ib. 10
Diverſitas inter opera Naturæ & gratiæ, Ibidem 11
Intelligitur per manna, Ib. 17
Facit homines amabiles, Ib. 26
Nos efficit adamantinos, Ib. 27
Nos aureos efficit, Ib. 29
Eſt Sol in anima noſtra, 46, 24

---

## H.

*Herculis.*

Fortitudo ejus in eloquentia conſiſtebat, 27, 22
Homines lingua ſua attrahebat, Ib.

*Hiacynthus.*

Tria ſignificat, ſcilicet Juvenem, florem, & lapidem pretioſum, 47, 12
Gemma eſt non omnino clara, nec prorſus obſcura, Ib.
Symbolum eſt S. Simonis Apoſtoli, Ib.
Symbolum eſt cæli, 28, 9
Calcei Matris Dei ex Hiacyntho, 28, 9

S. HIERONYMUS.

Vas admirabile à Deo factum, 44, 1, & ſeq. per totum.
Eſt figuræ ſphæricæ per internam pulchritudinem, Ib. 2
Hieronymus interpretatur Viſio pulchritudinis, Ib.
Contrarius fere omnibus ſui temporis hominibus, Ib 3
Pœnitentia ejus, Ib.
In hoc ſolum quæ extreme neceſſaria ſunt quæſivit, Ib.
Vas ſuperius apertum, clauſum inferius, 44, 4
Præter cælum nihil cogitabat, Ib.
Vas ſolis quod Jovis ritus dicitur, Ibidem 5
Lætificavit mundum, Ib.
Vas aureum, Ib. 6
Ab amicis & inimicis perſecutionem paſſus, Ib. 7
Patientia ejus, Ib 8
Vidit Deum facie ad faciem, Ib. 9
Vas terreum ſine terra, Ib. 10
Hieronymus, id eſt, ſanctus, Ib.
Aſſiduus in contemplatione & oratione, 44, 11
Vas admirabile, Ib. 12, & ſeq.
Vas obſcurum & lucidum, Ib. 14
Nemo illi potuit comparari, Ib.
Quicquid à Deo petiit, obtinuit, Ib. 16
Ter magnus fuit, Ib. 17
Sufficienter laudari nequit, Ib.
Publicum fuit totius Eccleſiæ oraculum, Ibidem 18
Vas Tantali, 44, 19
Fons potius quam vas, Ib.
Vas inæſtimabile, Ib. 20
Interpretatio nominis Hieronymus, Ib.
Non habuit ſibi æqualem, Ib. 21
Inviſus potius quam imitabilis fuit, Ibidem 22
Æqualis S. Joanni Baptiſtæ, Ib.

Poſt mortem ſancto Auguſtino apparuit, 48, 18

*Hiſpania.*

Ad Chriſtianam fidem à ſancto Jacobo Apoſtolo converſa, 31.24
Magna eſt propter eundem Apoſtolum, Ibidem 25
Interpretatur pretioſa, Ib. 26

*Homerus.*

Quomodo à Platone depictus, 39, 21

*Homo.*

Deus in terram venit, ut ex hominibus Seraphinos faceret, 36, 21
Per Crucem à beſtiis differt, 40, 23
Et eſt invincibilis, Ib. 27
Nomen ignominioſum, 40, 30
Quantum ſit exaltatus à Deo, 43, 1
In comparatione Angelorum eſt ignobilis, 43, 3
Caro ejus ex bitumine, 44, 13
In anima Deo ſimilis eſt, in corpore vero beſtiis, 45, 16
Nobilitatus in gloria cæleſti, 48, 5
Maria Virgo homo dicitur, & cur, 49, 7
Habet perfectiones omnium animalium, Ibidem.
Dicitur dies, 50, 13

*Honores.*

Contempti per divinam gratiam, 29, 18
Quam ſint exiles & modici, Ib. 19

*Humilitas Humilis.*

Eſt via compendioſa ad Paradiſum, 16, 20
Naſcitur à divina gratia, 29, 8
Summa humilium altitudo, 29, 24
In cælo non ſunt alii quam humiles, 42, 8
Decorat animam, Ib.

# I.

*Iacob.*

Non videbat imminens ſibi periculum, 26, 5

## S. JACOBUS MAJOR.

Ex geſtis in vita & poſt mortem dignoſcitur dignus, qui Magnus vocetur, imo Major inter magnos dicatur 31, 1, & ſeqq per totum.
Nobilitas ſanguinis, Ib. 2
Frater Chriſti, Ib. 3
Dicitur Dominicus, Ib. 4
Mater ejus dicta eſt Maria, & cur, Ib. 5
Filius ſtellæ alicujus, Ib.
Per interceſſionem Matris quæſivit primos in Regno Chriſti honores, & cur, 31, 6
Mater ejus honorata à Chriſto, Ib.
Interpretatio nominis Jacobus, Ib. 7
Sanguine & virtutibus nobilis, Ib. 6
Magnus fuit, quia mundum pedibus ſubjecit, Ibid. 7
Et quia Apoſtolus fuit, Ib. 8
Magnus eſt quia magnos judicat, 31, 10
Dæmonibus formidini fuit, Ib. 11
Virgo fuit, Ib. 13
Chriſto fuit familiaris, Ib. 14
Præ aliis à Chriſto honoratus fuit, Ib. 15
Quia magnus erat magna poſtulabat, Ib. 16
Res difficiles faciles æſtimabat, & cur, Ib. 17
Prothomartyr eſt inter Apoſtolos, Ib. 8
Alii Apoſtoli parvi erant, cum ipſe eſſet magnus, Ib. 20
Decapitatus fuit, & cur, Ib. 21
Quaſi magnus mons quidam fuit, Ib. 22
Exoſus fuit Judæis, Ib.
Cur dictus ſit Jacobus, Ib. 23
Magnus fuit ob amoris magnitudinem, Ibidem.
Per diſcipulos ſuos Hiſpaniam convertit, Ibidem 24
Hiſpaniam magnam fecit, Ib. 25

Sepul-

Sepultus magnifice, Ib. 46
Siniſtram Chriſti, quæ viventi denegata eſt, poſt mortem accepit, Ib 27
Sepultus Compoſtellæ, & cur, Ib. 28
Sepultus in ſepulchro magno, quia magnus erat, Ib.
Sol mundi fuit, Ib. 29
Homines ad ſepulchrum ſuum trahit, Ib.
Vera ejus magnitudo in cælo apparet, Ib.
Intelligitur per Chalcedonium, Ib.

*Ignis.*

Horret ſeparationem, 26, 5
Mulier eſt ignis, 36, 5
Semper ſurſum tendit, Ib. 6
Paradiſus in igne plantatus, 37, 12
Omnia in ſeipſum transformat, Ib. 13
Lumen coloris ignis, 37, 16
Veſtitus panno quodam purpureo, Ib. 17
Plus omnibus poteſt, 41, 11

*Inquiſitores.*

Sunt Cherubini, 29, 3
Nomen hoc Angelis attribuitur, Ib.

*Invidia.*

Vitium eſt Medicorum, 46, 25
Ubi habitet, Ib.
Huic vitio ſanctus Lucas locum unquam dedit, Ibidem.

J O B.

Nobilis eſt ob deſcenſum ſui ab Abraham, 31, 2

S. JOANNES BAPTISTA.

Cur magnus dicatur, 20, 21

S. JOANNES EVANGELISTA.

Unde habuerit tantam ſapientiam, 39, 18, & 19

I S A A C.

Ex Matre & Patre ſterilibus natus, & cur, 29, 3

S. JUDAS APOSTOLUS.

Laudatur ſub ſymbolo Cedri, 47, 1, & 14, & ſeq per tot.
Servum Chriſti ſe vocando Regem ſe nominat, Ibidem.
Frater Chriſti, Ib. 15
Humilitas ejus, Ib.
Magnus fuit, Ib
Interpretatio nominis Judas, Ib. 16
Rationes ob quas leo dicitur, Ib.
Dicitur Lebbæus, & cur, Ib.
Totus Cor fuit, Ib.
Inimicis ſuis ignovit, 47, 18
Famoſus in ſanctitate, Ib. 19
Carabro fuit, Ib. 20
Pellebat Dæmones, Ib.
Plus quam homo fuit, Ib. 21
Videbatur quidam eſſe Chriſtus, Ib. 22
Imo Deus quidam eſſe videbatur, Ib.
Interpretatio nominis Thadæus, Ib.
Adeo Deum amabat, ut bulliens quædam Chaldaria eſſe videretur, Ib.
Miſſus eſt à Chriſto ad Abagarum Regem, 47, 24
Vultum ſplendentem habuit, Ib.
Urebat Dæmones, Ib.
S, Bernardus ſepeliri cum reliquiis ſuis voluit, & cur, Ib. 25

*Judas Traditor.*

Illum ſanctus Petrus dilaceraſſet, ſi proditionem ejus intelligere potuiſſet, 26, 11

---

L.

*Lac.*

Efficacia lactis, 36, 13
Lac Junonis Herculem Deum fecit, Ib.

S. Lucas eſt lac, 46, 6,

*Lachrimæ.*

Fundendæ ſunt, non propter Infernum, ſed propter Deum offenſum, 26, 13,
Sunt teſtimonia amoris, ibid.
Signum cordis vulnerati, ibid.
Naſcuntur è corde bulliente. ibid.
Faciunt ex hominibus Cherubinos, 33, 17,
Mitigant dolorem, 30, 18,
Paſcunt animam, ibid. 21,
Et cælites paſcunt, ibid.
Ab anima liquefacta emanant, ibid.
Decorant animæ faciem, ibid.
Genuerunt S. Auguſtinum, 38, 6,
Purgant & decorant faciem animæ, 33, 17,
Animam pœnitentis ſole pulchriorem reddunt, 38, 22,

S. LAURENTIUS.

Eo tempore quo in terris exiſtens ærumnabatur & laborabat, inter beatos in cælo eſſe videbatur, 34, 1, & ſeqq per totum.
Mater ejus patientia dicebatur, & cur, ibid. 2.
Utrumque pedem in cælo habebat, ibid.
Tormenta ipſi videbantur eſſe juge convivium, ibid.
Incendium illi refrigerium eſſe videatur & cur, ibid
Intelligitur per laurum, ibid 4, & 11,
Interpretatio nominis Laurentius, ibid.
Semper lætus erat, ibid.
A Tyranni furore offendi non poterat, ibid.
Fulcrum erat Sixti Pontificis, ibid.
Excellentia Perſonæ ſuæ, ibid. 5.
Tenebras nunquam cognovit, 34, 6,
Cor in cælo habebat, ibid. 7,
Sub tormentis beatus erat, ibid. 8,
In igne exiſtens in Paradiſo erat, ibid. 9,
Ridebat Tyrannum & cur, ibid. 10,
Plenus fuit amore Dei, ibid. 11,
Ignis illi glacies videbatur & cur, ibid.
In cælo potius quam in terra erat, 34, 11,
Non timebat mortem & cur, ibid. 12,
Non curabat ignis uſtulationes, dummodo Chriſto frueretur, ibid. 13,
Vulneratus cælum quoddam erat, ibid 14.
Craticula illi videbatur eſſe locus quietis. ibid. 15.
Pœnas gloriam reputabat, ibid.
Stabilitas ejus in confeſſione Chriſti, 34. 16,
Non correſpondendo Tyranno, in cælo ſe eſſe oſtendebat, ibid. 17,
Patiens fruebatur viſione Chriſti, ibid. 20,
In carcere exiſtens in Paradiſo erat, ibid. 19,
In tormento fæliciſſimus erat, ibid 21.
Facies ejus, uti facies Moyſis reſplendebat, 34, 22.
De beatitudine ſecurus erat, ibid 23,
Interpretatio alia nominis Laurentius, ibid.
In Craticula vultum Angelicum habebat, ibid. 24.
Tormenta ſummæ beatitudinis loco habebat, ibid.
Stomachum novum habebat, & cur, ibid. 26.
Ratio cur in craticula verſari voluerit, 34, 25,
Erat Piſus magnus, ibid. 8,
Ab amaritudine trahebat dulcedinem, ibid.
Dum torreretur ſuavi Eccleſiam replebat odore, ibid 29,
Nutriebatur nectare, ibid.
Imago Chriſti fuit, ibid 31,

*Laurus.*

Symbolum eſt S. Laurentii, 34, 4,
Nequit a fulmine lædi, ibid.
Eſt ornamentum domuum, ibid.
Eſt baculus ſenum, ibid.
Semper eſt viridis, ibid.
Plena eſt igne, ibid.

*Leo.*

Unicum tantum Leonculum generat, qui mille aliis æquivalet, 31, 17,
Judas interpretatur Leo, & cur, 47, 16.
In partibus anterioribus cæleſtis, in poſterioribus verò terreſtris, ibid.

*Liber.*

Mundus plenus eſt libris, 39, 1,
Mater Dei eſt liber, ibid. & ſeq. per totum.
Liber è quo ſtuduit S. Antonius Abbas, ibid.

Olim ex arborum fiebant corticibus, ibid. 2.
Fiebant etiam ex Papyro, ibid 3.
Ex pellibus quoque animalium fiebant, ibid. 4.
Differentia inter librum & codicem, 39, 9.
Libri mirabiliter ſcripti, ibid
Libri ſacri communiter ſunt gemmis obſepti, ibid. 10.
Liber Commentariorum Cæſaris ab undis ſalvatus, ibid. 16.
In cælo non ſunt neceſſarii, ibid. 31.

*Libertas.*

Eſt maximum mundi bonum, 41. 7.

*Licurgus.*

Imagines Deorum prohibuit, & cur, 45. 24.

*Lingua.*

S. Auguſtinus eſt lingua Eccleſiæ, 38. 15.

*Literæ Literati.*

Magis acquiruntur per gratiam divinam, quam per ingenium & ſtudium, . 9, 10
Nonnunquam homines illiterati ſunt ſapientiſſimi, ibid 12.
Familiaritas Dei hominem literatum efficit. 29. 12.
Crucifixus eſt verorum literatorum liber, ibidem.
Defendunt Eccleſiam, 38, 15.

S. LUCAS.

Semper lux quædam fuit, 46. 1. & ſeq. per totum.
Ethymologia nominis Lucas, ibid.
A puero omnes ſcientias didicit, ibid. 2.
Medicus fuit excellens, ibid. 4.
Sol fuit, ibid.
Intelligitur per vitulum, & cur, ibid 5.
Fiat Virgo, ibid 5.
Fuit Cherubinus ab Ezechiele viſus, ibid. 7.
Laboravit continuo, 46, 7.
Eſt Angelus qui volat per medium cæli, ibid. 8.
Socius & comes fuit S. Pauli, ibid. 9.
Ardebat amore divino, ibid.
Pictor fuit imaginum Chriſti & B. Virginis, ibidem 11.
Duas facies habuit, & cur, ibid. 12.
Intelligitur per Janum, ibid.
Lætificavit mundum, ibid 13.
Homines ex Dæmonibus Angelos effecit, 46, 12.
Amabat ſolitudinem, ibid 14.
Intelligitur per tertium flumen Paradiſi, ib. 15.
In ſuo Evangelio aliis Evangeliſtis fuſior eſt & copioſior, ibid.
Intelligitur per lac, & cur, ibid 16.
Perſpicuus eſt valde in iis qui ſcripſit, ibid.
Prædicavit in Ægypto, & cur, 46, 19.
Famoſus per Evangelium, ibid. 20.
Interpretatio ſui nominis, ibid 22.
Trahebat homines ad cælum, ibid. 22.
Vixit ſine peccato. ibid 23.
Nunquam obſcuravit animam ſuam, ibid. 24.
Procul a vitio invidiæ fuit, ibid 25.
Non eſt mortuus Martyr, quia nullus erat qui eum occideret, ibid. 26.

*Luna.*

Eſt velocior inter Planetas, ibid. 28, 12.
Eſt ſymbolum Eccleſiæ, 35, 23.

*Lupus.*

Conſecratus eſt ſoli, 38, 5.
Vides in tenebris, ibid
Hæretici S. Auguſtinum lupum vocabant. ibid.

*Luſcinia.*

Symbolum eſt S. Bartholomæi Apoſtoli, 37. 8
Dicitur Philomela, & cur, ibid.

*Lux.*

Symbolum velocitatis B. Virginis, 28, 21.
Socia ſolis, 46, 9. ſine ipſa deformis eſt mundus, ibid. 12. Eſt Bajula lætitiæ, ibid. 13.


M. MA

## M.

*Magnus.*

Virtus hominem magnum facit, 27, 1.
Sancti paulatim magni fiunt, Ibid.
S. Paulus ſubito factus eſt magnus, Ibid.
Majus eſt judicare magnos, quam magnum eſſe, Ibid 27,
Quibus de cauſis Romani Magni nomen alicui tribuere conſueverint, 31, 1.
Nobilis, & Magnus eſt idem in re, Ibid 2,
Magnitudo Dei eſt inexplicabilis, 31, 3.
Magni magna requirunt, Ibid 16.
Magnis facilia ſunt ea quæ difficilia reputantur, Ibid. 17.
Magnitudo mundana non eſt magnitudo, Ibid. 20.
In cælo omnes ſunt magni, Ibid 20, & 42, 1,

*Manna.*

Symbolum eſt divinæ gratiæ, 29, 17.
Cibus eſt Angelorum, & cur, 44, 28.

*Margarita.*

Ejus proprietates applicantur S. Bonaventuræ, 29. 15.

MARIA *Virgo Deipara.*

Stupenda ſollicitudo quacum nobis ſuccurrit, 28, 1 & ſeq per totum.
Portatur à Cherubinis, Ibid. 13.
Volat inſtar Columbæ, Ibid 2.
Dicitur ſtella & cur. Ibid 4.
Eſt ornamentum utriuſque Eccleſiæ, Ibid.
Mutavit tempora Ibid.
Dicitur gratia, Ibid 7,
Rationes ob quas Cælum dicitur, Ibid 8.
Eſt alti ſſima mundi Creatura. 28, 8.
Innumeris virtutibus ornata, Ibid.
Primogenita operum Dei, Ibid.
Calceata Hiacynthis, Ibid 9.
Habet calceos è materia cæleſti, Ibid.
Rationes ob quas Luna dicitur, Ibid 10.
Habet Lunam ſub pedibus & cur, ibid 11.
Medium eſt Eccleſiæ, Ibid 13.
Crater torpatilis dicitur, & cur, 28, 13.
Cur dicatur gigas, Ibid. 14.
Panem calidum de cælo in terram tulit, Ibid 15.
Rationes ob quas dicitur Firmamentum, Ib 17.
Cur in terris in pedes erecta conſiſtat, Ibid 19.
Tranſit per mare, Ibid.
Non relinquit pedum ſuorum veſtigia, Ibid 20
Eſt navis velis remiſque procedens, Ibid. 20.
Proponitur ſub ſymbolo Lucis, & cur, Ibid 22.
Cur ſtare dicatur, quæ ad dexteram filii ſedet, Ibid. 23.
Precibus ſuis Petrum è carcere liberavit, Ib. 24.
Eſt currus Dei, Ibid
Quid de auro ſibi à Magis oblato fecit. Ibidem 24.
Imitatores illius, filii ejus ſunt, 29, 7.
Dicitur filia Regis, & cur, Ibid. 22.
Fructus excellens, medicinalis, & magnus eſt, 32, 2.
Eſt gloria terræ, Ibid 3.
Eſt ornamentum S. Annæ matris ſuæ. Ibid. 4.
Eſt ornamentum terræ, Ibid.
Item Stellarum, Ibid 5.
Similem ſibi in mundo non habuit, Ibid. n. 7.
Filia honoris, 31, 8.
Summum mulierum decus & honor, Ibid. 9.
Filia eſt millenis aliis filiabus æquivalens, Ibid, 17. & ſeq.
Filia eſt matris ſterilis, & cur, Ibid. 19.
Dicitur collum, & cur, Ibid 22.
Cælum, & cur, Ibid. 23.
Aurora, & cur, Ibid 28.
Laudatur ab Angelis, Ibid.
Inauravit matris ſuæ uterum, 32, 18.
Circumdatur ab Angelis, Ibid. 31,
Filia eſt gratiæ, Ibid. 37.
Naſcens lætificavit beatos, Ibid 36.
Dicitur mater gratiæ, & cur, ibid. 23.
Vult quicquid, vult Anna. ibid. 38.
S. Dominicus eſt filius ejus adoptivus, 33, 12.
Dedit habitum Patribus Prædicatoribus, ibid.
Aſſimilatur ſoli, & cur. 35, 2.
Maria, id eſt, illuminatrix. ibid 2.
Illuminat homines in terra & Angelos in cælo. ibid 4.
Veſtitur ſole, & cur, ibid.

Eſt ornamentum Naturæ noſtræ,ibid.5,
Illuſtrat utramque Eccleſiam,ibid.6,
Quavis actione & cogitatione formabat Paradiſum,ibid.7,
Ex omni parte ſpirat lætitiam,35,12,
Aſſimilatur ſoli & cur,ibid.14,
Aliorum ſanctorum virtutes ſuis comparatæ non apparent,ibid 25,
Summa cæli gloria in ſui viſione conſiſtit,& cur, & quomodo, ibid.26,
Vultus ſuus divino vultui ſimilis,ibid.27,
Beati ipſa opus habent, ibid 28,
Meritum ejus ingens eſt,35,29,
Nutrivit S Bernardum Ambroſia,36,10,
Eſt pincerna Paradiſi, ibid.11.
Fecit ex S Bernardino Seraphim,ibid.
Eſca eſt divini amoris,39,3,
Totaliter mortificata fuit,ibid.4,
Dicitur charta diviniſſima & cur?ibid 8,
Dicitur liber & non codex & cur ? ibid.9,
Præ quavis alia creatura Deum perfecte refert, 39,11,
Ornata eſt omnibus virtutibus,ibid.12,
Virtutes ejus magnæ,ibid 13,
Nequeunt explicari,ibid 14,
Non eſt ſcientia quæ ad excellentias ejus) intelligendas pertingere poſſit,ibid.15,
Liber ſcriptus literis luminoſis,ibid.16,
Scriptus in cælo,ibid.17,
In incarnatione verbi eſt elevata in cælum,39,17
Magiſtra fuit S Joannis Evangeliſtæ ibid.18.
Cur dicatur porta cæli,ibid.22.
Deus noſter eſt quia ipſa eſt noſtra ibid.28.
Grave ſupplicium meretur, qui ſub ejus protectione non vivit.ibid. 30
Derelictus ab ipſa à Chriſto & à ſanctis derelinquitur ibid.
Etiam Angeli ipſa indigent 39 31.
Docuit S. Matthæum, 41 19.
Turbata eſt ad conſpectum Angeli , & cur 43.18.
Chriſtum infantem poſuit inter brachia S.Franciſci,45,4,
Depicta eſt à S.Luca,46,11,
Magiſtra fuit S.Lucæ,ibid 18,
Theſaurus incomparabilibus divitiis plenus,49 1. & ſeq per totum.
Cuſtodita ſemper à Deo & cur,ibid.2,
Sollicitè cuſtodita,ibid.4,
Vivebat occulta, ibid 6,
Dicitur homo,& cur,ibid.7.
Dotata aliorum ſanctorum virtutibus, ibid.
Theſaurus eſt omnibus communis,ibid.17,
Pluris valet quam Paradiſus,49,18,
Ditiſſima eſt,Ibid.19,
Deum ſibi debitorem habet,ibid.21,
Veſtivit Deum,ibid 21,
Amata à beatis & cur.22,
Nos ipſi ad minus ob noſtrum intereſſe ſervire debemus,ibid.27,

*Symbola B. Virginis.*


| | |
|---|---|
| Eſt Columba,28,2, | Sol,35,2,& 14. |
| Arca Teſtamenti,ibid.3. | Fons,ibid.6, |
| Stella,ibid 4, | Terra Ambroſiæ,ib.11 |
| Angelus,ibid.5, | Cedrus, ibid.12, |
| Gratia,ibid 7, | Vitis,ibid. |
| Cælum,ibid 8. | Paradiſus ibid.16, |
| Luna,ibid.10, | Theſaurus, 49,1, |
| Crater Tornatilis,ib.13 | Homo,ibid 7. |
| Gigas,ibid 14, | Mare,ibid.8, |
| Circulus,ibid.17, | Paradiſus,15,16, |
| Sapientia,ibid. | Lucerna,ibid.18. |
| Firmamentum ibid 17, | Aurora,ibid.19, |
| Navis,ibid.21, | Luna,ibid.23, |
| Lux ibid.22. | Liber,39,1. |
| Margarita,32,15, | Papirus,ibid.3, |
| Virga,32,15, | Charta pergamena,ib.4 |
| Vinea,ibid.16, | Porta cæli, ibid.22. |
| Vitis,ibid. | Stella,ibid.25, |
| Leæna ibid 17, | Luna,41,29, |
| Ebur,ibid.22. | Palma,47,3. |
| Collum,ibid. | |
| Cælum,ibidem 23, | |
| Sancta Sanctorum,25, | |
| Oliva,ibid. | |
| Aurora,ibid.28, | |


*Conceptio Mariæ Virginis.*

Cur in Conceptione ſimilis ſit auroræ,31,28.
Parentes ejus tempore conceptionis ſuæ inaltiſſima contemplatione fuerunt,ibid. 34,
Gaudium quod S. Anna in B.V. Conceptione ſenſit,ibid.35.
Candidior nive,39,7,

Cor-

Correctione non indiguit, 39, 25
Præſervata ab undis peccati Adami, 39, 26
Ad illam præ omnibus aliis animabus dotandam omnes virtutes concurrerunt, 49, 7

*Nativitas Mariæ Virginis.*

In die illo Deus librum ſuæ ſanctiſſimæ Matris in lucem mundi edidit, ad depellendas humanæ ignorantiæ tenebras, 39, 1. & ſeq. per totam Panegyrim.

*Pulchritudo Mariæ Virginis.*

Stellas pulchritudine ſua illuſtrat, 32, 5
Pulcherrima eſt, quia à Deo dilecta, Ibid. 14
Pulchra in ſui Conceptione, 32, 18
Nihil poſt Deum ipſa pulchrius, 35, 5
Angeli ob ſuam pulchritudinem vix aliud in cælo videre poſſe videntur, Ibid. 19
Trahit corda beatorum, Ibid 24
Obſcurat omnia luminaria cæli, 35, 19
Faciem habet divinæ ſimilem, Ibid. 27
Eſt ipſamet pulchritudo, 39, 2
Ob ſuam pulchritudinem eſca fuit ignis divini, Ibidem 3
Pulchra in anima & in corpore, Ibid. 10

*Humilitas Mariæ Virginis.*

Dicitur ſtella ob humilitatem, 28, 4
Quantum Deo per hanc virtutem placuerit, 39, 5
Quomodo quæ tam puſilla fuit tantum capere potuerit, Ibid. 9

*Charitas Mariæ Virginis.*

Dicitur ſtella ob amorem ſuum erga nos, 28, 4
Præ aliis ſanctis nobis maximè vicina eſt, Ibidem 10

*Paupertas Mariæ Virginis.*

Amiciſſima fuit paupertatis, 28, 26
Nequaquam pauper vocanda eſt, ſed dives, 49, 23
Paupertas ejus quovis theſauro humano pluris valuit, Ib. 24

*Sapientia Mariæ Virginis.*

Per ejus ſapientiam S. Joannes Apoſtolus adeo ſapiens evaſit, 39, 18
Ab ipſa S. Petrus veritatem Euchariſtiæ didicit, Ibid. 20
Magiſtra eſt noſtræ Religionis, Ibid. 21
Deus per ipſam divina myſteria revelavit, Ibid. 22
Per Aſcenſionem filii in terris remanſit, ad erudiendum fideles, 39, 23
Succeſſit Chriſto in Cathedra, Ibid.
Deſtruxit Hæreſes, Ib. 24
In cælo Angelos illuminat, Ib. 31

*Præſentatio Mariæ Virginis.*

Quaſi quidam inæſtimabilium divitiarum theſaurus Deo in templo præſentata eſt, 49, 1, & ſeq per totum.
Quid ita die in templo factum ſit, Ib. 25
Cur ſit præſentata, Ib. 26

*Maternitas Mariæ Virginis.*

Ut Deum gigneret, veluti Dea quædam eſſe debebat, 39, 8
Veſtem Deo dedit, 49, 20

*Viſitatio Mariæ Virginis.*

Feſtinanter ivit ad viſitandam Eliſabeth, & cur? 29, 1. & ſeq. per totam Panegyrim.
Deus illo die utero B Virginis veluti curru vel fereculo quodam uſus eſt, & cur, Ib. 25

*Aſſumptio Mariæ Virginis.*

Poſt ſuum in cælos ingreſſum cæli facti ſunt pulchriores, 35, 1. & ſeq. per tot.
Velut ſol quidam in cælis apparuit, Ib. 2
Obſcuravit luminaria cæli, Ib.
Tantam ſuperius gloriam habet, quantam hic habuit gratiam, Ib. 5
Paradiſum multis Paradiſis implevit, Ib. 7
Lætificavit omnes beatos, 35, 9

In cælum transferri debebat, Ib. 11
Exaltata eſt ad inſtar filii, Ib. 12
In cælis auro veſtitur & cur, Ib. 13
Superat gloriam beatorum, Ib. 14
Cælum in die Aſſumptionis ſuæ in cælum intravit, Ibidem
Paradiſus Paradiſum ingreditur, 33, 16
Siue ipſa Cælum ſiue cælo erat, Ib. 18
Miracula cæleſtia ipſa præſente jam deinceps miracula non erant, Ibid. 19
Diem in cælum portavit, Ib. 21
Verba Apoſtolorum quibus ipſam in cælum abeuntem proſequebantur, Ib. 27
Cur Chriſtus ipſam in die Aſcenſionis ſuæ ſecum in cælos non evexerit, 35, 29, & 29, 24.

*Patrocinium Mariæ Virginis.*

Quanta cum ſollicitudine ad nobis auxiliandum ſuccurrat, 28, 1 & ſeq. per tot.
Seraphino velocius volat, Ib. 6
Stella citius movetur, Ib. 4
Portatur a Cherubinis, Ib. 3
Ipſa nos adjuvat, antequam illam invocemus, 28, 3
Semper eſt ad auxiliandum prompta, Ib 23
Qui ſub ejus patrocinio vivit, ſecure dormire poteſt, Ib. 24
Ante neceſſitatem nobis auxiliatur, Ib. 27
Qui non eſt ſub ſua protectione mortuus eſt, imo morte deterior eſt, 29, 30

*Interceſſio Mariæ Virginis.*

Ipſa pro nobis intercedente Chriſtus quoque pro nobis intercedit, 39, 28
Imo tota quoque cæleſtis Paradiſi curia, Ibid. 29
Neceſſitas precum ſuarum oſtenditur, Ibidem 30
Si Judas traditor ad ipſam recurriſſet, obtinuiſſet veniam, 49, 17

*S. Maria Magdalena.*

Solus amor eſt cauſa quod tam ſtupenda patrarit, adeoque ſublime exaltata fuerit, 30, 1, & ſeq. per totum.
Ethymologia ſui nominis, Ib.
Fuit miraculum quoddam omnibus mundi miraculis majus, Ib.
Cum eſſet meretrix Chriſtum tamen tangere potuit & cur, Ib. 2
Præpoſita eſt Phariſæo, Ib. 3
Amor ipſam ab omni ſpurcitie purgavit, 30, 3
Potuit ligare Deum, Ib. 4
Virgine facta eſt caſtior, Ib 5
Quo fine unguentum portarit, Ib 6
Emollivit Chriſtum, Ib.
Dicitur mulier & cur, Ib.
Species unguenti ſui, Ib 7
Cælum odore implevit, Ib.
Dicitur turtur, Ib.
In converſione non habuit verecundiam, 30, 8
Viſa fuit una ſtatua eſſe, Ib.
Moleſtata ſe non defendebat.
Pluris æſtimatum eſt ejus otium, quam Marthæ labores, Ib.
Candida facta eſt ab amore, Ib. 11
Inter eos qui ad Chriſtum recurrerunt, ipſa ſola animæ ſalutem requiſivit, Ib 12
Non ſentiebat labores aut ærumnas, 30, 13
Reputabatur Gigas, Ib 12
Chriſtum ardentius quam mater proprium filium amabat, Ib. 15
Quid voluerit facere de corpore Chriſti, Ibid.
Magnanimitas ejus admirabilis, Ib. 16
Non videbatur mulier, Ib.
Se Chriſtum ardentius amare quam Apoſtoli amaret probavit, Ib 17
Dolorem per lacrimas mitigare non poterat, 30, 18
Non potuit conſolari per viſionem Angelorum Ib 19
Nutriebatur amore, Ib. 20
Cur adeo fleverit, Ib. 21
Sanctos in cælis paſcebat lacrimis ſuis, Ibid.
Ab Angelis in ſpelunca viſitata, Ib. 22
Angelos loco amaſiorum habebat, 30, 23
Pulchra ab amore facta, Ib.
Septies de die in cælum elevabatur. Ibidem 24
Accenſa ab oculis Chriſti, 41, 27

*Martyres Martyrium.*

Ardebant plus aliis ſanctis, 27, 17
Transformantur in Cherubinos, 33, 16
Opera eorum valde glorioſa, 31, 18
Cur ſancti Martyrium fugerint, Ib.
Martyres vulnerati ſunt cœli, 34, 14
Dum patiebantur in Paradiſo erant, 34, 19
Imagines Chriſti ſunt, Ib. 31
S. Lucas non eſt mortuus Martyr, cur, 46, 26

S. MATTHÆUS Apoſtolus.

Ab oculis Chriſti magnificatus eſt, 41, 1, & ſeq.
Lucidiſſimum ſpeculum fuit, Ib. 3
Poſtquam pauper factus eſt, dives eſſe cœpit, & non ante, Ib. 5
Liberatus eſt a ſervitute Avaritiæ, Ib. 7
Et factus ſervus Chriſti, Ib. 8
Domus ejus Paradiſus quidam fuit, & cur, Ibid. 10
Mutatus eſt in virum alterum ab illo qui erat, 41, 11
Pater fuit fœcundiſſimus, Ib. 12
Ab inferno mutatus eſt in Paradiſum, Ibid. 13, & ſeq.
Eo ipſo quo Evangeliſta eſt, Angelus quidam eſt, Ib. 28
Mel eſt, Ib. 15
Non videbatur homo, ſed Angelus, Ibidem 16
Ab oculis Chriſti factus eſt Evangeliſta, Ibidem 18
Per promptam obedientiam Angelus quidam fuit, Ib. 19
Facies ejus quaſi hominis, non vero hominis abſolute, Ib. 20
Angelus qui juxta S. Matthæum depingitur, quid ſignificet, 41, 22
Eſt flumen Phiſon, Ib 23
E cælo egreſſus eſſe videtur, Ib.
Chryſolithus eſt, Ib. 24
Ante Chriſtum conſtitutus ſtella quædam eſſe videbatur, Ib.
Dealbavit Æthiopes, Ib. 25
Ab oculis Chriſti beatificatus eſſe, Ib. 26
Cuſtoditur a Deo ut videret Deum, Ibid.
Accenditur amore divino, 41, 27
Eſt Angelus ille quem S. Joannes volantem per cælum vidit, Ib. 28
Videbatur Chriſtus quidam eſſe, Ib. 29
Intelligitur per Topazium, Ib.
Refrigeravit Æthiopiæ ardores, Ib.
Primus fuit qui virginibus Monaſteria ædificavit, Ib.
Secretarius fuit Deiparæ Virginis, Ib.
Chriſto ſimilis fuit, Ib.
Habebat faciem Chriſti, 41, 30
Matthæus, id, manus Dei, Ib. 31

*Medici.*

Oculos habere debent lynceos, 46, 4
Invidi ſunt, Ib. 25
Pæon Deorum medicus, 46, 4

*Mel.*

Symbolum eloquentiæ, 33, 4
Significat S. Matthæum Evangeliſtam, 41, 15

*Mercurius.*

Cur S. Paulus credebatur eſſe Mercurius, 27, 21
Deus eſt Eloquentiæ, Ib.
Homines lingua ſua attrahebat, Ib. 22
Transformatur in alios Planetas, Ib.
Pileus ſemialbus, & ſeminiger quid ſignificet, 27, 27
Eſt ſtella quæ ſpecialiter gubernatur á S. Michaele Archangelo, 42, 4

S. MICHAEL ARCHANGELUS.

Primus & præcipuus eſt omnium Angelorum, tam ob pulchritudinem, quam ob potentiam, & affectum erga nos, 42, 1. & ſeqq. per totum.
Dicitur Princeps, & cur, Ib.
Interpretatio nominis Michael, Ib 2
Ibat in medio Gabrielis & Raphaelis, & cur, Ibid.
Præ aliis eſt Deo vicinior, Ib. 3
Soli Deiparæ Virgini cedit, 42, 4
Regis ſtellam Mercurii & cur, Ib.

Meruit

Merus eſt ignis, Ib.
Apparuit Moyſi in rubro, Ib.
Apparuit Gedeoni, Ib. 5
Reſplendebat inſtar ſolis, Ib.
Repræſentabat Deum, Ib. 7
Moyſi legem dedit, Ib.
Lumen quo facies Moyſis coruſcabat, eidem à S. Michaele communicata fuit, Ib.
Michael interpretatur Humilitas, 42, 8
Dominus Dei, Ib. 11
Paupertas Dei, Ib. 14
Plenus oculis, Ib. 9
Pavo, Ibid.
Eſt pulchritudo Angelorum aliorum, Ib 10
Videtur inopem feciſſe Deum, & cur, Ib. 14
Dux exercitus Dei, Ib. 15
Non ſolum pulcher eſt, ſed etiam fortis, Ibidem.
Occidit exercitum Sennachirib, 42, 16
Videtur eandem cum Deo potentiam habere, Ibid. 17
Regebat in nube Hebræos, Ib. 18
Angelus eſt fortis, & cur, Ibid.
Habet omnium Animarum gubernium, Ibid. 19
S Gabriel ejus ſubſidio eguit, Ib. 20
Spiritus Chriſti, Ib. 21
Occidet Antichriſtum, 42, v. 21
Valde à Deo diligitur, Ib.
Fulgur eſt ad auxiliandum nobis, Ibidem 22
Prius providet, & poſtea videt neceſſitates noſtras, Ibid 23
Adamum terram colere docuit, Ibid. 24
Eſt cuſtos Eccleſiæ zelantiſſimus, Ib. 25
Argus eſt, Ib.
Eſt Seraphinus ille qui ſtigmata S. Franciſco impreſſit, Ib. 26
Protegit eos qui illum laudant, 42, 26

MONICA.

Bis S. Auguſtinum genuit, 38, 7
Secunda vice illum per lacrimas genuit, Ibidem 6
Dicitur Thia, Ibid. 7

*Mors.*

Dulcorata præſentia ejus à quo amatur 14
Propter Crucem contemnitur, 40, 18

MOYSES.

Lumen quo facies ejus reſplenduit, à S. Michaele illi communicatum fuit, 42, 7

*Mulier.*

Capilli ejus catenæ, 50, 5
Dicitur mulier, & cur, Ib. 6
Ornamenta ejus ſunt boni filii, 52, 4
Sterilis erat infelix, Ib 7
Priuſquam viri à Deo honoratæ, & cur, Ibidem 9
Præferuntur viro, & cur, Ib. 26
Dicitur Ignis, 36, 3
Amat & odit ſine mediocritate, 26, 20
Ferventiſſima eſt in amando, 49, 22
Avara, 50, 2
Magni facit corporalem pulchritudinem, Ibid. 3
Propter ipſam mundus eſt ſine Deo, Ib. 6
Ambitioſa eſt, Ib. 4
Cauſa omnium ruinarum, Ib. 6
In proſperis non ſequitur, derelinquit in adverſis, Ib 7
Nox eſt, Ib. 31
Mulieres non connumerantur viris, 50, 9
Non poteſt repudiare maritum, & cur, Ibidem 14
Mutabilis eſt, Ibidem.
Locus, quem olim in templo habebat, Ibidem 17
Eſt Homo imperfectus, Ibid. 18

*Nen*

## N.

### *Nero.*

S. Paulus jam mortuus, illi prædicavit, 27, 15.

### *Nobilitas, Nobilis.*

Sanguinis nihili æſtimatur apud Deum, 31, 7.
Patria nobilitat hominem, 43 2.
Nobilior eſt popularis alicujus civitatis illuſtris, quam nobis civitatis alicujus obſcuræ. Ibid.
Quo quis eſt nobilior, tanto illi altior locus debetur. Ibid. 4.
Homo ignobilis ab Angelo ſuo nobilitatur, 43. 4
Nobilitas Senatorum Romanorum, Ibid 7.
Nobilitas Angelorum, Ibid. 1. & ſeq.
Nobiles alium panem manducant quam ignobiles, 48, 2.

### *Nomen.*

Imponitur cum judicio, 38. 2.
Qui nomina imponit, quaſi divinator eſt. Ibid.
Contrarium actionibus deforme eſt, Ibid.
Nomen bonum magnum privilegium 46. 1.
Debet reſpondere proprietatibus rerum, 50, 11.

## O.

### *Obediens, Obedientia.*

Pulchritudo obedientis, 47. 4.
S Simonis Apoſtoli. Ibid.
Obedientia Angeli, Ibid. 5.
Victoria obedientis mirabilis, Ibid. 6.

### *Oculi.*

Damnum quod afferunt animæ, 41. 2.
Poſſeſſio non ſolum pedibus, ſed etiam oculis capitur. Ibid. 8.
Oculi Chriſti magnetes ſunt quibus attrahuntur bona cæleſtia, Ibid. 9.
Portæ ſunt animæ, Ibid. 14.
Carent lingua, & tamen loquuntur, 41, 17.
Fontes ſunt, Ibid 18.
Oculi Dei terram floribus replent. Ibid. 22.
Oculi glauci quid ſignificent, ibid. 27.
Color oculorum Chriſti, ibid.

### *Omnes Sancti.* Vide Gloria Beatorum.

### *Oratio.*

Quia neſcimus petere, ideo quoque quod petimus à Deo non obtinemus, 33. 13.
Urit Dæmonem, 37, 15.
Transformat hominem in Deum, 45, 7.

## P.

### *Palma.*

Symbolum S Simonis Apoſtoli, 47, 1.
Virorem ſuum nunquam amittit, ibid. 2.
Arbor pulcherrima, ibid 3.
Symbolum Victoriæ, ibid.
Solis, ibid 10.
Subtus deformis pulcher ſuperius. ibid 11.
Gaudet ex mutatione loci, ibid. 13.

### *Pamphilus.*

Interpretatio hujus nominis, 26. 2.
Significat S. Petrum, ibid.

### *Paradiſus.*

S Bartholomæus eſt Paradiſus. 37, 12.
Imo factor eſt Paradiſi, ibid. 13.
Plantatus eſt in igne, ibid 12.
Unde dicatur, ibid. 15.

### *Patiens, Patientia.*

Mater S. Laurentii dicebatur Patientia, 34, 2.
Uno pede in cælo eſt. ibid.
Patiens dicitur longanimis, & cur, ibid 3.
Laurus, ibid. 4.
Paradiſum deſertum æſtimat, ibid. 25.

### *Patres.*

Filii patribus ſimiles eſſe debent, 32, 13.

### S. PAULUS APOSTOLUS.


Deus in ejus magnificatione exceſſiſſe videtur, 27,1 & ſeq per totum.
Subito factus eſt magnus, ibid 2.
Dicitur Paulus, quia eſt admirabilis, ibid. 3.
Poſt baptiſmum mox raptus eſt in cælum, ibid. 4
Vipera illum non læſit, & cur, ibid. 5.
Honoratus eſt à beſtiis, 27, 5.
A Lyſtris & Melitenſibus exiſtimatus eſt Deus. ibid. 6.
Gaudium in cælo magnum fuit in ejus converſione ibid. 7.
Admirabilior ſole & toto mundo, ibid.
Totum mundum in cura ſua habuit, ibid. 8.
Honoratus eſt ſuper omnes Angelos & Apoſtolos. ibid
Particularem Cathedram non habuit, & cur. ibid 9
Videbatur eſſe quidam Chriſtus & Apoſtolorum Deus. ibid
Adhuc in terris exiſtens beatus fuit. ibid. 10.
Omnium aliorum ſanctorum gratias habuit. ibid 11. & ſeq
In virtutibus omnes veteris & novi Teſtamenti ſanctos exceſſit ibid. 12.
Cadaver ejus plus valet quam totus mundus, ibid.
Cor Chriſti habuit, ibid 13.
In cæleſti ſchola Theologiam didicit, 27. 14.
Mortuus Neroni prædicavit, imo hodie quoque nobis prædicat, ibid. 5.
Omnibus creaturis à Deo præfertur, ibid, 16.
Vehementer Deum dilexit, ibid.
Fuit merus amoris ignis, ibid.
Salva divina gratia, non curabat damnari, dummodo inde proximus ſalvaretur, ibid.
Paradiſus ſpiritualis fuit, 27, 18
Paradiſus erat, cum maxime perſecutionibus infeſtaretur. ibid.
Qui illum videbat, Cherubinum videbat, ibid. 19.
Totus cæleſtis fuit, ibid.
Dum adhuc in terris degeret, in cælo erat, ibid. 20.
Fuit exiſtimatus Mercurius & cur, ibid. 21. & ſeq.
Divina ejus eloquentia, ibid.
Verba ejus tonitrua erant, ibid.
Deus è ſuo pectore veluti è templo loquebatur, ibid.
Lingua ſua homines trahebat, 27, 22.
Exercebat artem faciendi chordas, ſive ſcenofactoriam. ibid.
Eſt ſol quidam, ibid.
Ligabat corda, ibid.
Transformabatur in omnes, ibid.
Angelus alatus fuit, ibid 24.
Velocitas quacum Deo mundum acquiſivit, ibid.
Nigros homines efficiebat candidos. ibid. 25.
Videbatur Deus quidam, 27, 25. & ſeq
Magiſter fuit hominum & Angelorum, ibid. 26.
Judex Angelorum, ibid 27.
Plus cæteris Apoſtolis laboravit. ibid. 29.
Multum poteſt apud Deum, ibid. 30.
Hominem Cherubinum reddit, 33, 14.
Vulneratus pro Chriſto, 45, 17.
Sol fuit, 46, 9.
Intelligitur per Prometheum, ibid. 17.
Evangelium Lucæ ſuum vocavit, & cur ibid.
Contemptor terrenæ pulchritudinis, & cur. 48. 9.


### *Pavo.*


Pulcherrima avis eſt inter omnes alias, 42 9.
Angelicas plumas habet, ibid.
Voce ſua venenoſa animalia in fugam convertit, ibid.


### *Pauperes, Paupertas.*


Eſt theſaurus, 49, 24.
Domini ſunt regni cælorum, 29, 21.
Sunt Angeli, 41, 16.
Speculum Chriſti ſunt, ibid. 3.
Veræ ſunt divitiæ, ibid 5.
Cælum ſibi comparant, quod divites comparare ſibi nequeunt, ibid.


### *Peccator Peccatum.*


Facit hominem parvum, 27, 2.
Faciem Dæmonis peccator defert, ibid 28.
Mors, & nihil eſt, imo ſi quid nihilominus eſſe poteſt, 40, 20.

*Penelope.*

Xeuxis eſt imitabilis, 44, 22.

*Peon.*

Medicus eſt Deorum, 46, 4.

S. PETRUS Apoſtolus.

Amor ejus erga Deum fuit cauſa omnium ſuarum excellentiarum, 27, 1. & ſeq per tot.
Barjona dicitur & cur, ibid
Toto corde, & ex omnibus viribus Deum amavit, ibid. 2.
Dicitur Pamphylus, ibid.
Tria, non vero ſex tabernacula facere voluit, & cur, ibid. 3.
A Chriſto ſeparari non potuit, ibid.
Super aquis ambulans, non ſe oſtentatorem aut temerarium exhibuit, ibid. 4. & 5.
Amabat Chriſtum ſuper omnes alios diſcipulos. ibid. 4. 9. 10.
Imminens ſibi periculum non videbat. ibid. 1.
Potius mori quam à Chriſto ſeparari voluit, ibidem 7.
Ad vulnerandum Malchum licentiam non petiit, & cur, ibid. 9.
Cum Chriſto ſemper eſſe volebat, ibid.
Chriſti mortem ſufferre non poterat, ibid.
Si traditor ipſi cognitus fuiſſet ipſum dilaceraſſet, 26 11.
Singulis noctibus peccatum ſuum deploravit, ibid. 13.
Non flebat ex timore inferni, ſed ob Chriſtum offenſum, ibid.
Faciem habebat aduſtam, & cur, ibid
Abominator fuit gaudiorum mundanorum, ibid. 14.
Abſtinentia ejus ingens, ibid.
Nec ærumnas, nec mortem timebat, 26, 15.
Interrogatus à Chriſto de amore erga ipſum per verbum diligo, reſpondebat per verbum amo & cur, ibid. 16.
Crucifixus fuit modo Crucifixioni adverſo, & cur, ibid. 17. & ſeq.
Etiamnum adhuc navem Eccleſiæ ſtabilit, ibidem.
Petrus interpretatur ſtabilis, ibid.
Idem Diſcalceatus, ibid.
Sine ullo intereſſe Chriſtum amavit, 26, 18.
Ne quidem moriens à videndo Chriſto ceſſare potuit, ibid.
Humilitas ejus, ibid 20.
Magnus fuit ex converſatione cum Chriſto, ibid 21.
Ad Transfigurationis ſpectaculum aſſumptus fuit, & cur, ibid. 22.
Videbatur in terra beatus eſſe, & cur, ibid.
Cur factus ſit ſummus Pontifex, 26, 24.
Nequit altius evehi, ibid.
Poteſtas ejus ne Angelis quidem conceſſa fuit, ibid.
Ad portam paradiſi loco Cherubim collocatus fuit, ibid. 25.
Amor erga Chriſtum Cæli claves illi donavit, ibid.
Cur Chriſtus permiſerit, ut inciperet ſubmergi, ibid. 26.
Deus quidam eſſe videbatur, 26, 27 & ſeq
Vicarius Dei exiſtens habebant neſcio quid divini, ibid. 27.
Umbræ ſuæ virtus ipſum magnum quendam virum eſſe demonſtrabat, ibid. 29.
Præſentia Petri admirabilior erit præſentia Angeli, ibid 31.
Per interceſſionem B.V à carcere liberatus eſt, 28, 24.

*Pictura.*

Eſt liber ignorantium, 46, 11.

*Piſcis.*

Vicit in amaro, cum ipſe ſit dulcis, 34, 82.
S. Laurentius piſcis magnus fuit, ibid.

*Pœnitentia.*

Cur Deus Angelo cuidam, ut Pœnitentiam ageret, præceperit, 36, 4.

Non eſt moriendum ſine pænitentia, ibid.
S. Bernardi, ibid
Animam pulchram facit, 36, 22.
Hominem in Angelum tranſmutet, ibid. 24.
S. Hieronymi pænitentia, 44, 3.

*Prædicator.*

Intelligitur per bovem, 33, 1.

*Prælatus.*

Sunt Dii, 26, 28
Sunt oculi Eccleſiæ, 18, 16.

*Pulchritudo.*

Dei in beata gloria, 26, 22.
Naſcitur ab amore Dei, 30, 11.
Pulchritudo cæli argumentum eſt pulchritudinis Angelorum, 30, 19.
S. Mariæ Magdalenæ, ibid. 22.
S. Dominici, 11, 2
Corporalis umbra eſt ſpiritualis, ibid. 3.
Corpus pulchrum eſſe nequit quia pulchram habet animam, 36, 2.
Naſcitur ab amore, ibid.
Pulchritudo divina, 39, 10.
Quid ſignificet ſpecioſus, 41, 3.
Arabia cur pulchra, ibid
A propinquitate Dei derivatur, ibid.
Animæ ab humilitate oritur.
Angelorum, 43, 16. & ſeq.
S. Hieronymi, 44, 2.
Terrena fæx eſt cæleſtis pulchritudinis, 48, 9.
Pulchritudo gloriæ cæleſtis, ibid. 8. & ſeq
Non eſt pulchritudo quæ in cælo non ſit, ib. 11.
Magni fit à mulieribus, 50, 3.

*Purpura.*

Demonſtrat Regem, 37, 57
Veſtis S. Bartholomæi, ibid 16.
Tegebat ignem altaris Dei, ibid.

*Roma.*

Is cui Roma commiſſa eſt, alrius exaltari nequit, 26, 14.
Aliud præter Hieronymum non reſpiciebat, non curabat, 43, 2.

*Sancti.*

Aſſimilantur palmæ & cur, 27, 2.
Habent ſuas particulares excellentias, ibid 11.
Sunt Angeli, ibid 28.
In velocitate ſuccurrendi à B. Virgine ſuperantur, 28, 16.
Fugiebant martyrium & cur, 31, 18.
Unus ipſorum mille aliis hominibus æquivalet, 32, 18.
Delitiæ ipſorum quibus in paſſione fruebantur, 34, 1.
Ærumnas ſummam reputabant beatitudinem ibid. 24.
Diverſum ab aliis ſtomachum habent, ibid. 26.
Sunt totidem Chriſti, 45, 13. & 18.
Sunt Dii, ibid. 19.
Pretium quo ſibi Paradiſum compararũt, 48, 24
In cælis nos expanſis brachiis expectant, ib. 26.
Sunt Theſauri, 49, 17.
In cælis dicuntur mulieres & cur, ibid. 22.

*Sapientia.*

Minerva ficta ſapientiæ Deæ depingitur quaſi Gorgone in pectore armata, & cur, 33, 19.

*Seraphim.*

Dulcedo linguæ ſuæ, 36, 7.
Inflammant corda noſtra, ibid. 8.
Depinguntur in forma pueri, & cur, ibid. 17.
Reſplendent, quia ardent, ibid. 18.
Exceſſus amoris quo erga Deum ardent, 36. 20.
Sunt in cælo & in terra, & quomodo, ibid. 24.

*Servi.*

Chriſti ſunt Reges, 47, 14.
Servorum Dei ingens dignitas, 41, 88.

*Sylva.*

Lætitia ſilvarum in conſpectu Crucis, 40, 16.

S. SIMON APOSTOLUS.

Laudatus ſub ſymbolo Palmæ, 47, 1 & ſeq.

Vide-

Videtur Virgo fuiſſe, ibid. 2.
Sponſus nuptiarum in Cana, ibid.
Interpretatio nominis Simon, ibid 2. & 5.
Videbatur Angelus quidem, ibid.
Magnus Dei amator, ibid. 7.
Zelantiſſimus honoris divini, ibid. 8.
Produxit fructus dulciſſimos, 47, 9.
Pulcher intus, licet foris deformis, ibid. 11.
Intelligitur per Hiacynthum, ibid. 12.
Ornamentum coronæ Apoſtolicæ, ibid.
Cupidus fuit cæleſtis gloriæ, ibid. 13.
Dicitur Chananæus & cur ibid.

*Sol.*

S. Paulus Sol fuit, 27, 23.
S. Jacobus Major Sol fuit, 31, 29.
Eudoxius ſe uri non curabat, dummodo ſolem contemplari liceret, 34, 15.
S. Bartholomæus ſol mundi fuit, 37, 11.
Cur dicatur ſol ibid.
Symbolum eſt S. Auguſtini, 38, 1.
Dicitur præclarus & cur, ibid 2.
Stellis lumen communicat, ibid. 3.
Habet lumen Dei, 38, 4.
Cur in morte Chriſti fuerit obſcuratus. ibid.
Soli lupus conſecratur & cur, ibid 5.
Opinio Pythagoræ de generatione ſolis, ib. 6.
Filius eſt Thiæ, ibid 7.
Cor cæli eſt, ibid 8.
Velocitas ejus, ibid 9.
Chriſtus extra ſolem non habitat, ibid. 14.
Eſt oculus cæli, 38, 14
Color niger ſolis ſymbolum, ibid.
Dicitur Phœbus & cur, ibid 25.
Depingitur in forma pueri, ibid.
Menſæ ſolis, ibid 27.
Crux eſt luminoſior ſole, 40, 14.
Decorat omnia, 41, 18.
Pulchritudo Arabiæ ſol eſt, 42, 3.
Vis ſolis dicitur Jovis riſus, 44, 5.
Eſt cauſa vitæ animalium, 46, 21.
Trahit omnia ſurſum, ibid. 22.
Apoſtoli ſunt ſoles mundi, 47, 10
Corpus glorificatum luminoſius eſt ſole, 48 22.

*Speculum.*

Quam proprie imaginem referat, 45, 5.
Amans ſpeculum eſt rei amatæ, ibid.
S Franciſcus ſpeculum Chriſti, ibid.
S. Matthæus ſpeculum terſiſſimum, 41, 5.

*Spes.*

Qua ratione depingatur, 48, 1.

*Stella.*

Symbolum ſunt B. Virginis, 28, 4.
Velocitas motus ſui, ibid.
Ornantur a B Virgine, 32, 5.
Symbolum ſunt Angelorum, 33, 6. Quid ſignificarit.
Stella in fronte S. Dominici, ibid. Sunt literæ groſſæ, 39, 16.

*Templum.*

Ratio nominis, 31, 12.
Gaudia templi in præſentatione B. Virginis, 49, 25.

*Tereſia.*

Allegoria Fabulæ, 36, 27.

*Terra.*

Symbolum S. Annæ, 32, 2
Dicitur tellus & cur? ibid.
Maria Virgo gloria terræ, ibid 5.

*Theſaurus.*

Ethymologia, 49, 3.
Maria Virgo eſt incomparabilium divitiarum theſaurus, ibid. 1. & ſeq.
Cuſtoditur, ibid. 4.
Occultatur, ibid. 6.
Theſaurus Alexandri quonam repoſitus, ibid. 16.

*Timor.*

Qui Deum amant, nec ærumnas nec mortem timent, 26, 15.

*Topazius.*

Eſt coloris aurei, 41, 29.
In Aquam bullientem poſitus illam refrigerat, ibid. 29

Sequitur motum Lunæ, ibid.
Aliarum gemmarum ſplendorem recipit, ibid.
Corona eſt beatorum, 48, 11.
Habet colores omnium gemmarum, ibid.
Ethymologia, ibid.

*Tribulatio.*

Qui cum amant tribulationes non timent, 26 15
Sancti in illis delicias inveniunt, 34, 1.
Tribulati ſunt beati, ibid. 8.
Intelligitur per enſem flammeum in manu Cherubim, ibid 9.
A Sanctis velut ſumma beatitudo æſtimatur, ibid. 24.
Et facies Dei, ibid. 25.
Sub tribulatione cælum abſconditur, 34, 30.
Transformat hominem in Angelum, 46, 7.
Comparata præmio nihil eſt, 48, 25. & 26.
Deus nos ultra vires non affligit, 5, v. 17.

V.

*Vas.*

Varii in vaſis delectantur, 44, 1.
Domus Dei plena eſt vaſis, ibid.
S. Hieronymus Vas admirabile, ibid.
Mundani ſunt vaſa inverſe, ibid. 4.
Vas ſolis Jovis riſus, ibid. 6.
Vas Enalli, ibid 6.
Vas incredibiliter delicatum, 44, 11.
Vas vitreum quod frangi non poterat, ibid. 12.
Obſcurum & lucidum ſimul, ibid. 14.
Vas Alexandri & vitelli, ibid. 17.
Vas Joſeph Patriarchæ, ibid. 18.
Vas Tantali, ibid. 19.

*Virginitas Virgo.*

Maria Magdalena ex meretrice facta eſt quavis Virgine caſtior, 30, 5.
Æqualis Apoſtolis, 31, 13.
Semper læta, 47, 2.
Intelligitur per colorem viridem, 46, 5.
Sunt Angeli, ibid.
Sunt de hoc mundo, nec tamen ſunt in mundo, ibid. 8.
Dicitur virago, 50, 11.
Eſt vita Angelica, ibid. 19.

*Verba.*

Imago ſunt animæ, 38, 19.

*Verecundia.*

Eſt propria homini, 30, 8.

*Virtus.*

Facit hominem magnum, 27, 2.
Et Angelum, 41, 23.
Omnes virtutes ſequuntur Charitatem, 37, 12.

*Vitis.*

Eſt ſymbolum Crucis, 40, 12.
Ethymologia, ibid.

*Vitulus.*

Symbolum eſt S. Lucæ, 46, 7.
Symbolum lætitiæ, ibid. 12.

*Vulpes.*

Reſponſum leænæ vulpi datum, 32, 17.

Z.

*Zelotypia.*

Zelus Dei pro Divinitate, 27, 6.
S. Michaelis erga nos, 42, 25.
Quomodo depingatur, 33, 10.

Finis Indicis Rerum & Verborum notabilium.